S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN II

LUTHERANISMI HYPOTYPOSIS

PARS II

HYPOTYPOSIS ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXI

IN PRAEPARATIONE:


HYPOTYPOSIS POLYCARPI LAISERI

S. LAURENTII A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣

OPERUM OMNIUM VOLUMEN II

PARS III.

Pretium praesentis voluminis lib. it. 90


GLORIFICAUIT ILLUM IN CONSPECTU REGUM.
Eccli. 45.
B. LAURENTIUS A BRUNDUSIO.
Ord. Min: Cap: ter Prolis, pluries Desinitor, & Com
miſs: Glis: semel Minister Glis: Clemti VIII: Paulo V. summ:
Pontiſicib: Rodulpho 2.do & Matthias Imperatorib: Philippo
III Hispaniarum Regi, alijsque Principibus, & Magnati
bus charus, quorum plerisque in legationis munere inser
vivit. Obijt virtutum, ac miraculorum. fama peril
lustris. Vlissiponæ: 1619. Die, qua natus
22. Iuly ætatis suæ. 60.
1783

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN II

LUTHERANISMI HYPOTYPOSIS

PARS II

HYPOTYPOSIS ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXI

FR. MELCHIOR A BENISA

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio operum omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetae iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, servatis ceteris de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 30 Ianuarii 1928

FR. MELCHIOR A BENISA
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen tertium operum omnium Sancti Laurentii Brundusini continens partem alteram « Hypotyposeos Lutheranismi ». Nihil in praeclaro hoc opere invenimus a mente Ecclesiae alienum at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum pridie cal. Augusti 1931

FR. HILARINUS A LUCERNA O. M. Cap.
Cust. Gen. et Lector emer.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. M. Cap.
Lect. Theol.

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die XXIV Augusti, MCMXXXI
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Eccl.

Imprimatur
Patavii, die XXV Augusti, MCMXXXI
† ELIAS Episcopus

SEGRETERIA DI STATO
DI S. SANTITA'

—

N. 95032

Dal Vaticano, die 30 Octobris 1930

REV.ME PATER,

Pro tua in Iesu Christi Vicarium studiosa voluntate, contineri non potuisti quin editum a vobis secundum volumen praeclari illius operis, quod inscribitur « S. Laurentii a Brundusio Ord. FF. Min. Cap. scripta omnia » Augusto Pontifici deferres.

Uti iam primum volumen anno MDCCCCXXVIII praelo impressum ac pientissime dono missum, ita alterum in praesens Beatissimus Pater libenti gratoque animo accepit.

Cum igitur plurimas vobis de huiusmodi officio grates agit Sanctitas Sua, tum de hoc incepto vobis gratulatur ex animo. Futurum enim confidit Augustus Pontifex ut hae scriptiones a vobis pervulgatae vel in posterum pervulgandae, ad christianae perfectionis instituta fortiter suaviterque lectorum animos excitando, uberes afferant salutaresque fructus.

Interea Beatissimus Pater coelestium munerum auspicem, peculiarisque benevolentiae Suae testem Apostolicam Benedictionem tibi tuisque omnibus amanter impertit.

Ego vero, haec tibi renuntians, ea, qua par est, observantia, me libenter profiteor

Tibi addictissimum

E. Card. PACELLI

Rev.mo
P. MELCHIORRI A BENISA
Ministro Generali
FF. MM. S. Francisci Capuccinorum
Romam

INTRODUCTIO IN HYPOTYPOSIM ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE

I. – DE OBIECTO DIVISIONE FONTIBUS ET CODICIBUS HYPOTYPOSEOS ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE.

Obiectum et Divisio. – Post *M. Lutheri Hypotyposim* S. Laurentius primo quidem eam partem, quae *Polycarpi Laiseri Hypotyposis* inscribitur, composuit; [1] sed postea evolvendae materiae connexioni consulens, Laiseri tractatione ad tertiam partem amandata, [2] *Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae Hypotyposim* secundo loco tradere decrevit. [3]

Quamvis haec tractatio per duos libros distinctos absolvatur, agitur enim separatim de ecclesia et de doctrina lutherana; utrosque tamen S. Auctor uniri voluit, hac potissimum ductus ratione, quod secta lutherana sit effectus, et quidem necessarius ipsius lutheranae doctrinae. [4]

In primo igitur libro evolvit argumentum de ecclesia seu de secta lutherana. Praemissa *Dissertatione* de lutheranismo in genere, [5] statu quaestionis explicato, agit primo loco de fundamento ecclesiae lutheranae, demonstrando fundamentum a Luthero et Lutheranis saepe iactatum esse quidem verbum Dei, sed demum resolvi in auctoritatem ipsius Lutheri, [6] qui Scripturam suo Marte interpretatus sit et magna inconstantia in tradendis dogmatibus laboraverit; unde concludendum ecclesiae lutheranae fundamentum firmitate non

1) Cf. *Addit. 2*, pag. 498 in initio. 2) *Hypotyposis M. Lutheri, Praefatio ad Lectorem*, part. 1, vol. 2, pag. 8-9; cf. etiam *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae*, sect. 5, *Dissert. 1*, pag. 462 huius vol. 3) Cf. *Dissertatio Praeambula*, pag. 3 huius vol.; cf. etiam *Hypotyposis M. Lutheri, Praefatio ad Lectorem*, part. 1, vol. 2, pag. 8-9. 4) Cf. ibid. et *Dissert. 7*, sect. 2, lib. 1, pag. 230; *Dissert. 8*, sect. 2, lib. 1, pag. 252; *Dissert. 3*, sect. 1, lib. 2, pag. 324. 5) Pag. 3-22. 6) Pag. 23-40.

gaudere. [7] Ad Lutheri effugium, quo ipse eandem ac Pauli missionem et auctoritatem sibi vindicat, respondet ipsum nulla ratione cum Paulo comparari posse. [8]

A fundamento ad aedificium progrediens, *8 Dissertationibus* tractat *De Qualitatibus Ecclesiae Lutheranae,* fuse et invicte ostendens ecclesiam lutheranam non esse veram, utpote notis verae Ecclesiae destitutam. Et quidem non habet sanctitatem, nec membrorum, [9] nec doctrinae ; [10] non habet unitatem, quia in varias sectas sibi invicem pugnantes divisa est ; [11] non habet apostolicitatem, quia Lutherani immediatam et non interruptam successionem ab Apostolis sibi vindicare non possunt, nec quod invenerunt tradiderunt, sed nova dogmata condiderunt ; [12] non habet veram Christi fidem, quae immutabilis est et semper eadem, dum Lutheranorum fides in dies mutatur, quinimo et mutabilis ab ipsis affirmatur ; [13] non habet unionem cum petra Ecclesiae fundamentali, idest, cum Romano Pontifice, [14] nec habet catholicitatem, dum tantum in aliqua parte Europae invenitur. [15] Universam hanc tractationem concludit, demonstrans Lutheranos quoad doctrinam esse schismaticos et haereticos, [16] quoad mores vero ab omnibus damnabiles et damnatos etiam ab aliis haereticis. [17]

In secundo libro agit de Lutheranorum et praesertim M. Lutheri doctrina. Et primum Lutheranorum symbolum seu *Confessionem Augustanam* ad examen vocat, de cuius origine, auctore, mutationibus et natura fuse disserit, eiusdem articulos [18] et *Apologiam,* a Phil. Melanchthone conscriptam, perquisitae criticae subiiciendo ; deinde causas separationis in *Confessione Augustana* assignatas examinans, [19] statuit Lutheranos *Augustanae Confessioni* addictos inter schismaticos et haereticos adnumerandos esse. [20]

A Lutheranorum symbolo ad doctrinam procedens, quaestionem aggreditur de ingenio et scientia ipsius Lutheri, ostendens eum acris quidem ingenii fuisse, sed non profunde versatum in scientiis theologicis et philosophicis, quas parvi fecit et aliquando etiam insectatus est. [21] Transit postea ad exponenda prin-

7) Pag. 41-60. 8) Pag. 61-78. 9) Pag. 79-99. 10) Pag. 99-120. 11) Pag. 120-128.
12) Pag. 128-143. 13) Pag. 144-163. 14) Pag. 163-187. 15) Pag. 187-208. 16) Pag. 208-230.
17) Pag. 230-252. 18) Pag. 253-282. 19) Pag. 282-303. 20) Pag. 304-324. 21) Pag. 325-345.

cipia doctrinae lutheranae,[22] praesertim illud, quod a Polycarpo Laisero maxime iactatum fuerat, scilicet controversias fidei Scripturis tantum dirimendas esse.[23]

Principiis doctrinae lutheranae refutatis, Auctor *8 Dissertationibus*, quamvis nondum ad perfectionem deductis,[24] *De Qualitatibus Doctrinae Lutheranae* longius discurrit, ostendens eam esse figmentis,[25] deliramentis,[26] falsis testimoniis,[27] perversis Scripturae interpretationibus,[28] paradoxis plenam,[29] sophismatibus,[30] inanibus rationibus et falsis argumentis[31] probatam, maxime autem mutatam et instabilem.[32]

Haec omnia deinde summatim perstringens, S. Auctor concludit Lutherum discedendo ab Ecclesia Romana novam ecclesiam fundasse et diabolicam doctrinam docuisse,[33] ideoque merito ab Ecclesia, ab hominibus, a Deo fuisse damnatum.[34]

Ex subiecto schemate evidens apparet proximum Auctoris finem hunc fuisse: Ostendere ecclesiam lutheranam non esse veram, quia necessarias Ecclesiae Christi notas non habet, et eius doctrinam non esse Christi doctrinam, sed Lutheri figmentum, et ideo merito sicut Lutherum damnari debere. Hinc recte affert[35] illud Ezechielis: *Vulgo proverbium...: Sicut mater, ita et filia eius.*[36]

Fontes et Codices. – Fontes ab Auctore adhibiti et auctores pro hac secunda parte consulti omnes iidem fere sunt, quos in *Hypotyposi Martini Lutheri* recensuimus.[37] Particulare tamen studium, ut ipse fatetur,[38] in indagandis fontibus *Confessionis Augustanae* collocavit. Horum fontium et auctorum elenchus dabitur in fine huius *Introductionis*.

Dissertationes huius *Hypotyposeos*, necnon duo Additamenta, in codice 2 inveniuntur hoc ordine aliquatenus turbato: *Dissertatio Praeambula*, f. 151–158; *Dissertationes 1–2*, sect. 1, lib. 1, f. 159–174; *Dissertatio 3*,

22) Pag. 346-357. 23) Pag. 358-370. 24) Hoc evidenter deducitur praesertim ex defectu conclusionis in aliquibus Dissertationibus (*Dissert. 1-4. 6. 8*) et introductionis in *Dissert. 4.* 25) Pag. 371-383. 26) Pag. 384-392. 27) Pag. 393-395. 28) Pag. 396-401. 29) Pag. 401-417. 30) Pag. 417-428. 31) Pag. 429-441. 32) Pag. 442-461. 33) Pag. 462-475. 34) Pag. 475-487. 35) Pag. 252. 36) 16, 44. 37) *Cf. Introductio in M. Lutheri Hypotyposim*, part. 1, vol. 2, pag. XXXVI-XXXVII. XLI-XLV. 38) Pag. 274.

sect. 1, lib. 1, f. 241-248 ; reliquae *Dissertationes* libri primi, f. 279–344 ; *Dissertationes 1–3*, sect. 1, lib. 2, f. 345–372 ; *Dissertatio Unica*, sect. 2, lib. 2, f. 373–380 ; *Dissertatio 1*, sect. 3, lib. 2, f. 249–254 ; *Dissertatio 2*, sect. 3, lib. 2, f. 202–207 ; *Dissertatio 1*, sect. 4, lib. 2, f. 207–209 et 214–216 ; *Dissertatio 2*, sect. 4, lib. 2, f. 210–213 ; *Dissertatio 3*, sect. 4, lib. 2, f. 217–218 ; *Dissertatio 4*, sect. 4, lib. 2, f. 221–223 ; *Dissertatio 5*, sect. 4, lib. 2, f. 227–232 ; *Dissertatio 6*, sect. 4, lib. 2, f. 235–240 ; *Dissertatio 7*, sect. 4, lib. 2, f. 266–271 ; *Dissertatio 8*, sect. 4, lib. 2, f. 175–182 ; *Dissertatio 1*, sect. 5, lib. 2, f. 183–188 ; *Dissertatio 2*, sect. 5, lib. 2, f. 257–262; *Additamentum 1*, f. 197–201; *Additamentum 2*, f. 263–266. 272–276.

Ratio propter quam *Dissertationes* foliis insequentibus non semper sese excipiant, oritur ex incuria collectoris, qui folia absque diligenti investigatione consuit. De qua re sicut et de codicibus 2 et 3 in *Praefatione Generali Hypotyposeos Lutheranismi* fuse disseruimus. [39]

II. – DE METHODO ET OPERE AUCTORIS.

Methodus tractandi et exponendi materiam eadem ferme est, quam Auctor in priori parte adhibuit, non presse scilicet scholastica vel historica, sed praevalenter synthetico–polemica ; in evolvendis quoque Dissertationibus eandem rationem sequitur ac in *M. Lutheri Hypotyposi*, prius enim ex Scriptura et Patribus doctrinam catholicam exponit et illustrat, ut postmodum ecclesiae et doctrinae lutheranae crisim instituat.

Ut iam alibi adnotavimus, [40] universum de *Lutheranismi Hypotyposi* opus imperfectum mansit; quod quidem maxime apparet in sectione 4 libri 2 [41] et praecipue in *Dissertationibus 2–4*. [42] *6*, [43] quae pro schematibus potius habendae sunt ; conspicitur etiam in aliquarum Dissertationum dispositione, quarum nexum et successionem non ex more definivit. [44]

39) Cf. *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, part. 1, vol. 2, pag. XXV-XXVII. 40) Cf. ibid. pag. XXV. 41) *De Qualitatibus Doctrinae Lutheranae*, pag. 371 sqq. 42) Pag. 384-401. 43) Pag. 417-428. 44) Cf. not. 24.

Hae tamen imperfectiones in paucis tantum Dissertationibus inveniuntur, nec tamen operis summam afficiunt. Unde etiam haec secunda *Hypotyposeos* pars, praecipue ubi de *Qualitatibus Ecclesiae Lutheranae*, [45] de *Confessione Augustana* [46] deque *Scientia et Ingenio M. Lutheri* [47] sermo fit, cum rei expositae substantia ac mirabili Auctoris eruditione, tum argumentationis vi et expositionis elegantia valoris opus ostenditur.

III. - DE OPERE NOSTRO ET METHODO IN EDITIONE ADHIBITA.

Quamvis de his, quae in universo hoc *Hypotyposeos* opere a nobis acta sunt, in *Praefatione Generali* [48] et *Introductione in M. Lutheri Hypotyposim* [49] satis locuti simus, tamen, cum particulares quaedam difficultates in hac secunda parte exortae sint, de his deque earum solutione aliqua dicenda nobis sunt.

Quod ad divisionem et dispositionem materiae attinet, in primo libro nulla gravis difficultas occurrit, cum fere omnes Dissertationes mutuo sese excipiant. In secundo vero libro, in Dissertationibus, quae ad 4 et 5 [50] sectionem spectant, duae praesertim difficultates solvendae erant. Quarum prima ex ipsa aliquarum Dissertationum incompleta redactione, praecipue autem ex incerta Auctoris mente [51] circa earundem dispositionem orta est. Omnibus sedulo perpensis, omnibus locis inter se collatis et diuturno examini subiectis, cum Auctoris mentem nullo modo perspicere potuissemus, foliorum et argumenti ordinem sequendum duximus, ita quidem ut Dissertationes omnino integras, quales in codice prostant, relinqueremus, licet initio [52] vel in conclusione [53] verba continerent, quae alium ordinem expostulare viderentur.

Aliam difficultatem *2 Dissertationes* sectionis 5 nobis attulerunt, quae ob argumenti summam potius ad *M. Lutheri Hypotyposim* pertinere aesti-

45) Cf. *Dissert. 1-8* pag. 79-252. 46) Pag. 253-324. 47) Pag. 325-345. 48) Cf. *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, part. 1, vol. 2, pag. VII-XXXIV. 49) Pag. XXXV-XL.

50) Pag. 371-487. 51) Incerta Auctoris mens in harum Dissertationum dispositione facile deducitur ex iis, quae superius diximus (pag. IX-X et nota 24), et manifesta fit ex conclusione *Dissertationis 2*, sect. 5, pag. 475, necnon ex *Additamentis 1* et *2*, pag. 497-508. 52) Cf. *Dissert. 1*, sect. 5, pag. 475.

53) Cf. supra not. 51.

mabamus. At cum *1 Dissertatio* ex Auctoris mente ad *Hypotyposim Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae* spectet, [54] cuius quasi conclusionem exhibet, eam in ultima sectione libri 2 ut aptiori loco posuimus, eique secundam quasi istius *Hypotyposeos* coronidem subtexuimus.

De aliis difficultatibus, de laboribus a nobis insumptis, de methodo adhibita deque pretiosis auxiliis nobis a clarissimis viris praestitis iam alibi locuti sumus. [55]

Reliquum est ut doctis omnibus viris, qui hanc nostram editionem amplis interdum recensionibus et laudarunt et probarunt, [56] nosque consiliis et criticis observationibus adiuverunt, grati animi sensus exprimamus, spemque aperiamus fore, ut etiam haec secunda *Lutheranismi Hypotyposeos* pars eis pergrata sit.

Patavii die Festo S. Laurentii a Brundusio O. M. Cap. 1931

PP. Editores

54) Cf. pag. 475.

55) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, part. 1, vol. 2, pag. 1; *Praefatio Generalis in Lutheranismi Hypotyposim*, ibid. pag. XXI-XXXIV et *Introductio in M. Lutheri Hypotyposim*, ibid. pag. XXXVIII-XL.

56) A. Teetaert Ord. Min. Cap. in *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, Janv. 1929, pag. 102-104; Mich. Bihl in *Archivum Franciscanum Historicum*, an. XXII, 1929, pag. 418-421; P. E. Rosa S. I. in *Civiltà Cattolica*, an. 81, 1930, vol. II, pag. 345-351; S. Vismara O. S. B. in *Aevum*, an. II, fasc. 3, Luglio-Settembre 1928, pag. 450-454; P. Jérôme de Paris Ord. Min. Cap. in *Études Franciscaines*, an. 25, Janvier-Février 1929, pag. 24-43 ; A. van Hove *Revue d' Histoire Ecclesiastique*, Janv. 1929, pag. 139-140; Io. Müller S. I. in *Zeitschrift für Katholische Theologie*, Jahrg. 1929, S. 439; P. A. in *Literarische Beilage zur Augsburger Postzeitung*, Jahrg. 1929, nr. 36, S. 140; I. P. Kirsch in *Römische Quartalschrift*, Jahrg. 1930, S. 481-483; P. Crispin Moser Ord. Min. Cap. in *St. Fidelis Glöcklein*, (Jahrg. 1930), S. 172-174; (Jahrg. 1931), S. 16-19; Franz Mitzka S. I. in *Zeitschrift für Katholische Theologie*, Jahrg. 1931, S. 340-341, aliique plurimi.

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A SANCTO LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR[1]

Acta Colloquii et Synodi Altemburgensis, Ienae 1569-1570; Wittembergae 1570 (?); Lipsiae 1570.

Aesopus * *Fabulae,* Venetiis, ad signum Seminantis 1575.

Allard P. *Storia Critica delle Persecuzioni.* Vers. ex gallica lingua Haeg. Lari, Firenze 1923.

Ambrosius Cath. * *Apologia pro Veritate Catholicae et Apostolicae Doctrinae adversus Impia ac Valde Pestifera M. Lutheri Dogmata,* lib. 5, per heredes Phil. Iuntae, Florentiae 1520.

Ambrosius de Altamura P. *Bibliothecae Dominicanae,* Romae 1677.

Amsdorfius N. *Praefatio* ad t. 1 Op. Germ. Lutheri, Iehna 1555.

Anonymus * *Animadversiones in Novum Doctrinae Corpus,* (opus non inventum).

Aristoteles * *Ethica Nicomachea; Analyticorum Posteriorum; Historia de Animalibus.* Ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum,* Parisiis, Firmin-Didot 1838-1885.

Aurifaber Io. * *Luthers Tischreden,* Eisleben 1566.

Balan P. *Monumenta Reformationis Lutheranae ex Tabulariis S. Sedis Secretis,* Ratisbonae, Fr. Pustet 1883.

Bardenhewer O. *Manuale di Patrologia.* Vers. it. di A. Mercati, Roma, Desclée 1908.

Baronius C. * *Annales Ecclesiastici,* Lucae 1738-1746.

Bellarminus S. Rob. S. I. * *Conciones,* Venetiis, ex typographia Amb. Dei 1617; *Controversiae Christianae Fidei,* Venetiis 1721 sqq.

Bellovacensis V. Ord. Praed. *Speculum Naturale,* sine anno et loco.

Beza Theod. * *Tractationum Theologicarum,* Genevae 1570.

Bolsecus Hier. * *Vita Calvini,* Coloniae, Io. Soteri 1582.

Bonaventura S. Opera Omnia, ed. ad Claras Aquas (Quaracchi) 1882 sqq.

Bossuet I. B. *Histoire des Variations,* Argentina 1738.

Bozius Th. * *De Signis Ecclesiae Dei,* Romae 1591.

1) Signum * denotat Auctores, quorum opera a S. Laurentio citata sunt.

Bredenbachius Til. * *Collationum Sacrarum*, Coloniae Agrippinae 1592.

Brentius Io. * *Confessio Piae Doctrinae*, Tubingae 1552; *Catechismus*, an. 1551 sine loco; *Expositio Deuteronomii*, Tubingae 1576.

Bucerus M. * *Scripta Anglicana*, Basileae 1577.

Buxtorfius Io. *Lexicon Hebraicum et Chaldaeo–Biblicum*, Romae 1789.

Calmet Aug. *Comment. Litteralis in Evangelium Ioannis*, Augustae Vindelicorum 1760.

Calvinus Io. * *Admonitio Tertia ad Ioachimum Westphalum*, Amstelodami, apud Io. Schipper 1667; *Institution de la Religion Chrestienne*, ed. an. 1562 sine loco; *Ultima Admonitio ad Ioachimum Westphalum* in *Corpus Reform.* Halis Saxonum 1832 sqq.

Casimiriani Theologi * *De Libro Concordiae* quem vocant *Admonitio Christiana*, Neustadii in Palatinatu 1581.

Castell Edm. *Lexicon Heptaglotton*, Londini, apud Th. Roycroft 1669.

Catechismus Romanus, Patavii, typis Seminarii 1930.

Centuriatores Magdeburgenses * *Historia Ecclesiastica*, Basileae 1624.

Chytraeus D. * *Historie der Augsburger Konfession*, Rostock 1576, (opus non inventum).

Cicero M. T. * *De Oratore ; Philippicae*, Amstelaedami, apud Rod. et Gerh. Wetstenios 1724.

Cochlaeus Io. * *De Actis et Scriptis M. Lutheri...* apud S. Victorem prope Moguntiam 1549; *Septiceps Lutherus*, Parisiis 1564.

Codex Iustinianus, Lugduni 1541.

Cornely R. *Compendium Introductionis in Scripturae Libros*, ed. Aug. Merk S. I. Parisiis, P. Lethielleux 1927.

Cuthbert P. Ord. Min. Cap. *I Cappuccini e La Controriforma*. Vers. it. del P. Arsenio da S. Agata F., Faenza 1930.

Denifle En. Ord. Praed. *Lutero e Luteranesimo*. Vers. it. di A. Mercati, Roma, Desclée 1905.

Denzinger et Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.

Döllinger I. *Die Reformation*, Regensburg 1848 sqq.

Eberus P. * *Praefatio Commentariorum* Phil. Melanchthonis *in Epistolam ad Corinthios*, inter Opera Melanchthonis, Witebergae 1577.

Emserus Hier. * *In Eurici Cordi Medici Antilutheromastigos*, 1526 sine loco.

Euclides * *Elementorum*, Oxoniae 1703.

Eunapius Sardius * *De Vitis Philosophorum*, Parisiis, Didot 1849.

Fabricius Io. Alb. *Centifolium Lutheranum*, Hamburgi 1728.

Fischerus Io. * *Assertionis Lutheranae Confutatio*, Antuerpiae, in aedibus Io. Stelsii 1545.

Flavius Io. *Antiquitates Iudaicae*, Basileae, Io. Frobenius 1534; *De Bello Iudaico*, Lugduni per Gryphium 1539.

FOUARD C. *S. Pietro e i Primi Anni del Cristianesimo*. Vers. it. di G. Albera, Torino 1928.

FRANCISCUS ASSISIAS S. * *Opuscula*, ed. Wadding - De La Haye, Lugduni 1653.

GALLUS N. * *Von Irthummen und Secten, Theses und Hypotheses*, Iehna 1558.

GISMONDI H. S. I. *Linguae Hebraicae Grammatica*, Romae 1907.

GOLUBOVICH G. Ord. Fr. Min. *Biblioteca Bio-bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente Francescano*, Quaracchi presso Firenze 1906.

GRABINSKI *Wie ist Luther Gestorben?* apud *Dictionnaire de Théologie Catholique*, an. 1913.

GRETZERUS IAC. S. I. Opera Omnia, Ratisbonae, typis Io. Lang 1739.

GRIESBACH IAC. *Novum Testamentum Graece*, Halae Saxonum 1796.

GRISAR HART. S. I. *Luther*, Freiburg im Breisgau 1924-1925; *Roma alla Fine del Mondo Antico*. Vers. it. di A. Mercati, Roma, Desclée 1930.

HARNACK AD. *Missione e Propagazione del Cristianesimo nei Primi Tre Secoli*. Vers. it. di P. Marrucchi, Torino 1906; *Die Chronologie der Altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, Leipzig 1897.

HENRICUS VIII Angliae Rex * *De Septem Sacramentis*, Romae, Steph. B. Guillireti 1521.

HEPPE H. *Geschichte des Deutschen Protestantismus*, Marburg 1852 sqq.

HERGENRÖTHER G. *Storia Universale della Chiesa*. Vers. it. di E. Rosa S. I. Firenze 1905 sqq.

HESIODUS * *Opera et Dies*, Patavii, typis Seminarii 1747.

HORATIUS FL. * *De Arte Poetica; Satirae*, Bassani, typis Remondini 1844.

HOSIUS STAN. * *De Haeresibus Nostri Temporis*, Coloniae 1584; Antuerpiae 1566.

IACOBUS ANDRÄAE * *Brevis Apologia Capitum Disputationis de Maiestate Hominis Iesu Christi*, Tubingae 1564.

ILARINO P. da Lucerna Ord. Min. Cap. *L' Ideale di S. Francesco*. Vers. it. del P. Leone da Lavertezzo, Firenze 1925.

ILLYRICUS MATTHIAS * *Orthodoxa Confessio de Originali Peccato*, an. 1571 sine loco; *Confessio Ministrorum Iesu Christi in Ecclesia Antuerpiensi*, an. 1579 sine loco; *Adhortatio ad Constantiam in Agnita Iesu Christi Religione et Augustana Confessione*, apud S. Rob. Bellarminum op. cit.

Ius Canonicum, * Venetiis, apud Iuntas 1595.

IUVENALIS IUN. * *Satirae*, Patavii, typis Seminarii 1711.

KEMNITIUS M. * *Examinis Concilii Tridentini Opus Integrum*, Francofurti ad Moenum 1574.

KROESS AL. S. I. *Geschichte der Boehmischen Provinz der Gesellschaft Iesu*, Wien 1910.

LABBEUS PHIL. *Sacrosancta Concilia*, Lutetiae Parisiorum 1671.

LAISERUS P. * *Zwo Christliche Predigten*... zu Prag gehalten, Leipzig, Abraham Lambergs 1607; *Christianismus, Papismus et Calvinismus*, das ist: *Drey Unterschiedliche Auslegung des Catechismi Lutheri*, Dresden 1602.

LAURENTIUS a BRUNDUSIO S. Ord. Min. Cap. *Commentariolum De Rebus Austriae et Boihemiae*, ed. a P. Eduardo Alenc. Ord. Min. Cap. Romae 1910; *Hypotyposis M. Lutheri*, Patavii, ex Officina Typographica Seminarii 1930.

LE BEAU C. *Storia del Basso Impero*. Vers. it. di M. Fassadoni, Venezia 1768.

LEODIUS AN. FAB. * *Harmonia Confessionis Augustanae*, Coloniae 1587.

LINDANUS W. * *Dubitantius de Vera Certaque per Christi Iesu Evangelium Salutis Aeternae Via*, Coloniae, apud Maternum Cholinum 1565.

LIVIUS T. * *Historia*, Neapoli 1857.

LOBECCHIUS D. * *Disputationes Theologicae*, Rostochii 1599.

LUTHERUS M. * *Opera Omnia*. Ed. germanica Ienae 1555-1558; Witebergae 1567 sqq.; 1594 sqq.; Ed. latina Witebergae 1545 sqq.; Iehnae 1600-1612; Epistolae, Ihenae 1556; *Enarrationes seu Postillae M. Lutheri*, Argentorati 1535; *Kirchenpostille*, Wittenberg 1547-1549; *Ihenische Hauspostill...* aus M. Georgen Rōsers auffgefast, Ihena 1597; *Der Unterricht der Visitatoren*, herausg. von Hans Lietzmann, Bonn 1912; *Das Newe Testament*, Wittemberg, Hans Lufft 1566; *Biblia Polyglotta Graeco–Latino–Germanica*, ed. a D. Woldero, Hamburgi 1596.

LUTZEMBURGIUS B. * *Catalogus Haereticorum*, an. 1526 sine loco.

LYRANUS N. *Glossa Ordinaria in Epist. ad Romanos*, Venetiis 1588.

MAIOR G. * *De Origine et Authoritate Verbi Dei*, Witebergae 1565.

MANNUCCIUS P. *Adagia*, Venetiis 1591.

MANSI IO. DOM. *Sacrorum Conciliorum Collectio*, Florentiae 1759-1785.

MARACCIUS L. *Refutatio Alchorani*, Patavii, typographia Seminarii 1698.

MATHESIUS IO. * *D. Martini Luthers Leben in Siebzehn Predigten*, ed. Buchwald, Leipzig sine anno; Nürnberg 1566.

MATTHAEUS IUDEX * *Synopsis Doctrinae Christianae ad S. Lutheri Catechismum Minorem Attemperata*, an. 1580 sine loco.

MELANCHTHON PHIL. * Opera Omnia, Basileae, apud Io. Hervagium 1541; Witebergae 1580; apud *Corpus Reform.* ed. Bretschneider-Bindseil.

MIGNE I. P. *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, Parisiis 1839 sqq.; *Theologiae Cursus Completus*, Parisiis, 1841 sqq.

MINISTRI GENEVENSES * *Capita Consensionis*, apud Schlüsselburgium.

MÖHLER I. A. *Symbolik*, Mainz 1890.

Monumenta Germaniae Historica inde ab anno Christi 500 usque ad 1500, ed. Georg. Hein. Pertz, Hannoverae 1826-1913.

MUSCULUS AN. * *Concio Dominicae Primae Adventus*, (opus non inventum).

MYLIUS G. * *Historia Augustanae Confessionis*, quae Ecclesiarum Evangelicarum novissimi temporis, etc. Ihenae 1596.

NATALIS AL. Ord. Praed. *Historia Ecclesiastica*, Ferrariae 1758-1761.

OVIDIUS NASO * *Metamorphoseon*, Lipsiae, typis C. Tauchnitii 1828.

PAQUIER I. *Luther*, apud *Dictionnaire de Théologie Catholique*, an. 1926.

PASTOR L. *Storia dei Papi*, Trento-Roma 1890 sqq.

PAULUS N. *Luthers Lebensende. Eine Kritische Untersuschung, Erläuterungen und Ergänzungen zu Ianssens Geschichte des Deutschen Volkes*, Freiburg im Breisgau 1898-

PERIN Io. *Onomasticon Totius Latinitatis*, vol. 2, Patavii, typis Seminarii 1913. 1920.

PETREIUS Io. * *Warnung dass man das Schreien der Flacianer meiden soll*, apud Iöcher-Rotermund *Gelehrten-Lexicon*.

PISTORIUS Io. * *Anatomia Lutheri*, Cöln 1595. 1598.

PLATO * *De Republica*. Ex *Bibliotheca Oxoniensi Scriptorum Classicorum*, Oxonii, ex typographaeo Clarendoniano.

PLUTARCHUS CHAERON. * *Le Vite degli Uomini Illustri*. Vers. it. del Conte Pompei, Padova 1818.

POLLUX IUL. *Onomasticon*, Berolini 1846.

PRAT F. *La Teologia di S. Paolo*. Vers. it. di G. Albera, Torino 1924.

PRATEOLUS G. (MARCOSSIUS) * *De Vitis, Sectis et Dogmatibus Omnium Haereticorum*, Coloniae 1581.

Rituale Romanum, Romae, typis Polyglottis 1925.

ROTERODAMUS ERASMUS * Opera Omnia, Lugduni Bat. P. Vander-Aa 1703-1706.

SANDERUS N. * *De Visibili Monarchia Ecclesiae*, Lovanii 1571.

SCHAPHUSIANUS IEZLERUS * *De Diuturnitate Belli Eucharistici*, Tiguri 1584.

SCHLÜSSELBURGIUS CONR. * *Theologiae Calvinistarum*, Francofurti ad Moenum 1592.

SCHMIDELINUS IAC. * *Drey und Dreissig Predigten von den Fürnehmsten Spaltungen in der Christlichen Religion*, Tubingen 1573; *Fünf Predigten von den Werck der Concordien*, Tubingae 1580.

SCOTUS Io. * *In Libros Sententiarum*, Venetiis 1597.

SELDENUS Io. *De Iure Naturali et Gentium*, apud Bl. Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*.

SELNECCERUS N. * *Psalterii David*, lib. 5; *Septem Psalmi Poenitentiales ; Historica Oratio von Leben und Wandel des Ehrwürdigen Herrn und Thweren Mannes Gottes D. M. Lutheri ; Paedagogiae Christianae*, Francofurti ad Moenum 1577.

SENECA ANN. * *De Beneficiis*, Venetiis 1675.

SIGONIUS C. *De Republica Atheniensium*, Mediolani 1736.

SLEIDANUS Io. * *De Statu Reipublicae et Religionis Carolo V Caesare*, per Con. Badium 1559 sine loco; typis Simonis a Bosco 1576 sine loco.

SPANGENBERGIUS CONR. * *Theander Lutherus*, Orsel 1593.

STANCARUS F. * *De Trinitate et Mediatore D. N. I. Christo adversus Haereticum Bullingerum*, Cracoviae 1562.

STAPHYLUS F. * *Absoluta Responsio contra Iacobum Schmidelinum*, Coloniae Agrippinae 1592; *Theologiae Lutheranae Trimembris Epitome*, Antuerpiae 1558.

STAPLETONUS ST. *Antidota Evangelica contra Horum Temporum Haereses*, Ludguni, Chappellet 1595.

STOBAEUS * *Sententiae ex Thesauro Graecorum Delectae*, Lugduni 1555.

STRIGELIUS VICT. * Ὑπομνήματα *in Omnes Psalmos Davidis*, Lipsiae 1563 (?).

SUIDAS *Opera Historica*, Basileae 1581.

SURIUS L. * *Commentarius Brevis Rerum in Orbe Gestarum*, Coloniae 1574. 1598.

THOMAS D. * *Summa Theologica*, Patavii, typis Seminarii 1722; *Sententiarum*, Venetiis 1593.

THUCYDIDES *Historia*. Ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot.

TIGURINI THEOLOGI * *Wahrafſte Bekanntnuss der Dieneren der Kirchen zuo Zürich was sy uss Gottes Wort mit der Heiligen Allgemeine Christenlichen Kirchen gloubind und leerind*, Zürych 1545.

TIRINUS IAC. S. I. *Comment. in Evangelium Ioannis*, Venetiis, apud N. Pezzana 1738.

TYCHSEN TH. CHR. *Commentatio quatenus Muhammedes Aliarum Religionum Sectatores toleraverit*, apud *Commentationes Societ. Reg. Scientiarum Gottingensis*, Gottingen 1804.

UGOLINUS BL. *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1745-1758.

URSINI G. *Antiquitates Hebraicae Scholastico-Academicae*, apud Bl. Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, Venetiis 1758.

VACANT-MANGENOT A. E. *Dictionnaire de Théologie Catholique*, Paris 1909 sqq.

VARRO TER. * *De Re Rustica*, Venetiis 1846.

VASEUS IO. * *Rerum Hispaniae Memorabilium Annales*, Coloniae 1577.

VIGOUROUX F. *La Sainte Bible Polyglotte*, Paris 1900-1909.

VIRGILIUS MARO * *Eclogae ; Aeneis*, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

WALDENSIS TH. * *Doctrinale Antiquitatum Fidei Ecclesiae Catholicae*, Venetiis 1571.


WIGANDUS IO. * *De Bonis et Malis Germaniae*, an. 1566 sine loco; *Das Kleine Corpus Doctrinae*, das ist: *Heuptstücke und Summa Christliche Lehere*, Regensburg 1573.

WITTEMBERGENSES THEOLOGI * *Propositiones Complectentes Summam Praecipuorum Capitum Doctrinae Christianae*, Witebergae 1570.

ZWINGLIS HULD. * *Werke*, ed. Schuler-Schultess, Zürich 1830.

XENOPHON * *De Cyri Institutione*. Ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot.

HYPOTYPOSIS
ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII EX ORIGINALI QUARTA PARTE DEMINUTO

LIBER PRIMUS

HYPOTYPOSIS ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRAEAMBULA

OSTENDITUR IAM QUALIS SIT LUTHERANISMUS QUEM NOVO SUO EVANGELIO LUTHERUS IN MUNDO FUNDAVIT QUAM BONOS FILIOS PER EVANGELIUM SUUM GENUERIT QUAM SANCTAM CHRISTIANITATEM ET ECCLESIAM AEDIFICAVERIT FABRICATUSQUE FUERIT [1]

S. Laurentius de lutheranismo acturus incipiendum statuit a sententia Salvatoris; *Omnis arbor*, etc.;

I. Egimus hucusque de Lutheri persona, agendum nunc, Deo duce et auspice, de lutheranismo; opus est manuum ipsius, fructus istius arboris; secta enim Lutheranorum, Lutheri ingenio, industria et labore excitata est. Dicturi itaque de lutherana secta prius quidem generatim, postea per partes suas, incipiendum duximus a sententia Salvatoris, qua ait: *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* [2]

quo loco Dominus loquitur de bonis et malis doctoribus,

Ubi Dominus non loquitur sub metaphoris bonarum et malarum arborum de bonis et malis hominibus generatim, quod non possint homines boni malos aliquando fructus facere, hoc est, peccare, et homines mali nullos penitus possint quandoque fructus bonos facere, hoc est, bene operari, sed illi semper bene, hi autem e contrario semper male operentur, cum et iusti aliquando peccent et peccatores poenitentiam agant; sed loquitur de bonis et malis doctoribus. Ait enim: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,*

1) Cod. 2, f. 151ª-158ᵇ. 2) Mt 7, 17-18.

intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? [3] Et postea, ut indicaret se de hominibus loqui, ait: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos,* [4] hoc est, falsos prophetas, haereticos doctores, magistros perversorum dogmatum, qui sub melle verbi Dei propinant haereseon venena mortifera.

quorum fructus sunt ipsorum discipuli.

Fructus autem proprius doctorum nonnisi doctrina et disciplina in discipulis est, vel ipsi discipuli sunt doctorum fructus. Unde Paulus *ad Corinthios* ait: *Etsi decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* [5] Docet Dominus quod boni magistri tradentes sanae doctrinae optima praecepta discipulos bonos facere solent, sicut bonae arbores bonos fructus suapte natura producunt; e contra vero mali magistri, loquentes docentesque perversa, discipulos malos sibi similes producunt, mali corvi malum ovum, [6] sicut malae arbores nonnisi malos fructus facere possunt.

Loquitur itaque Dominus de catholicis et haereticis doctoribus et de eorum discipulis.

Loquitur itaque Dominus de catholicis et haereticis doctoribus sub similitudinibus bonarum et iniquarum arborum, deque huiusmodi discipulis sub metaphoris bonorum et malorum fructuum. Prophetae Dei, Apostoli Christi, sancti Doctores, Ecclesiae catholicae optimi patres et magistri, tanquam arbores bonae bonos utique fructus produxerunt, doctrina enim et praedicatione sua multos filios Christo pepererunt, sibi fide, moribus, vitaeque sanctitate, et omni virtutum genere perquam similes, sicut Christus, doctorum omnium magister summus, Apostolos sibi simillimos reddidit.

Doctrina divina a sanctis Doctoribus

II. Arbor bona fructus bonos fecit; doctrina enim divina vere sancta, vere catholica a sanctis Doctoribus sancte praedicata igneisque Spiritus linguis tradita, [7] cum illuminet mentem et accendat cor [8]

3) Ibid. vrr. 15-16. 4) Ibid. vrr. 19-20. 5) 1 Cor 4, 15. Vulg.: *Nam si decem.* 6) Apte usurpatur hoc proverbium quoties a malo praeceptore malus discipulus proficiscitur, ex improbo patre improbus filius. Metaphora inde sumpta videtur quod, cum Protagoras, sophistarum magister, et Evathlus eius discipulus coram iudicibus stetissent ad dirimendam litem inter se ortam pro pacta quadam pecunia, et uterque se defendisset sophistarum more; iudices, audita utraque parte, non valentes causam discernere exclamarunt: « Mali corvi malum ovum », et abierunt insoluta lite. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 1536-1538, Venetiis 1591. 7) Cf. Act 2, 3. 8) Cf. Ps 18, 8-10.

tanquam *lucerna ardens et lucens*, sicut de Ioanne Baptista legimus,[9] non potest homines non ad melioris vitae frugem adducere. Cum enim animum ad Dei imaginem et similitudinem conditum[10] illustret clara cognitione boni et mali, inflammetque ardenti amore virtutum et odio vitiorum, Dei causa; gignit in homine non modo fidem, verum etiam spem, caritatem, pacem, concordiam, patientiam, benignitatem, humilitatem, obedientiam et omne divinarum virtutum genus.

tradita ducit homines ad omne virtutum genus;

E contra vero haeretici doctores, cum primis autem haeresiarchae, haereticorum archimandritae, duces ac protoparentes, tanquam arbores malae, fructus nonnisi malos produxerunt, hoc est, perversos discipulos, quos Dominus in parabola zizaniorum dixit[11] *filios nequam* et *scandala* appellavit, quae in consummatione saeculi per Angelos colligenda sunt, colliganda in fasciculos, et *in ignem aeternum*, revera ἄσβεστον πῦρ[12] *inextinguibilem ignem*,[13] mittenda. Compertum natura est quod omnes causae effectus sibi similes generant, ignis ignem, leo leonem, homo hominem. Cum autem haeretici filii sint diaboli, non possunt nisi sibi et diabolo ipsi similes discipulos facere ac veluti filios in doctrina sua procreare. Hinc dicti sunt a Christo *malae arbores*, σαπρὸν δένδρον[14] *arbor putris, cariosa, marcida*, quoniam haeretici *veterem hominem cum actibus suis* minime exuerunt.[15]

haeretici vero doctores, cum sint filii diaboli, discipulos faciunt sibi et diabolo similes.

III. Hinc est quod de malis perversisque haereticorum moribus cum apud sanctos Doctores, tum etiam in Sacris Litteris multa legimus. De his Paulus *ad Timotheum* scribit, dicens: *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa;* et *erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi..., voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita.*[16] Loquitur autem de haereticis, unde subiungit: *Quemadmodum autem Iannes et Mambres restiterunt Moysi..., et hi resistunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient, insipientia enim eorum*

In Scripturis et SS. Patribus multa leguntur de haereticorum moribus. Paulus dicit quod sunt *homines seipsos amantes, cupidi elati*, etc.;

9) Io 5, 35.
10) Cf. Gn 1, 26.
11) Cf. Mt 13, 36-42.
12) Ms.: Ασβεστον πυρ.
13) Cf. Mt 3, 12; Lc 3, 17.
14) Ms.: Σαπρον δενδρον.
15) Cf. Col 3, 9.
16) 2 Tim 3, 1-5.

manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.[17] Ad vivum, copiose et graphice hic Paulus descripsit haereticorum mores et ἀταξίαν.[18]

Petrus vero quod sunt *magistri mendaces, falsi doctores*, introducentes sectas perditionis, etc.;

Nec minus copiose Petrus in sua posteriore epistola, dicens: *Fuerunt vero in populo pseudoprophetae, sicut et in vobis erunt magistri mendaces*, hoc est, *falsi doctores* ut graece est, *qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant*,[19] non quidem verbis, sed factis; sicut Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*[20] Nam haeretici verborum quidem sonitu Christum expresse non negant; sed dum erroribus haeresibusque disseminatis fidem veram, per quam Christus in nobis habitat,[21] corrumpunt et perdunt, verissime abnegant.

per quos via veritatis blasphemabitur, etc.;

Subiungit: *Et multi sequentur eorum luxurias*, ἀσελγείαις[22] *lascivias, impudicitias, per quos via veritatis*, hoc est, vera fides et religio catholica, *blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*,[23] hoc est, ut Paulus *ad Titum* ait, *docentes quae non oportet turpis lucri gratia.*[24] Postea addit quod *post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt*,[25] graece δόξας[26] *glorias, dignitates*, hoc est, eos, qui in gradu honoris et gloriae in dignitate constituti sunt, non verentur; *blasphemantes*, non modo non venerantur, ut par est, aut verentur, sed conviciis incessunt.

blasphemantes in his quae ignorant, perituri in sua corruptione,

Praeterea inquit: *Hi... velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem*, sive *corruptionem*,[27] *in his quae ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiae.*[28] Similes, inquit, sunt brutis animalibus, quae capiuntur et ducuntur ad lanienam, ad carnificinam, ut mactentur necenturque, sicut Salomon ait de homine qui, irretitus sermonibus et blanditiis meretricis, est sicut bos ductus ad victimam, ad macellum, ad lanienam.[29]

voluptatum

Voluptatem existimantes diei delicias; coinquinationes et maculae.[30] Haereticos dicit inquinamenta et maculas, quoniam alios maculant et coinquinant, cum sint ipsi, ut Paulus ait, *voluptatum ama-*

17) Ibid. vrr. 8-9. 18) Ms.: Αταξιαν. Est carentia disciplinae et rectitudinis, et apud Hagiographos significat haereticos, qui, traditiones maiorum spernentes, extra ecclesiasticam disciplinam ambulant. Cf. 2 Thess 3, 6-7. 11. 19) 2, 1. Vulg.: *Pseudoprophetae in populo.* 20) Tit 1, 16. 21) Cf. Eph 3, 17. 22) Ms.: Ασελγειαις. 23) 2 Petr 2, 2-3. 24) 1, 11. 25) 2 Petr 2, 10. 26) Ms.: Δοξας. 27) Ms.: *Corruptione.* 28) 2 Petr 2, 12-13. 29) Cf. Prv 7, 21-22. 30) 2 Petr 2, 13.

tores, magis quam Dei;[31] hoc est, quod Petrus ait: *Voluptatem existimantes diei delicias.*[32] Per hyperbolen loquitur, felices beatosque se existimant si vel per diem ipsis deliciari contingat et voluptate etiam brevissima frui.

Hinc sequitur: *Deliciis affluentes in conviviis suis*, vel, ut graece est, *in erroribus suis luxuriantes..., oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum* in *avaritia habentes, maledictionis filii; derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Baal ex Bosor*, etc. Et insuper: *Hi sunt fontes sine aqua..., nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriae eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur*, sive, ut graece est, *in errore versatos.*[33] Subvertunt enim haeretici eos, qui ab erroribus ad veritatem conversi sunt, *libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis.*[34]

et deliciarum amatores, *luxuriantes in erroribus suis*, etc.;

fontes sine aqua, superba loquentes, etc.

Quam multus esse voluit sanctissimus Apostolorum Coryphaeus et secundum Christum princeps pastorum, cui Christus oves suas tam serio concreditas commendavit,[35] in haereticis, hoc est, lupis rapacibus, notandis, describendis, suisque coloribus ad vivum et naturale depingendis! Res enim magni momenti est haereticos probe nosse.

Fuse describit Petrus haereticos, quia res magni momenti.

IV. Similia autem ac prope prorsus eadem scribit Iudas apostolus in sua epistola, qua fideles omnes hortatur, ut persistant in fide, quae semel tradita sanctis est,[36] eamque adversus haereticos propugnent. *Subintroierunt enim*, inquit, *quidam homines, qui olim praescripti sunt in hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem... Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*[37] Haereticos, fidem in communem salutem semel traditam sanctis maioribus nostris negantes et impugnantes, Deum Christumque negare dicit, et gratiam Dei in luxuriam, hoc est, in libertatem carnis convertere. Unde etiam ait quod haeretici *carnem maculant* et insuper *dominationem... spernunt, maiestatem autem*, graece δόξαν,[38]

Iudas dicit quod sunt homines, impii, Christi negatores, etc.;

31) 2 Tim 3, 4.
32) 2 Petr 2, 13-15. Vulg.: *Balaam.*
33) Ibid. vv. 17-18.
34) Ibid. vr. 19.
35) Cf. Io 21, 15-17.
36) Cf. vr. 3.
37) Ibid. vr. 4.
38) Ms.: Δοξαν.

qua voce usus fuit Petrus, *blasphemant;*[39] et item *quod quaecumque... ignorant blasphemant, quaecumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*[40] Similes cum Petro facit Balaamo, sed et Caino et Core: *Vae his qui in viam Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt et in contradictione Core perierunt!*[41]

voluptatum et deliciarum amatores in conviviis, luxuriose loquentes, etc.;

Notat etiam voluptatum et deliciarum. *Hi sunt in epulis suis* ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν[42] *in agapis vestris,* – convivia quae olim fiebant inter christianos confirmandae vel exercendae caritaris gratia, maxime vero quae pauperibus refocillandis exhibebantur multis publica, dicebantur agapes, caritas, dilectio; Tertullianus in *Apologetico* appellat[43] « fraterna ecclesiastici coetus convivia », has hic dicit Iudas epulas; *hi sunt in epulis... maculae,* sicut Petrus eosdem inquinamenta, et maculas appellavit,[44] quamquam graece non sit hic σπῖλοι[45] *macula, labes,* sed pro σπῖλοι positum est σπιλάδες, quae vox Graecis[46] *scopulos* significat *saxaque* in mari confragrosa rupesque cavernosas, quae sub aquis maris delitescentes naufragium afferre solent incaute navigantibus, sed σπιλάς pro σπῖλος positum esse existimo, nam *spilos* graece et *maculam, inquinamentum* et *scopulum* [significat]; – *sunt,* inquit, *in conviviis vestris* haeretici, qui sub christiano nomine simulata amicitia ad vestra convivia christianasque coenas publice exhibita conveniunt, *labes* et *inquinamentum, convivantes* vobis et *semetipsos sine timore pascentes,*[46a] hoc est, intrepide, secure, tanquam cum amicis et fratribus vobiscum convivantur, et dum seipsos secure pascunt, vos maculant. Solent enim in conviviis misceri colloquia, quod facientes haeretici, dum turpes errores evomunt, christianas mensas conspurcant, audientiumque mentes et animos facile commaculant.

nubes sine aqua, arbores infructuosae, murmuratores, etc.;

Dicit praeterea haereticos *nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosas, eradicatas, bis mortuas, sidera errantia, fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Dicit quod *sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et*

39) Iud 8. 40) Ibid. vr. 10. 41) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Vae illis.* 42) Ms.: Εν ταις αγαπαις υμων. 43) Cp. 39, (P. L. 1, 471-477). 44) 2 Petr 2, 13. 45) Ms.: Σπιλοι et σπιλαδες. Ita et infra. 46) Cf. Homerus *Odyss.* lib. 3, vr. 298; lib. 5, vr. 401; Henr. Stephanus *Thesaurus Graecae Linguae* sub h. v. 46a) Iud 12. Vulg.: *Convivantes sine timore, semetipsos pascentes,*

os eorum loquitur superba, mirantes personas quaestus causa; [47] item quod, iuxta praedictiones Sanctorum Apostolorum Christi, qui dicebant quod *in novissimis diebus venient illusores, secundum sua desideria ambulantes in impietatibus, hi sunt qui segregant seipsos, animales, spiritum non habentes.* [48]

Tandem D. Apostolus exhortationem subiungit, cedro auroque dignissimam: *Vos autem, carissimi, superaedificantes vos ipsos sanctissimae vestrae fidei in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos quidem arguite iudicatos,* graece est, *commiseramini diiudicantes; illos vero salvate de igne rapientes..., odientes... eam quae carnalis est maculatam tunicam.* [49] Vitam haereticorum dicit tunicam ex carne maculatam, ac propterea odio habendam, sed tamen satagendum, ut quos possumus de igne ereptos salvemus. Ignem dicit statum damnationis, nam *qui... non credit iam iudicatus est.* [50]

arguendi autem sunt, ne pereant.

Non possum sane non mirari Apostolorum in describendis haereticorum moribus pene morosam diligentiam. Quid tam multis opus erat? Sed tanta adhibita diligentia viri, Spiritu Sancto pleni, ostendunt haeresim, tanquam perniciosissimam pestem, rem esse plenam summi maximique periculi, ac propterea summo studio et longe maxima diligentia notandos esse haereticos homines maxime pestilentes, ut facilius internosci et praecaveri possint omnibus, qui revera sunt salutis suae amantes. Propterea et nos hac in re nolumus esse breviores.

Haec Apostolorum diligentia in describendis haereticis ostendit, quam perniciosa sit haeresis.

V. Ex antiquis Patribus multi multa scripserunt de moribus haereticorum, qui in eos suos calamos exacuerunt et perstrinxerunt, maxime vero omnium antiquissimus Tertullianus in libro *De Praescriptionibus adversus Haereticos,* praesertim *nona* [51] *Praescriptione,* quae ab ipsorum moribus et conversatione sumpta est. Ex quo nonnulla hic adnotare libet, quae Novatoribus nostris adamussim conveniunt congruuntque: «Non omittam, inquit, [52] ipsius conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae con-

Etiam Patres multa scripserunt de moribus haereticorum, praesertim Tertullianus in suis *Praescriptionibus,* ubi haereticos notat futilis conversationis;

47) Iud 12-16. Vulg.: *Infructuosae, bis mortuae, eradicatae. fluctus...., sidera errantia.*
48) Ibid. vrr. 17-19. Vulg.: *In novissimo tempore... semetipsos.* 49) Ibid. vrr. 20-23.
50) Io 3, 18. 51) Ms.: *Decima.* 52) Cp. 41, (P. L. 2, 56).

gruens ». Notandum hoc quod ait : « Ut fidei suae congruens ». Ac deinde non multo post : [53] « Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest ; doctrinae index disciplina est ». Alludere enim videtur ad illud : *A fructibus eorum cognoscetis eos ;* a fructibus nanque cognoscitur arbor, ubi vere dixit conversationem haereticorum sine disciplina esse, ut fidei suae congruentem. Ait : [54] « In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est ; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant ».

prostrationis disciplinae, conspirationis in catholicam veritatem;

Notat in haereticis prostrationem disciplinae et cum hostibus conspirationem ac syncretismum adversus catholicam veritatem, dicens : [55] « Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cuius penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent : nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent ». Heu quam verum et quam vere experimur hodie coniurationem hanc haereticorum inter se maxime dissidentium, cum primis vero Lutheranorum et Calvinistarum, adversus sacrosanctam veritatem avitamque pietatem Catholicorum !

superbiae et perturbationis ecclesiastici ordinis;

Notat in eis superbiam : « Omnes, inquit, [56] tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni quam edocti », hoc est, prius magistri divinarum rerum quam discipuli. « Ipsae, inquit, mulieres haereticae quam procaces, quae audeant docere, contendere », hoc est, disputare et publica ministeria in Ecclesia agere ! Notat perturbationem ecclesiastici ordinis, inquiens : [57] « Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. Nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos, nunc etiam apostatas nostros. Itemque alius hodie episcopus, cras alius ; hodie diaconus, cras lector ; hodie presbyter, qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt ». Nostros sectarios visus hic T e r t u l l i a n u s est acu tangere, potius quam digito indicare.

perversionis in administratione verbi Dei ad christianos evertendos;

Sequitur autem de haereticorum ἀταξία [58] in administratione verbi, ita loquens : [59] « De verbi autem administratione quid dicam, cum hoc sit illis negotium non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi ? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur ; quoniam et ipsum opus eorum

53) Cp. 43, ibid. col. 58.
54) Cp. 41, ibid. col. 56.
55) Ibid.
56) Ibid.
57) Ibid. col. 56-57.
58) Ms.: Ατaξια.
59) Cp. 42, ibid. col. 57.

non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent; ita, inquit, fit ut ruinas facilius operentur stantium aedificiorum, quam extructionem iacentium ruinarum ».

Notat [60] etiam haereticorum intestina dissidia, quibus a regulis suis etiam inter se variant, de quibus nobis cum alio loco dicendum sit, favente Deo, notationem hanc in praesentiarum praeterimus. Unum tantum adhuc ex Tertulliano adiiciam ex aliis multis quae in hanc rem scripsit, nempe quod haeretici Deum timendum negant: « Itaque, inquit, [61] libera sunt illis omnia et soluta. Sed ubi, inquit, non timetur Deus, nisi ubi non est? Ubi autem Deus non est, nec veritas ulla est; ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est ».

notat insuper eorum intestina dissidia, et maxime quod Deum timendum negant.

VI. Ita sane apud Novatores nostros, maxime vero Lutheranos, per suam specialem fidem, neglecto prorsus, imo abiecto et conculcato Dei timore, divinaeque irae metu aeterna oblivione sepulto, summa cum licentia pro suo arbitratu, pro sua libidine vivunt, autumantes nihil sibi ad salutem periculi accidere posse, modo credant, profanamque licentiam et libertatem carnis christianam et evangelicam libertatem, Luthero magistro, arbitrantur.

Quod maxime cernitur apud Lutheranos qui, abiecto timore Dei, per suam fidem specialem summa licentia vivunt, praeeunte Luthero.

Huiuscemodi enim libertatis strenuum se praebuit buccinatorem; ad hanc enim militari tuba classicum cecinit, [62] et, ut confidentiores haberet milites, ducem optimum egit. Primus ipse vestigia signavit, atque ad sacrum hoc bellum ante omnes praeivit, factusque omnium divinarum humanarumque legum refuga insignissimus omnium, *vir Belial... absque* omni *iugo*, [63] esse constituit. Sic introduxit sectam perditionis, et multi secuti sunt ipsius luxuriam liberrimamque vivendi licentiam.

huiusmodi libertatis buccinatore.

VII. Istam Lutheri sectam, hoc est, multitudinem hominum qui secuti sunt et sequuntur ipsius luxuriam, impudicitiam, vivendi li-

Exponitur quae sit

60) Ibid. col. 58. 61) Cp. 43, ibid. 62) Tibicinum, cornicinum, buccinatorum, liticinum usus erat in Romana militia pro diversis signis dandis. Primum pugnae signum videtur buccina datum fuisse, denuntiante sollicitudinem proelii; mox respondebant tibicines et cornicines per cohortes et turmas; tum, sub ipsum proelii initium, universi ubique concinebant. Hoc vocatur classicum canere. Cf. C. C. Sallustii *Catilinarium et Iugurthinum Bellum*, G. Ferrarii diligentia illustratum, pag.155, not. 3, Bassani 1776. 63) Idc 19, 22. Vulg.: *Filii Belial.*

Lutheri secta ex multorum etiam haereticorum iudicio.

centiam sub specioso evangelismi nomine sese venditantem, qualis qualis sit multorum etiam haereticorum iudicio nunc dicendum, cum primis autem qualis in suo exortu, qualis, quam pulcra facie, quamque bene ornata nova ista ecclesia apparuerit et suo etiam ipsius auctori et parenti visa fuerit.

Georgius, dux Saxoniae, ait Wittembergam factam esse per Lutherum arcem apostatarum;

Et quidem qualis visa fuerit Catholicis, testis esse potest, ut innumeros praetermittam, religiosissimus princeps Georgius, dux Saxoniae serenissimus, in epistola quadam *ad* ipsum *Lutherum* data, [64] quam Ioannes Cochlaeus magna ex parte refert in *Actis Lutheri*, [65] ubi post multa sic loquitur: « Ad haec Wittembergae quoddam instituisti asylum, ut omnes monachi et moniales, qui nobis templa ac monasteria nostra depraedantur furtis ac direptionibus, apud te habeant refugium ac receptaculum, perinde ac si Wittemberga foret civiliter nominanda arx quaedam communis omnium apostatarum provinciae nostrae ».

numeratque fructus ex Lutheri evangelio ortos: blasphemias, sacrilegia, rebelliones, etc.

Et nonnullis interpositis: « Affirmare item, inquit, [66] possumus nobis evangelium tuum curae parum esse, cum sit a capitibus christianitatis pro reprobo iudicatum. Id unum curavimus, ut ne a nostris acceptaretur pro virili praecaveremus. Ad hoc nobis causas dedere mali fructus inde producti, neque enim tu, neque alius quisquam vere dicere potest aliud quam blasphemiam sancti Venerabilis Sacramenti, Sanctissimae Dei Genitricis omniumque Sanctorum, ex tua doctrina originem habere, ex tua enim tuorumque discipulorum doctrina omnes antiquae ac reprobatae haereses renovantur, omnis Dei cultus honestus aboletur, quod sane a temporibus usque Sergii tam late nunquam factum est. Quando plura facta sunt sacrilegia Deo consecratarum personarum, quam post productum evangelium tuum? Quando plures, rogo, factae sunt rebelliones contra superiores, quam factae sunt ex evangelio tuo? Quando plures factae sunt depraedationes sacrarum domuum, quando plures factae sunt rapinae et furta, quando plures Wittembergae fuerunt excucullati apostatae, monachi ac moniales, quam nunc sunt? Quando maritis ademptae sunt uxores aliisque traditae, quam quod nunc in tuo reperitur evangelio? Quando plura facta sunt adulteria, nisi postquam tu scripsisti: Si mulier a viro

64) W. G. t. 9, f. 231b-233b. 65) An. 1526, pag. 128; W. G. t. 9, f. 232a.
66) Ibid. pag. 128-129; W. G. t. 9, f. 232b-233a.

suo fecundari nequeat, ut ad alium transeat a quo fecundetur, et vir fetum illum alere teneatur; et contra vir itidem quoque faciat? Haec tuum evangelium, quod sub scamno latens produxisti, attulit». Haec et id genus alia non pauca scripsit *ad Lutherum* serenissimus et religiosissimus princeps de fructibus lutherici evangelii.

VIII. Nec dissimilis formae visa fuit lutherana ecclesia Henrico VIII Angliae regi,[67] ut testatum fecit in quadam epistola *ad duces Saxoniae*, quae legitur, licet non integra, apud Cochlaeum in *Actis Lutheri*, ubi inter cetera ita scribit:[68] «Luthero novum non est omnia comminisci ac fingere, quibus in odium principum scelerate concitet atque extimulet populum, in quod negotium promovendum sceleratorum hominum catervam iamdudum contraxit atque adiunxit sibi. Itaque nulla unquam factio fuit ita seditiosa, pestilens, nefaria, quae sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores bonos corrumpere, respublicas omnes evertere machinata sit, ut nunc ista coniuratio lutherana, quae et sacra omnia profanat et profana contaminat, quae ita Christum praedicat, ut eius sacramenta conculcet, ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem destruat, ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, ita misericordiam sublevat, ut iustitiam deprimat, et malorum omnium causam inevitabilem non in deum aliquem malum, quod Manichaei commenti sunt, sed in unicum illum vere bonum reiiciat». Multaque alia his affinia et consanguinea scribit in ea epistola de nova ista Lutheri [ecclesia] rex Henricus.

Henricus, Angliae rex, dicit nullam esse factionem tam seditiosam et nefariam, quam lutheranam.

IX. Post quem Erasmus Roterodamus, Lutheri synchronos et aliquando etiam amicus fautorque, cum novi istius evangelii crepundia ponerentur,[69] postea successu temporis rei veritate comperta, quid de novo isto evangelismo sentiret sentiendumque esset indicavit. In libro enim, quem *Hyperaspisten* inscripsit, pro defensione suae *Diatribae*, quam ad asserendum liberum arbitrium scripserat in Lutherum, ita libere dicit:[70] «Obsecutus es, – Lutherum

Erasmus Roterodamus ait Lutherum sua doctrina movisse seditiones usque ad stragem.

67) Ms.: *Tertio.* 68) An. 1523, pag. 69-70. 69) Cf. epist. *ad Fridericum ducem Saxoniae*, W. L. t. 1, f. 236ᵃ-237ᵇ. 70) Op. Omn. t. 10, lib. 1, col. 1250.

alloquitur, – fratribus, inter quos scio permultos esse, quorum mores procul absunt ab evangelio, cuius titulo sese venditant ». Et postea : [71] « Habemus, inquit, fructus tui spiritus, res usque ad cruentam stragem progressa est, et metuimus atrociora, ni Deus propitiatus averterit ». Itemque : [72] « Iam compertum est multos, qui se iactabant evangelii nomine, fuisse seditionis crudelissimae instigatores ».

ac talem morum corruptionem, quae nec apud ethnicos extitit.

Multo clarius autem in libro, quem post *Hyperaspisten* in eandem rem scripsit, manifestat quale sit evangelium Lutheri, dicens : [73] « Quale est evangelium quod recipit tales, quales nimium multos novimus, quod agnoscit decoctorem, scortis, alea, commessationibus, ocio luxuque perditum, nihilque sibi non permittentem ? » Et nonnullis interiectis : « Talibus, inquit, [74] est locus in novo evangelio, quibus apud ethnicos in civitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata ; quid refert de factis, modo adsit fides ? Fateor, olim et tales recipiebat Evangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeo non corriguntur per evangelium, ut potius videantur deteriores, nec fit ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius ». Idem Erasmus in epistola quadam *ad Vulturium* hac de re ita loquitur : [75] « Circumspice populum istum evangelicum, et considera num minus illis indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciant ii, quos detestamini. Proferte mihi quem istud evangelium ex commessatore sobrium, ex feroce mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores ».

Idem affirmat Martinus Bucerus;

X. Huic autem Erasmi testificationi de novo Lutheri evangelio Martinus Bucerus, inter nostri huius saeculi dogmatistas non ignobilis, testimonium dat admodum conforme, dicens : [76] « Maxima eorum pars visa est id tantum ex evangelio Christi petiisse, ut iugum qualiscumque disciplinae, poenitentiae et religionis universae, quae in papatu reliqua fuit, abiicerent, proque carnis suae arbitrio

71) Ibid. col. 1256. 72) Ibid. 73) *Hyperaspistes Diatribae*, lib. 2, ibid. col. 1483. S. Laurentius hunc secundum librum post *Hyperaspisten* scriptum dicit, quod post editionem primi ab Erasmo confectus fuit. Cf. *Praefat.* ipsius Erasmi *ad secundum librum.* 74) Ibid. 75) Ibid. col. 1578. 76) Martini Buceri *Scripta Anglicana* fere omnia. *De Regno Christi*, lib. 1, cp. 4, pag. 23-24, Basileae 1577. Textus huius editionis in initio quadantenus differt a citatione S. Laurentii: « Maxima eorum pars visa est eo modo ex evangelio Christi petiisse: primum ut antichristi Romani et pseudoepiscoporum tyrannidem a se depellerent, deinde ut iugum », etc.

ac libidine instituerent agerentque omnia. Tum non ingratum iis fuit audire iustificari nos fide in Christum, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Non pauci eorum qualemcumque evangelii praedicationem eo tantum receperunt, ut in opes invaderent ecclesiasticas». Illustre sane et honorificum ad probandam novi evangelismi longe mirabilem sanctitatem in cultum Veneris, Bacchi, Plutonis.

Calvinus etiam et Theodorus Beza in Lutheranos invecti sunt.

Audiendus praeterea nobis Ioannes Calvinus, vir tanti nominis inter haeresiarchas, ut sciamus quid de Lutheri ecclesia senserit. Calvinus itaque *Admonitione Tertia ad Ioachimum Westphalum* de Lutheranis ita pronunciat:[77] «Lutherani, inquit, homines sunt vertiginosi, cyclopes, superba factio gigantum, frenetici, bestiae prodigiosae, caeci, desperate impudentes, nihil aliud quam falsarii et improbi calumniatores, protervi plus satis, bardi et fastuosi et simul ita ignari, ut quod pueris in catechismo traditur, id eorum veterani theologi ignorent, bruti homines, nec guttam ingenui pudoris habentes», etc. Theodorus Beza, magistri sui Calvini vestigia imitatus, non paucioribus, multo vero illustrioribus titulis, maxime vero *in Heshusium* scribens, Lutheranos exornavit.[78]

Ipsi Lutherani de sua ecclesia male locuti sunt. A. Musculus dicit Lutheranos esse ingentem nebulonum, turbulentium et fallacium turbam;

XI. Sed ad Lutheranos ipsos veniendum est, videndumque quid de sua ipsorum ecclesia sibi ipsis visum fuerit. Accedat itaque Andreas Musculus, egregius lutheranus; e suggestu pro concione hac de re ita pronunciavit:[79] «Cum nobis Lutheranis in hoc tempore ita agitur, ut si quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, foeneratorum, civitatem aliquam adeat, in qua evangelium pure praedicatur, lutherana scilicet puritate; catervatim ibi tales reperiet. Nam meridiana luce clarius est quod hominum effrenatorum et indomitorum, apud quos omnis virtus et honestas penitus extincta est, et apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures, ne quidem apud ethnicos, Turcas

77) Op. Omn. t. 8, pag. 685-686, 698-719 passim, Amstelodami apud Io. Schipper 1667.

78) *Tractationum Theologicarum*, vol. 1, Κρεωφαγία sive *Cyclops*. Dialogus *De Vera Communicatione Corporis et Sanguinis Domini adversus Tilmanni Heshusii Commenta* passim, speciatim vero pag. 296 sqq. Genevae 1570. Revera totus liber invectivis violentissimis scatet. Non potuimus inspicere editionem an. 1561, quae violentiora continere videtur. Etenim suasum est auctori, ut aliqua corrigeret, et titulus etiam mutatus fuit. Cf. Schlüsselburgius *Theologiae Calvinistarum* libri tres, lib. 1, f. 2ᵃ-3ᵇ, Francofurti ad Moenum 1592.

79) *Concio Dominicae Primae Adventus*. Nullibi invenire potuimus hoc opus ab Auctore citatum, aut aliquod simile.

et alios infideles, quam apud evangelicos, apud quos omnia diabolo frena laxata sunt, reperiantur ». *Testimonium* hoc *verum est,* [80] et rem acu tetigit Musculus, causamque praecipuam indicavit, propter quam Lutherani peiores sint ethnicis, quoniam apud ipsos pro peccato nihil reputatur ex Lutheri doctrina, nisi una tantum incredulitas.

Io. Wigandus ait iuventutem evangelicorum fieri quotidie deteriorem, etc.

Ioannes Wigandus in libro *De Bonis et Malis Germaniae* non minus illustre hac de re testimonium exhibet, inter cetera sic dicens: [81] iuventutem evangelicorum quotidie fieri deteriorem, intractabiliorem, eaque vitia audere perpetrare quibus olim adulti vix erant obnoxii, resonare tristes querelas passim de iuventutis petulantia et malitia; ita ut incorrigibilis plane videatur. Tribuit illis effrenem et inauditam petulantiam et maledicentiam, qua a prosopolatris imbuta, magis atque magis quotidie furere, dira convicia in ecclesiae doctores evomere, foedo obscena, crudelia, impia et scelerata scripta, pasquillas et picturas effundere, certare inter se impudentissimis mendaciis confingendis, qualia diabolos ipsos puderet proferre, et ut quisquis in his artibus magis excellit, ita suis praeceptoribus esse gratiorem et ad maiores honores evehi. Insigne admodum est hoc novi evangelismi encomium atque praeconium, quod iuventus evangelica sit ipsis etiam diabolis impudentior.

P. Eberus dicit evangelicos scatere schismatibus, abusu libertatis, etc.

Paulus Eberus in *Praefatione Commentariorum* Philippi Melanchthonis *in Epistolam ad Corinthios:* « Universa, inquit, [82] nostra congregatio evangelica tot schismatibus et offendiculis scatet, ut nihil minus sit quam quod se esse gloriatur. Si ad evangelicos doctores spectes, vides quod illorum alii vana gloria, et invido zelo et praeiudicio permoti, veram doctrinam turbant, falsam propagant et mordicus tuentur, etc. E regione si hic evangelicos auditores intuearis, vides summa reprehensione dignum abusum religionis et libertatis christianae, contemptum et omissionem ecclesiastici ministerii, multas impuras disputationes, abalienationem bonorum ecclesiasticorum, ingratitudinem erga pios verbi Dei ministros, neglectum omnis disciplinae, effrenem contumaciam adolescentiae, omnia convicia pleno copiae cornu effundi et uberes fructus ferre. Quae mala, cum quisque propriis oculis intuetur, merito dubitat an noster evangelicus coetus

80) Io 21, 24. 81) Pag. 73-74, quasi ad verbum. Ed. an. 1566 sine loco.
82) Inter opera Melanchthonis, part. 4, pag. 211-212, Witebergae 1577.

vera sit ecclesia, in qua tot sunt schismata et dissidia, in qua tot et tam enormia vitia conspiciuntur ».

Schmidelinus fatetur quod apud Germanos nulla fit morum emendatio, sed cernitur horrenda vita;

XII. Sed forte dicet quis: Non sunt magni nominis vel auctoritatis apud Lutheranos testes adducti. Accedat igitur Iacobus Andräae Schmidelinus, qui non ita pridem vita functus est, magnus ac pene summus Lutheranorum antistes ac veluti papa. Tantus autem *magister in Israel*[83] hac de re tale testimonium tulit, dicens:[84] « Altera pars et turba Germanorum suum quidem locum verbo Dei ut praedicetur tribuit, nulla vero sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, epicurea, bestialis eorum vita cernitur in conversationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis et divini nominis profanationibus sive blasphemiis, qua in parte volunt aeque libere et impune peccare sicut papistae in sua idololatria. Mandat serio Deus in verbo suo et a suis christianis requirit seriam et christianam disciplinam; haec vero apud nos novus papatus novusque monachismus existimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modo per solam fidem in Christum salvari, qui sua morte pro peccatis omnibus satisfecit, nos vero satisfacere non possumus nostris ieiuniis, eleemosynis, precationibus ac aliis operibus. Quam ob rem sine, et permitte ut huiusmodi opera missa faciamus, cum per Christum alioquin salvari possimus, et solum gratia Dei Christique meritis nitamur, atque ut totus mundus cognoscat eos non esse papistas nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunii loco potationibus et commessationibus nocte dieque vacant, ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt et excoriant, praecationes vertunt in iuramenta, blasphemias et divini Nominis execrationes, idque tam perdite, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis tantopere blasphemetur, etc. Atque, inquit, hoc universum vitae genus ab illis evangelicum dicitur institutum ». Agnoscit itaque et confitetur Schmidelinus novi evangelismi insigne,[85] adeo ut

quod ipsi dent operam potationibus, commessationibus et pauperum expilationibus et blasphemiis.

83) Io 3, 10. 84) *Concio 4 ad cp. 2 Lucae* citata ab Auctore. Vidimus Schmidelini opus: *Drey und Dreissig Predigten von den Fürnemmsten Spaltungen in der Christlichen Religion*, Tubingen 1573. In *Concione 2*, part. 2, explicantur Lc. 2; in *Concione 4*, part. 1, conqueritur de Lutheranis, quod non secundum novum evangelium ambulent. In opere *Fünf Predigten von den Werck der Concordien*, Tubingae 1580, *Concione 4*, dicit quod Lutherani Lutherum in doctrina et moribus minime imitantur. Sed verba a S. Laurentio relata in his operibus desiderantur.
85) Ms.: *Insignem*.

dicat quod ne ab ipsis quidem Turcis Christus tam perdite blasphemetur atque ab evangelicis.

Ph. Melanchthon ait apud suos studium impendi conviviis et ebrietatibus.

Sed adhuc audiendus nobis est Philippus Melanchthon, qui fundationis novae istius ecclesiae pars magna fuit. Is *in Matthaeum* scribens : [86] « Loquitur res ipsa, ait, in his regionibus omne fere studium conviviorum apparatibus et ebrietati atque immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est nos a Deo variis modis puniri, ut incendio, bellis et convulsionibus atque confusionibus regiminum, seu politiarum, propter belluinam istam ventris ingluviem et heluandi perpotandique consuetudinem, etc. Adeo delectantur immunditia, sordibus et illuvie, ut in morem suis lutulentae quaslibet res, panem, carnes et id genus corrumpere et contaminare soleant ». Vivunt igitur, Philippo teste, in regionibus novi istius evangelii homines in modum lutulentae suis, dediti belluinae ventris ingluviei.

Ipse Lutherus dicit quod, audito suo evangelio, multi peiores fiunt quam antea,

XIII. Maxime vero omnium Lutherus, novi istius templi architectus et fundator primarius, conveniendus audiendusque est quid de sua ista ecclesia pronunciet et dicat, ipsum enim non testem volumus, sed iudicem e tribunali pronunciantem et ferentem sententiam. In sua *Expositione Psalmi : Miserere mei, Deus,* ad versum secundum: [87] *Amplius lava me ab iniquitate mea,* ait [88] quod « omnia quasi membra suis vitiis laborant contra legem Dei ». Et : [89] « Periculum est, inquit, ne vitia ista grandescant et nos trahant in veterem impietatem, sicut plurima exempla nostrorum hominum docent, qui nunc, audito evangelio, longe sunt peiores quam antea ». In *Commentario Posteriori Epistolae ad Galatas* super illud capitis 5 : *Vos... in libertatem vocati estis..., tantum ne libertatem* vestram, [90] etc. : « Maior pars hominum, ait, [91] carnaliter intelligit doctrinam de fide, et libertatem spiritus in libertatem carnis rapit. Hoc cernere est hodie in omnibus vitae generibus, omnes iactant se esse evangelicos, iactant christianam libertatem, et tamen interim obsequentes cupiditatibus convertuntur ad avaritiam, voluptates, superbiam, invidiam, etc. Ea indignitas nonnunquam adeo impatientem me facit, ut saepe optem eiusmodi porcos, qui margaritas pedibus conculcant, [92] esse sub tyrannide Papae.

quod libertatem spiritus rapiunt in libertatem carnis,

86) Part. 3, f. 343b–344a. 87) Ps 50, 2. 88) W. L. t. 3, f. 511. 89) Ibid. f. 512.
90) Gal 4, 13. 91) W. L. t. 5, f. 413. 92) Cf. Mt 7, 16.

Impossibile enim est huiusmodi populum Gomorrhae [93] evangelio pacis [94] regi ».

quod mundus evasit deterior, quam antea sub papatu.

Idem **Lutherus** in *Concione* quadam de Lutheranis suis ita pronunciavit, dicens: [95] « Mundus de die in diem multo deterior evadit, quod pessimus daemon operatur. Enimvero videmus quod hoc tempore homines sint multo peiores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores quam antea unquam in papatu fuerunt ». Et in alia quadam *Concione:* « Antea, inquit, [96] cum ad Pontificis seductionem et falsum Dei cultum cogeremur ad bene operandum, quilibet ultro sequebatur. Nunc quisque nihil aliud dicit, nihil novit quam iniquis exactionibus, manifestis rapinis, furtis, mendaciis, usuris omnia ad se transferre. Tam insigniter maligni fieri coguntur homines in gratiam evangelii, cuius virtute ex captivitate Pontificis in libertatem asserti sunt, ita ut non amplius humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerint, quibus non sufficit adhuc quod de evangelio participent et inde saginentur, quando bona ecclesiastica depraedantur et furantur ».

Deo auctore factum est ut Lutherus suam ecclesiam damnaverit; Apostoli nunquam christianam Ecclesiam gentilismo peiorem dixerunt.

Quid igitur sunt Lutherani per novum evangelium in antichristo geniti, **Luthero** auctore? Homines multo peiores quam essent sub papatu, qui non humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerunt.

Multa alia his aequalia possem ex Luthero huc afferre, sed, ut ille ait,

« sat prata biberunt », [97]

licet non ab re forsitan foret. Non enim nisi Deo auctore factum existimare possum, ut **Lutherus** ipse tam ignominiosis notis Lutheranos suos aspergeret et a se fundatam ecclesiam talibus pronunciatis damnaret. Quis enim Apostolorum unquam christianam ecclesiam, quam secundum Christum ipsi fundaverant atque plantaverant, damnavit, ut gentilismo peiorem dixerit? Arguit quidem **Paulus** Corinthios, quod inter ipsos reperiretur *fornicatio, et fornicatio talis qualis nec inter infideles,* [98] sed propter unius tantum hominis deli-

93) Cf. Is 1, 10. 94) Cf. Eph 6, 15. 95) *Iehnische Hauspostill...* aus M. Georgen Rösers auffgefast, etc. f. 6ᵇ, Ihena 1597. 96) *Kirchenpostille*, t. 2 *Von Oster bis Advent*, f. 379, Wittenberg 1549. 97) Virgilius *Ecloga 3*, vr. 111.
98) 1 Cor 5, 1. Vulg.: *Et talis fornicatio qualis nec inter gentes.*

ctum. Cuius rei causa hominem illum satanae tradidit *in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret.* [99] Sed nunquam dixit christianos peiores ethnicis esse, sicut Lutherus de Lutheranis suis dicit, quod diabolico more omnem misericordiam exuerint.

Frustra opponit Laiserus quod Isaias et Dominus conquesti sunt de suis auditoribus,

XIV. Hic autem Polycarpo Laisero occurrendum est. In suo enim libello adversum nos, in R. P. Andream vehementer invehitur, [100] quoniam in concione quadam, qua Polycarpum confutavit optimeque perstrinxit, huiusmodi testimoniis usus, lutheranam sectam ostendit a suo ipsius etiam auctore damnatam. [101] Ait autem Polycarpus esse querimonias, quibus Prophetae etiam usi sunt. Usus Isaias, cum ait: *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Audite verbum Domini, principes Sodomae; auribus percipite legem Dei vestri, populus Gomorrhae.* [102] Usus etiam Christus: *Vae tibi, Bethsaida, vae tibi, Corozain, vae tibi, Capharnaum, quia si in Tyro et Sidone,* [103] etc.

nam ipsi arguerunt auditores de duritie cordis, non quod ex eorum doctrina facti sint peiores,

Sed Isaias arguit ibi Iudaeos, non dicit quod propter suam praedicationem illi facti sint peiores multoque gentibus deteriores. Christus similiter arguit ibi incredulitatem, quia populi illi audita praedicatione tot miraculis confirmata, in ipsum minime, ut par erat, crediderant, nec poenitentiam egerant. Non ait quod illi, qui in ipsum crediderant et Evangelium susceperant, facti essent moribus et vita multo deteriores. Est autem inauditum paradoxum, quod propter susceptam legem Dei vel Evangelium Christi facti sint homines longe peiores, et quod propterea conquesti sint Prophetae et Christus ipse, non enim nisi de neglecta divinarum legum observatione conquesti sunt.

ut Lutherus, Musculus et Schmidelinus fecerunt.

Lutherus autem, sicut et Musculus et Schmidelinus, ait quod propter doctrinam de sola fide sine operibus homines facti sunt multo quam prius carnaliores, multo sceleratiores. Doctrina enim ista suapte natura vitiis omnibus laxat habenas, et

99) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Salvus erit.* 100) Cf. pag. 16-18. 101) Cf. Laiseri libellus, pag. 4-12; Al. Kroess S. I. *Geschichte der Böhmischen Provinz der Gesellschaft Iesu*, B. 1, S. 811 sqq. Wien 1910. 102) 1, 4. 10. Vulg.: *Principes Sodomorum, percipite auribus.* 103) Mt 11, 21-23. Vulg.: *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida... Et tu, Capharnaum.*

bonis quibusque operibus nuncium remittit, quibus omnem adimit et utilitatem et necessitatem, vitiis autem blandit, nullam tribuit ad impediendam salutem vel accersendam damnationem efficacitatem. Quare miserum valde est istud Polycarpi effugium.

Sicut et quod addit[104] ab exemplo catholicorum scriptorum, qui in concionibus plurimum conquesti sunt de auditoribus suis, maxime vero de clericis. Sed aliud est arguere vitia et peccata, quod munus est evangelici praedicatoris, ut Paulus *ad Timotheum: Opus fac evangelistae, ministerium... imple.*[105] Sed quidnam? *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*[106] Aliud est religionem damnare, et dicere quod homines propter susceptum evangelium facti sint deteriores. Inveniat Polycarpus ubi ex multis catholicis scriptoribus, quos nominat, dixerit Catholicos propter catholicam religionem factos esse deteriores haereticis, sicut Lutherus ait Lutheranos suos factos esse propter evangelium suum papistis longe peiores, et vicerit; ipsum omni alio labore levabimus.

Inepte etiam opponit exemplum scriptorum catholicorum, cum ipsi vitia arguant, sed religionem non damnent.

Sed quam venustus scriptor est Polycarpus! Supersedendum statuit[107] ab adducendis testimoniis in Catholicos, maxime vero clericos, ex catholicis scriptoribus: « Sed, inquit,[108] non mundabimus nos, salva reverentia, ipsorum stercore ». Bene addit: « Salva reverentia »; quoniam magistrum Lutherum ore semper spurciloquo ac turpiloquentissimum hominem imitatus, stercus germanice dixit foedo et sordidissimo vocabulo,[109] ita ut ipse etiam una cum suo Luthero visus sit dici velle stercoreus doctor.[110] Nam libellum istum suum foedavit etiam stercore impudentis vetulae, quam ad turpificandos monachos adducit ferme ad calcem *Praefationis* suae.[111]

Noluit Polycarpus adducere testimonia in Catholicos, sed maluit in adversarios scurrari,

Sed nil mirum si ex patre impudente impudens natus sit filius; hoc mirum, quod Luthero omnium hominum longe impudentissimo tam turpis visa est statim ut mundo apparuit conspectaque est sua ipsius ecclesia, ut ipsum, licet non poenituerit revera, sed *secundum duritiam* suam *et impoenitens cor thesaurizaverit sibi iram in die irae,*[112]

ut filius impudens patris impudentis.

104) Cf. Laiseri libellus, pag. 19.
105) 2 Tim 4, 5.
106) Ibid. vr. 2.
107) Cf. Laiseri libellus, pag. 19.
108) Ibid.
109) Ibid. Adhibet: *Dreck.*
110) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 265-266.
111) Cf. Laiseri libellus, pag. 28-29.
112) Rom 2, 5. Vulg.: *Duritiam tuam... thesaurizas tibi.*

puduerit tamen, perspecta tanta hominum suorum turpitudine sub nomine evangelicae vitae.

Lutheri ergo ecclesia vocari potest vinea Sodomorum.

Non potest arbor bona fructus malos facere. Cum autem Ecclesia in Sacris Litteris vinea Domini appellari soleat,[113] Lutheri ecclesia iure dici potest vinea illa, de qua legimus : *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae ; uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus, fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*[114]

Nunc autem per partes consideranda nobis venit.

113) Cf. Is 5, 1-7; Mt 20, 1; 21, 23; Mc 12, 1.

114) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi.*

SECTIO PRIMA

DE FUNDAMENTO ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

AGITUR DE FUNDAMENTO PRIMARIO SUPRA QUOD A LUTHERO FUNDATA EST SUA IPSIUS ECCLESIA OSTENDITURQUE VERUM AC SOLIDUM FUNDAMENTUM SACROSANCTAE ECCLESAE DEI [1]

Priusquam considerentur lutheranae ecclesiae partes, notio verae Ecclesiae tradenda est.

I. Lutheranam ecclesiam contemplati sumus veluti in speculo ex testimonio multorum, sed generatim atque confuse; nunc, Deo dante, consideranda per partes nobis est, eiusque veluti analysis facienda. Sed nonnullius operae pretium erit, prius nonnulla de Ecclesia universim praefari, cum res sit maximi summique momenti Ecclesiam probe cognoscere et inter veram falsamque ecclesiam discrimen internoscere.

Divina Scriptura nusquam data opera tradit Ecclesiae definitionem; indicat tamen quidnam sit.

Saepe mecum miratus sum quidnam sit quod, cum tanti referat scire quidnam sit vera Dei Ecclesia, extra quam non potest esse salus, [2] Divina tamen Scriptura notionem ac, ut ita dicam, definitionem rei tam necessariae nusquam tradiderit, sed nec ipsius Dei quidem. Sacra enim Scriptura, a Spiritu Sancto tradita, non philosophico aut scholastico more divina mysteria tractat; sed simplici magisterio docet, traditque. Non enim doctos acutosque philosophos, sed humiles simplicesque requirit discipulos, coelesti Magistro humiliter veraci-

1) Cod. 2, f. 159ª-160ᵇ. 2) S. Cyprianus epist. *ad Iubaianum*, (P. L. 3, 1123); S. Hieronymus epist. 5, ibid. 22, 355; S. Augustinus *Serm. ad Caesariensis Ecclesiae Flebem*, ibid. 43, 695.

terque credentes. Scientiarum curiositatem non probat, lignum scientiae boni et mali prohibuit,[3] multis tamen modis quidnam sit indicatur.

Olim Ecclesia dicta fuit synagoga, idest, congregatio,

Et primo quidem ab ipso nomine, quod saepe in Sacris Litteris naturam rei manifestat. Dicebatur olim s y n a g o g a, graeco vocabulo συναγωγή,[4] a verbo συνάγω, quod est congrego, colligo, hebraice עֵדָה,[5] a verbo יָעַד, quod est congregare, conventum facere, comitia celebrare, quam nunc Hebraei usitato nomine dicunt כְּנֶסֶת,[6] quod est collectio, congregatio, unde apud ipsos בֵּית־הַכְּנֶסֶת[7] *domus congregationis*, a verbo כָּנַס,[8] quod idem est cum verbo אָסַף. Legimus etiam in Veteri Testamento non raro nomen E c c l e s i a e, sed eodem sensu, licet diverso nomine; Ecclesia nanque hebraice קָהָל,[9] sive קְהִלָּה [dicitur],[10] vel in statu regiminis קְהִלַּת,[11] a verbo קָהַל,

quod idem significat ac nomen Ecclesiae;

quod est congregare. Sed et graecum nomen ἐκκλησία,[12] unde latinum Ecclesia, nonnisi concionem, conventum, congregationem significat a verbo graeco ἐκκαλέω convoco, item concilium, synodum, comitia, licet apud Athenienses nomen hoc non quemcumque conventum significaret, sed conventum totius populi ordinatum, ac per suos ordines evocatum.[13] Confusa enim et promiscua congregatio, veluti ad forum venalitium, ad nundinas, ad mercatum ἀγορά[14] ipsis dicebatur, et quoties ad magnae alicuius rei spectaculum homines ex agro accersebant, διακλῆσιν[15] appellabant.

quae vox absolute posita sacram congregationem denotat.

Sed quoniam, licet aliquando etiam in Sacris Litteris non in bonam partem sumatur, unde legimus: *Odivi ecclesiam malignantium*[16], et L u c a s in *Actis* populum Ephesium simul congregatum appellat ecclesiam confusam;[17] absolute tamen posita nonnisi sacram congregationem significat. Propterea saepe legimus *Ecclesiam Domini*,[18]

3) Cf. Gn 2, 17. 4) Ms.: Συναγωγη et συναγω. 5) Ms.: עדה, postea: יעד. 6) Ms.: כנסת. 7) Ms.: בית־הכנסת. 8) Ms.: כנס, postea: אסף. 9) Ms.: קהל, postea: קהלה. 10) Cf. Nm 19, 20; Dt 23, 1-8; Ps 34, 18; Ps 39, 10; Ps 67, 27; Ps 88, 6; Ps 149, 1. 11) Ms.: קהלה postea: קהל. 12) Ms.: Εκκλησια et εκκαλεω. 13) Cf. Thucydides *Hist.* lib. 1, cp. 44; lib. 6, cp. 32-51; lib. 8, cp. 81; Iul. Pollux *Onomasticon*, lib. 8, pag. 343-344. 349, Berolini 1846; Suidas sub h. v.; C. Sigonius *De Republica Atheniensium*, lib. 2, cp. 4, Op. Omn. vol. 5, col. 59-63, Mediolani 1736; Henr. Stephanus *Thesaurus Graecae Linguae* sub hoc vocabulo. 14) Ms.: Αγορα. 15) Ms.: Διακλησιν, (ex διά καλέω) *dispersorum congregatio*. In graecis auctoribus et lexicis hanc vocem non invenimus, attamen non putamus eam ab Auctore invectam fuisse, praesertim cum se ad Athenienses referat. 16) Ps 25, 5. 17) Cf. 19, 32. 18) Dt 23, 1-3. 8.

Ecclesiam Dei,[19] Ecclesiam Christi,[20] Ecclesiam Sanctorum[21] et Ecclesiam sanctam.[22]

Vocatur etiam in Scriptura multitudo credentium.

II. Aliquando veluti per periphrasim quidnam sit sancta Ecclesia in Divinis Litteris declaratur, appellatur enim multitudo credentium. Lucas in *Actis* ait quod *multitudinis... credentium erat cor unum et anima una.*[23] Et cum dixisset alibi quod *factus est timor magnus in universa Ecclesia,* ait: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.*[24] Alibi eodem in libro dicit multitudinem discipulorum: *Convocantes... duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... Et placuit sermo coram omni multitudine.*[25] Itemque: *Verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum.*[26]

vel domus Dei, templum Domini, regnum Dei, etc.

Ex multis etiam cum propriis tum metaphoricis nominibus, quibus veluti hieroglyphicis quibusdam figuris designatur; sic appellatur *columna et firmamentum veritatis,*[27] sic *domus Dei,*[28] *templum Domini,*[29] *mons domus Domini* et domus Dei Iacob,[30] *civitas regis magni,*[31] civitas nova Ierusalem de coelo a Deo descendens,[32] *regnum Dei,*[33] *regnum coelorum,*[34] *vinea... Domini exercituum,*[35] ager *cui benedixit Dominus,*[36] grex Dei,[37] ovile Dei,[38] aliisque innumeris.

Petrus eam appellat *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam,* etc.

Huc spectat quod Petrus, alloquens fideles omnes, ait: *Vos... genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*[39] Ubi alludit Petrus ad illud, quod in *Exodo* legitur: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.*[40] Et in *Deuteronomio: Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.*[41] Quod enim hebraice in *Deuteronomio* est עַם קָדוֹשׁ,[42] et עַם סְגֻלָּה,[43] Petrus dixit *gentem sanctam et po-*

19) Act 20, 28. 20) Rom 16, 16. 21) Ps 88, 6; Ps 149, 1; Eccli 31, 1; 1 Cor 14, 33. 22) Cf. Eph 5, 27. 23) 4, 32. 24) Ibid. 5, 11. 14. 25) Ibid. 6, 2. 5. 26) Ibid. vr. 7. 27) 1 Tim 3, 15. 28) Gn 28, 17. 22; Lc 6, 4; 1 Tim 3, 15; Hebr 10, 21; 1 Petr 4, 17. 29) 1 Rg 1, 9; 3, 3; 4 Rg 11, 4; Ier 7, 4; Bar 1, 8. 14. 30) Is 2, 2-3; Mich 4, 1-2. Vulg.: *Domum.* 31) Ps 47, 3; Tob 13, 11; Mt 5, 35. 32) Cf. Apc 21, 2. 33) Mt 6, 33; Mc 1, 15; Lc 4, 43; Io 3, 3. 5; Rom 14, 17; 1 Cor 4. 20; Gal 5, 21. 34) Mt 4, 17; 11, 12; 13, 44-45; 19, 12. 14. 23-24. 35) Is 5, 7. 36) Gn 27, 27. 37) Cf. Ier 13, 17; 1 Petr 5, 2. 38) Cf. Io 10, 16. 39) 1 Petr 2, 9. 40) 19, 5-6. 41) 7, 6. 42) Ms.: עם קדוש. 43) Ms.: עם סגלה.

pulum acquisitionis, et quod in *Exodo regnum sacerdotale*, hebraice מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים[44] *regnum sacerdotum*, Petrus dixit *regale sacerdotium*, Septuaginta Interpretes imitatus, qui habent βασίλειον ἱεράτευμα[45] *regium sacerdotium.* Ex his autem omnibus intelligimus Ecclesiam nihil aliud esse quam populum vera fide, veraque religione divino munere imbutum.

Ex his deducitur Ecclesiam esse populum divina fide et religione imbutum.

Ut res clarior fiat, dicendum est aliquid de Ecclesiae causis: causa materialis est multitudo credentium; formalis est fides; finalis duplex est: gloria Dei et salus nostra, ut Petrus et Paulus docent;

III. Sed quo res fiat luculentior, nonnihil etiam de Ecclesiae causis dicamus. Et ex his quidem, quae dicta sunt, habemus duas causas: materialem, quam dicunt, et formalem. Illa consistit in multitudine hominum; haec autem in vera fide et christiana religione consistit, haec enim est per quam homo christianus est et membrum corporis Christi,[46] *quod est Ecclesia.*[47] Finalis causa in Sacris Litteris duplex assignatur: una quidem est gloria ipsius Dei, de qua B. Petrus ait: *Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam,*[48] christiani enim in apostolicis scriptis frequenter vocati appellantur,[49] et Paulus *ad Ephesios: Et nos sorte vocati sumus... in laudem gloriae;*[50] altera vero causa est salus nostra, de qua Petrus: *Regeneravit nos in spem vivam..., in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in coelis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo,*[51] et Paulus *ad Titum: Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[52] Uterque Apostolus loquitur de regeneratione, qua per Baptismum, suscepta fide, inserimur in Ecclesiam et renascimur filii Dei.

causa efficiens item duplex assignatur: principalis, quae Deus

Tandem causa etiam efficiens duplex assignatur: altera principalis, quae Deus est, unde *Ecclesia Dei*, Ecclesia Christi appellatur, sicut civitas David,[53] sicut templum Salomonis,[54] hinc Christus ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae*

44) Ms.: ממלכת כהנים. 45) Cf. Ex 19, 6. *La Sainte Bible Polyglotte* par F. Vigouroux. Ms.: Βασιλειον ιερατευμα. 46) Cf. 1 Cor 12, 27. 47) Col 1, 24. 48) 1 Petr 5, 10. 49) Cf. Rom 1, 6; 1 Cor 1, 2. 9. 24; Col 3, 15; Hebr 9, 15; 1 Petr 2, 9. 21; Iud 1; Apc 17, 14. 50) 1, 11-12. 51) 1 Petr 1, 3-5. 52) 3, 5-7. Vulg.: *Suam misericordiam.* 53) Cf. 2 Rg 6, 10. 12. 16. 54) Cf. Io 10, 23; Act 3, 11; 5, 12.

inferi non praevalebunt adversus eam; [55] altera vero secundaria est, iuxta quam Paulus seipsum *ad Corinthios* dixit architectum et fundatorem Ecclesiae: *Ut sapiens architectus,* inquit, *fundamentum posui... Fundamentum... aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [56] Sed *secundum gratiam Dei,* inquit, *quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat, unusquisque autem videat quomodo superaedificet.* [57] Ubi Ecclesiam aedificationem Dei dicit: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis;* [58] ministros autem verbi aedificatores: *Dei,* inquit, *operatores sumus,* [59] συνεργοί [60] graece *cooperatores.* Ita *ad Ephesios* scribit quod Deus *dedit* in Ecclesia *pastores et doctores; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* [61] Et Petrus, fideles omnes alloquens, ait: *Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis.* [62]

est; secundaria Apostoli et ministri verbi.

IV. Sicut autem Ecclesiae sanctae Dei duos in Sacris Litteris reperimus fundatores Christum et Paulum, qui *ut sapiens architectus fundamentum posuit;* ita et duo legimus cum primis fundamenta: Christum, [63] de quo Paulus: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;* et Petrum, de quo Christus ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Sicut et Paulus, *ad Ephesios* scribens, Christum dicit summum angularem lapidem, Apostolos vero fundamentum appellat, dicens: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* [64] Et in *Apocalypsi* legimus *duodecim fundamenta* supernae civitatis Ierusalem *et in ipsis duodecim nomina... Apostolorum Agni.* [65]

Duo leguntur in Scripturis fundamenta Ecclesiae: Christus, et Petrus cum aliis Apostolis.

Sicut diversa quidem metaphora, sed eodem sensu, legimus Christum portam: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur;* [66] et Apostolos portas legimus; coelestis nanque civitas duodecim portas habere Ioanni visa fuit: tres ab oriente, tres ab occidente, tres

Sicut Christus dicitur porta, et Apostoli portae nominantur in Scripturis.

55) Mt 16, 18.
56) 1 Cor 3, 10-11.
57) Ibid. vr. 10.
58) Ibid. vr. 9.
59) Ibid. Vulg.: *Adiutores.*
60) Ms.: Συνεργι.
61) 4, 11-12.
62) 1 Petr 2, 5.
63) Ms.: *Petrus.*
64) 2, 19. 21. Vulg.: *Super fundamentum.*
65) 21, 14. Vulg.: *Fundamenta duodecim.*
66) Io 10, 9.

ab aquilone, et tres ab austro.[67] Sane quoniam fides et doctrina Evangelii, per quam patet aditus ad salutem, Evangelium *enim virtus Dei est in salutem omni credenti,*[68] a Christo et ab Apostolis primo praedicata fuit. Ecclesia itaque et Christum fundamentum habet summum lapidem angularem, et Apostolos tanquam fundamenta duodecim, quoniam auctoritate et doctrina Christi et Apostolorum fundata est.

Post Christum vero maxime Petrus est fundamentum Ecclesiae; ipsi enim dictum fuit: *Tu es Petrus,* etc.;

Maxime vero secundum Christum, Petri, Apostolorum principis, cui dicitur: *Tu es Petrus, tu es Cephas,*[69] quod est *petra, saxum; et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* quia auctoritate et doctrina Petri cum primis post Christum aedificata Ecclesia est. Quapropter in concilio Ierosolymitano, praesentibus Apostolis omnibus et Paulo, surgens Petrus in medio omnium, ait: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.*[70] Omnibus quidem Apostolis dictum fuit: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae;*[71] et: *Ite..., docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;*[72] Petrus vero, quas sibi soli demandata esset provincia praedicandi Evangelium, ait: *Elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.*

et per ipsum gentes auditurae erant Evangelium;

et quia electus a Christo princeps Apostolorum,

Sane quoniam soli Petro dictum fuit: *Pasce oves meas;*[73] ipse destinatus fuit a Christo princeps pastorum, qui aliis pastoribus curam pascendarum ovium committeret, sicut ipse ait: *Seniores ergo,* christianos omnes alloquitur, *qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis passionum Christi, qui et eius, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator; pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque tanquam dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*[74] Pastores omnes, hoc est, Episcopos, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo,*[75] tanquam

67) Cf. Apc 21, 13. 68) Rom 1, 16. Vulg.: *Virtus enim Dei.* 69) Cf. Iob 30, 6; Ier 4, 29; Iac. Tirinus *Comment. in Evang. Ioannis,* cp. 1, vr. 42; Aug. Calmet *Comment. Litt. in Evang. Ioannis,* cp. 1, vr. 42; Ed. Castell *Lexicon Heptaglotton,* t. 2, col. 1719-1720, Londini apud Th. Roycroft 1669. 70) Act 15, 7. 71) Mc 16, 15. 72) Mt 28, 19. Vulg.: *Euntes ergo.* 73) Io 21, 17. 74) 1 Petr 5, 1-3. Vulg.: *Christi passionum.* 75) Act 20, 28.

princeps pastorum et Episcoporum episcopus, hortatur ad pastorale officium optime secundum Deum exercendum.

V. Cum igitur post Christum in Petro, hoc est, Petri auctoritate, cui traditae sunt *claves regni coelorum,* [76] Petri doctrina et labore cum primis fundata sit Ecclesia Dei; non tamen dicta est Ecclesia petriana, sed christiana, et Antiochiae, ubi primum Petrus episcopatum gessit, [77] discipuli dicti sunt christiani. [78] Non a Petro, summo christianae doctrinae magistro et Evangelii praedicatore supremo, omnium maximo, denominati sunt petriani, sed a Christo, primo summo maximo auctore et fundatore, christiani.

Ecclesia, licet in Petri auctoritate fundata, non vocata fuit petriana, sed christiana;

Nova autem novorum evangelicorum ecclesia per Lutherum excitata non a Christo dicta christiana, sed a Luthero dicta est lutherana, sane ut vel hinc mundus advertat quaenam et cuius sit nova ista, quae iam pridem exorta est et in lucem emersit ecclesia, iuxta D. Hieronymi *in Luciferianos* sententiam: [79] « Sicubi audieris eos, qui dicuntur christiani, non a Domino Iesu Christo, sed a quoquo alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, etc.; scito non Ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam ».

at Lutheri ecclesia dicta fuit lutherana, ideo dicenda antichristi synagoga.

Lutheri autem sequaces ab omnibus Lutheranos appellari tam notum est quam quod notissimum. Nec dico tantum ab aliis, sicut nos Catholici hodie ab omnibus sectariis papistae appellamur, et olim ab Arianis Catholici per contemptum homousiani dicebantur, [80] sed a semetipsis ita dicuntur. Testis est Polycarpi libellus, in quo non semel ait: « Nos Lutherani ». [81]

Lutheri sectatores Lutherani dicuntur, ut testis est Laiserus,

Sed quid quod ipse etiam Lutherus sectatores suos Lutheranos dicebat? In *Expositione* nanque *Psalmi: Deus stetit in synagoga deorum,* [82] ait: « Si contingat in aliqua paroecia, civitate vel dominio, quod papistae et Lutherani, ut dicuntur, in invicem clament et in invicem praedicent super aliquibus articulis, et ambae partes pro se Scripturas habere velint; dissensionem talem non libenter

et ipse Lutherus in *Expositione Psalmi 81;*

76) Mt 16, 19. 77) Eusebius Caesar. *Chronicon,* lib. 2, (P. G. 19, 539); S. Hieronymus *De Viris Illustribus,* cp. 1, (P. L. 23, 607); *Comment. in Epist. ad Galatas,* ibid. 26, 341.
78) Act 11, 26. 79) P. L. 23, 201. 80) S. Augustinus *Contra Secundam Iuliani Responsionem in Imperfectum Opus,* lib. 1, ibid. 45,1101. 81) Cf. Laiseri libellus, pag. 9. 19. 25. 69. 82) Ps 81, 1.

pati velim, debentque Lutherani mei cedere, et tacere si advertant quod non libenter audiantur ».[83] Lutheranos suos dicit.

et in Expositione Post. Epistolae ad Galatas ;

In *Expositione Posteriori Epistolae ad Galatas* non semel nominat Lutheranos ; ad prima enim epistolae verba ait : « Hodie Papa, cum nullam Scripturam habeat, qua se defendere possit, hoc unico et perpetuo argumento contra nos utitur : Ecclesia, Ecclesia. Putasne quod Deus tam iratus sit, ut propter paucos haereticos Lutheranos totam Ecclesiam suam reiiciat ? »[84] Et ad illud : *Miror quod... tam cito transferimini ab eo qui vocavit vos... in aliud evangelium,*[85] ait : « Hodie fanatici spiritus Anabaptistae et alii, quando nos manifeste damnare non possunt, dicunt : Lutherani habent spiritum timoris, non audent libere fateri veritatem ».[86] Et ad illud : *Non veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos,*[87] ait : « Nihil ergo est quod hodie adversarii argumentantur : Quis credet vestrae doctrinae, Lutherani, cum in publico officio non sitis ? Vos debetis a Papa, ab Episcopis doctrinam accipere, qui ordinati et in legitima functione sunt ».[88] Ita saepe alias Lutherus nominat Lutheranos,[89] quod non ab Apostolis, non a Prophetis, non a catholicis orthodoxis Patribus, tantum ab haeresiarchis, qui, ut Petrus ait, *introducunt sectas perditionis,*[90] factum legimus.

quinimo Lutherus facit seipsum fundatorem suae ecclesiae.

Facit Lutherus seipsum fundatorem ecclesiae suae. In eodem *Commentario ad Galatas* ad illud : *Miror quod... tam cito:* « Nos, inquit,[91] quotidie experimur quam aegre concipiat animus firmam fidem ac retineat ; item quanta difficultate paritur Domino plebs perfecta. Decem annis laboratur antequam ecclesiola recte et pie instituta paratur ». Et postea :[92] « Nos, inquit, Dei gratia paravimus hic Wittembergae formam christianae ecclesiae, verbum pure apud nos docetur, sacramenta in vero usu sunt », etc.

Videamus nunc quam

VI. Sed novi huius aedificii fundamentum inspiciendum nobis est quale sit, quam firmum, quam solidum. Nam ex Salvatoris sententia

83) W. L. t. 3. f. 546. 84) Ibid. t. 5, f. 275ª. 85) Gal 1. 6. Vulg.: *Qui vos vocavit.* 86) W. L. t. 5, f. 285ᵇ. 87) Gal 1, 17. Vulg.: *Neque veni.* 88) W. L. t. 5, f. 293ª. 89) *Exhortatio ad Suos Dilectos Germanos,* I.G. t. 5, f. 291; *Glossa in sic Dictum Caesareum Edictum,* ibid. f. 312-319 et alibi passim; licet aliquando Lutherus prohibuerit suis asseclis ne *Lutheranos* se nominarent. Cf. *Exhortatio ad Praecavendam Seditionem,* ibid. f. 69; *Adversus Carolostadium,* ibid. f. 77. 90) 2 Petr 2, 1. Vulg.: *Introducent.* 91) W. L. t. 5, f. 284. 92) Ibid. f. 284ᵇ.

est vir sapiens, *qui aedificat domum suam super petram ; et descendit,* inquit, *pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam et non cecidit ; fundata enim erat super petram.* [93] Sed est etiam vir stultus, *qui aedificat domum suam super arenam ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina domus illius magna.* [94]

solidum fundamentum habeat ecclesia lutherana,

Christus ut vir sapiens fundavit Ecclesiam suam super petram : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* propterea *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Petrus enim divinitus factus fuit petra solidissima propter fidem et doctrinam divinitus revelatam divinaque auctoritate firmatam : *Beatus,* inquit, *es Simon Bar–Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ;* [95] revelavit, inquam, mysteria fidei, qua Christum fuerat confessus, dicens: *Tu es Christus Filius Dei,* [96] σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, [97] *tu es ille Christus, ille Messias, ille Filius Dei.* Ita Christus super Petrum propter hanc fidem doctrinamque divinitus acceptam et divina auctoritate firmatam fundavit Ecclesiam suam, hoc est, Petrum fundamentum et caput Ecclesiae suae constituit. Quod enim est in aedificio fundamentum, est in humano corpore caput et in republica princeps ; hinc enim rex βασιλεύς [98] graece dicitur, quasi βάσις λαοῦ [99] *basis populi.*

Ecclesia Christi fundata est super petram, quia Petrus constitutus fuit a Christo petra Ecclesiae.

Super quam autem petram, firmum, inquam, et solidum fundamentum L u t h e r u s ecclesiam suam fundaverit, compertum non est, nisi quod semper verbum Dei iactat. Quod quidem nunquam non facit, praesertim vero in *Commentario Epistolae ad Galatas* ad illud: *Si quis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit,* [100] ubi ait [101] « quod Paulus simpliciter seipsum Angelum e coelo, doctores in terra et quidquid est magistrorum, hoc totum rapit et subiicit Sacrae Scripturae. Haec, inquit, regina debet dominari, huic omnes obedire et subiacere debent. Non eius magistri, iudices seu arbitri, sed simplices testes, discipuli et confessores esse debent, sive sit Papa, sive Lutherus, sive Augustinus, sive Paulus, sive Angelus e coelo. Neque alia doctrina in Ecclesia tradi aut audiri debet, quam purum putum verbum Dei, hoc est, Sancta Scriptura ». Ubi tamen, ut obiter dicam, non sine im-

Lutheri ecclesia supra quam petram fundata sit ignoratur. Lutherus quidem iactat semper verbum Dei;

93) Mt 7, 24-25. Vulg.: *Qui aedificavit... supra petram.* 94) Ibid. vrr. 26-27. Vulg.: *Aedificavit.*
95) Ibid. 16, 17. 96) Ibid. vr. 16. 97) Ms.: Συ ει ο Χριστος ο υιος του Θεου.
98) Ms.: Βασιλευς. 99) Ms.: Βασις λαου. 100) Gal 1, 9. 101) W. L. t. 5, f. 288ᵃ

postura loquitur Lutherus; non enim de Scriptura loquitur ibi Paulus, sed de fide et doctrina evangelica. Galatis enim Paulus Evangelium praedicaverat, non scripserat, neque scriptum praedicaverat Evangelium, sed, sicut ipse in eadem epistola ait, per revelationem divinam acceptum.[102]

Scripturas tamen exaltat, ut Ecclesiam deprimat, dicit enim eam posse errare, ideoque solum Dei verbum esse Ecclesiae fundamentum.

VII. Scripturas exaltat Lutherus, ut Ecclesiam Dei deprimat. Hinc in eodem *Commentario* ad illud :[103] *Notum enim vobis facio... quod Evangelium, quod evangelizatum est a me..., non est secundum hominem,* ait[104] quod Ecclesia errat, si quid extra verbum Dei docet: « Ergo, inquit, neque mihi, neque Ecclesiae, – bene seipsum segregat ab Ecclesia; haeretici enim, ut Iudas apostolus ait, *segregant seipsos,*[105] – neque mihi, inquit, neque Ecclesiae, neque Patribus, neque Apostolis, neque Angelo e coelo credendum est, siquid contra verbum Dei docemus, sed *verbum... Domini stet in aeternum* ».[106] Et postea:[107] « Nemo libenter dicit Ecclesiam errare, et tamen necesse est dicere eam errare, si extra vel contra verbum Dei aliquid docet. Petrus, Apostolorum summus, vivebat et docebat extra verbum Dei; ergo errabat, etc. Igitur neque Ecclesia, neque Petrus, neque Apostoli, neque Angeli audiendi sunt, nisi afferant purum Dei verbum ». Itaque Lutherus nonnisi verbum Dei statuit Ecclesiae fundamentum.

In libro *Adversus Regem Angliae* ait quod Ecclesia fundata sit supra Christum, idest, verbum Dei;

Hinc in libro *Adversus Regem Angliae,* ponderans illud : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* ait :[108] « Non super longitudinem temporum, neque super multitudinem hominum, neque super: Oportet sic esse, neque super usum aut dictum Sanctorum, denique nec super Ioannem Baptistam, neque super Eliam, Isaiam, nec Ieremiam aut ullum ex Prophetis, sed super solam et solidam petram, super Christum Filium Dei. Hic est robur nostrae fidei, hic tuti sumus adversus portas inferi, hic mentiri et fallere non potest. *Omnis homo mendax,*[109] et Sancti, cum extra rupem hanc agunt aut dicunt, homines sunt. Purissimum, solum ac certum verbum Dei nostrae fidei supponendum est : *Si quis,* inquit, *loquitur, quasi sermones Dei* ».[110] Super Christum Filium Dei, qui mentiri non potest, hoc est, super

102) Cf. Gal 1, 11-12.
103) Ibid. vr. 11.
104) W. L. t. 5, f. 290b.
105 Vr. 19. Vulg.: *Semetipsos.*
106) Is 40, 8. Vulg.: *Manet.*
107) W. L. t, 5, f. 290a.
108) Ibid. t. 2, f. 361.
109) Ps 115, 11.
110) 1 Petr 4, 11.

purissimum, solum ac certum verbum Dei vult fundatam esse ecclesiam, nostraeque fidei nihil aliud supponendum esse.

Et alibi eodem in libro: «Ego vero, inquit,[111] adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, daemonum, pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius Maiestatis Aeternae verbum, Evangelium; quod ipsimet coguntur probare, in quo Missa evidenter traditur esse signum et testamentum Dei, in quo nobis promittit, et signo certificat gratiam suam; hoc enim opus et verbum Dei, non nostrum est. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto papistis, thomistis, henricistis, sophistis et omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia, Divina Maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiae henricianae contra me stent. Deus errare et fallere non potest. Augustinus et Cyprianus, sicut omnes Electi, errare potuerunt et errarunt». Vides, lector, immanem verbi Dei iactantiam! Hinc autem Lutherani, ut refert Cochlaeus in *Actis*,[112] coeperunt in comitiis Spirensibus gestari in dextera manica, quasi fidei suae tesseram, has litteras: V. D. M. I. AE., hoc est: *Verbum Domini manet in aeternum.*

item ait contra dicta hominum et Angelorum opponendum esse verbum Maiestatis Aeternae;

hinc Lutherani in comitiis Spirensibus gestabant litteras V.D.M.I.AE.,

Sunt autem haec longe aprosdionysa, quae ad rem nihil attinent, ita ut graecum adagium usurpari hic possit: Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, nihil ad Bacchum.[113] Neque enim de Scriptura orta est controversia inter Catholicos et Lutherum ipsum, nemo etenim Catholicorum Divinam Scripturam negat, nemo non veneratur et sacrosanctam habet, nemo ab ea non pendet, ita ut prudens sciensque velit ab ea vel latum unguem discedere; omnes fatentur par esse, ut sola Divinae Scripturae auctoritas superet omnia mortalium omnium suffragia. Nihil opus erat, ut hic proiiceret ampullas et sesquipedalia verba.[114]

cum tamen de Scriptura non esset controversia;

«Quis nesciat, inquit D. Augustinus,[115] Sacram Scripturam canonicam, tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita praeponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum

Scripturam enim, ut ait Augustinus, omnes sciunt esse supra omnes

111) W. L. t. 2, f. 344ᵇ. 112) An. 1526, pag. 148. 113) Ms.: Ουδεν προς Διονυσον. Quando quis ea nugatur, quae ad rem tractandam nihil attinet. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 839. 114) Horatius *De Arte Poetica*, vr. 97. 115) *De Baptismo contra Donatistas*, lib. 2, cp. 3, (P. L. 43, 128).

vel utrum rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit ? » Controversia de sensu Scripturarum est, hoc est, an unus solus Lutherus Divinas Scripturas melius intellexerit veriusque exposuerit quam omnes catholici Doctores, omnes sacri theologi, omnes Sancti et orthodoxi Patres, omnia concilia, universa Ecclesia, sive, ut Lutherus ipse loquitur, [116] « quam mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiae ». Et quidem homo modestissimus hoc requisivit plus fidei uni soli sibi quam omnibus omnium saeculorum magistris et doctoribus dari.

litteras Episcoporum; sed controversia erat de sensu Scripturae.

VIII. In *Commentario ad Galatas* super illud: *Notum... vobis facio, fratres*, quod *Evangelium, quod evangelizatum est a me..., non est secundum hominem*, respondens [117] ad argumentum Catholicorum, nempe: « Apostoli, Sancti Patres et eorum successores sic docuerunt, Ecclesia sic sentit et credit, impossibile est autem quod Christus tot saeculis Ecclesiam suam errare sinat ; tu certe solus non plus sapis quam tot sancti viri; et tota Ecclesia tot saeculis sic sensit et docuit, sic senserunt et docuerunt omnes primitivae Ecclesiae Doctores, viri sanctissimi, multo maiores et doctiores te ; quis tu es, qui ausis ab his omnibus dissentire et nobis diversum dogma obtrudere ? » – ita refert ipsemet argumentum Catholicorum in ipsum ; – quid respondit ipse ? Dictu mirabile ! Et tamen ita respondit : « Sive S. Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, sive S. Petrus, Paulus, Ioannes, imo Angelus e coelo aliter doceat, tamen hoc certo scio quod humana non doceo, sed divina ». Et post alia nonnulla : [118] « Cum fiducia dicere possum : Esto sane Ecclesia, Augustinus et alii Doctores, item Petrus, Apollo, imo etiam Angelus e coelo diversum doceant, tamen mea doctrina est eiusmodi quod solius Dei gratiam et gloriam illustrat et praedicat ». Haec Lutherus quam insolentissime. O monstrum in exteras terras deportandum !

Lutherus plus fidei requisivit sibi quam omnibus aliis, eo quod divina doceret et Dei gloriam illustraret;

Et quomodo certus factus fuit Lutherus, quod ipse divina doceret, non autem Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, imo Petrus, Paulus, Ioannes ? Quod ipsius, non autem illorum doctrina, solius Dei gratiam et gloriam illustraret. Et tamen invenit patella operculum ; invenit

habuitque multos sectatores, qui ipsi ut divino oraculo adhaeserunt.

116) *Contra Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 344ᵃ.
117) Ibid. t. 5, f. 290ᵃ.
118) Ibid. f. 290ᵇ.

Lutherus homines, qui tantam insolentiam nihil morati, contemptis tanquam Mysorum ultimis [119] mille Cyprianis, mille Augustinis, omnibus apostolicis viris cum omnibus sacrosanctis conciliis, cum antiquissimis traditionibus, observationibus, decretis, canonibus ecclesiasticis, totius christianismi maximo consensu probatis, uni adhaeserunt excucullato monacho, unum Lutherum sunt tanquam coeleste divinumque oraculum amplexati.

IX. Quod igitur est lutheranae ecclesiae fundamentum? Unius solius Lutheri auctoritas et doctrina auctoritati doctrinaeque totius universalis Ecclesiae et orthodoxorum Patrum omnium saeculorum pro affectu praelata. Unde enim certo sciunt? Quo vel miraculo vel oraculo divino certi facti sunt Lutherum Divinas Litteras melius veriusque quam omnes Sancti Patres et catholicae Ecclesiae Doctores intellexisse, interpretatum fuisse et exposuisse? Ipse dixit. Factus ipsis est Lutherus Pythagoras, ipsique, pythagorici effecti, loco summae rationis magistri auctoritatem ducunt. [120]

Fundamentum ergo ecclesiae lutheranae est Lutheri auctoritas, quod melius intellexerit Scripturas, quam alii;

Sed hoc ipsum finxit sibi Nestorius, Vincentio Lirinense teste probatissimae fidei: « Invecti etiam, inquit, [121] sumus in Nestorii sceleratam praesumptionem, quod Sacram Scripturam se solum intelligere et omnes eos ignorasse iactaret, quicumque ante se magisterii munere praediti Divina Eloquia tractavissent, universos scilicet sacerdotes, universos confessores et martyres, quorum alii explanassent Dei legem, alii vero explanantibus consensissent vel credidissent, totam postremo etiam nunc errare et semper errasse adseveraret Ecclesiam, quae, ut ipsi videbatur, ignaros erroneosque doctores et secuta esset et sequeretur ». Quis autem non videt purum putum ipsissimum Nestorii haeresiarchae spiritum in Luthero?

ut olim, Lirinense teste, de se affirmabat Nestorius.

Blandiebatur sibi Lutherus de testimoniis Scripturarum, quod tamen et satanas primum fecit, [122] et omnes haeretici cum primis faciunt, sicut idem Vincentius ait: [123] « Fortasse, inquit, aliquis interroget an et haeretici Divinae Scripturae testimoniis utantur. Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam videas eos volare per

Lutherus blandiebatur sibi testimoniis Scripturarum, quod et diabolus fecit, et omnes

119) Populus, qui Asiae regionem incoluit finitimam Hellesponto et Propontidi, a Romanis subiectus et ab ipsis ut abiectissimus omnium populorum habitus. Cf. Io. Perin *Onomasticon* sub nomine *Mysi*. 120) Cf. Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, cp. 5, vol. 9, pag. 2886, ed. cit. 121) *Commonit. 2*, (P. L. 50. 683). 122) Cf. Mt 4, 6 sqq. 123) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 672).

haeretici faciunt;

singula quaeque sanctae Legis volumina, per Moysi, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive libris, sive in conviviis, sive in plateis nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Ioviniani reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quae non Novi et Veteris Testamenti sententiis fucata et colorata sit ». Et adducens illud : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium :* [124] « Quid est, inquit, [125] vestitus ovium, nisi Prophetarum et Apostolorum praeloquia ? ».

et quidem Zwingliani, Calvinistae et Anabaptistae non sunt Lutheranis inferiores in citandis Scripturis;

X. Sed non necesse est hac in re pluribus agere, ipsi enim Lutherani experimento noverunt, quod Zwingliani et Calvinistae haeretici, in citandis Divinis Scripturis promendisque Sacrarum Litterarum testimoniis, Lutheranis minime inferiores, nolunt videri secundi. Imo L u t h e r u s ipse, tam gloriosus verbi Dei iactator : « Hic sto, inquit, [126] hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho », urgentibus Anabaptistis ut parvulorum Baptismum ex Divinis Scripturis probaret, ne sine Scripturis renunciarentur haeretici, sicut iam renunciati ab ipso fuerant; coactus fuit turpiter loco cedere et prementibus adversariis terga dare. Anabaptistis enim, manifestam paedobaptismi Scripturam postulantibus, ipse post multas ambages et circuitus verborum responsum tale dedit : [127] « Quod parvuli credant, nullo Scripturae loco demonstrare possumus, qui clare his aut similibus verbis dicat parvulos baptizare, nam et ipsi credunt. Si quis nos urgeat ad demonstrandam eiusmodi litteram, huic nos cedere oportet et victoriam dare ; nusquam scriptam invenimus. Boni autem et ratione praediti christiani tale a nobis non exigunt ».

et rabbini peritissimi sunt Sacrarum Scripturarum.

Sed, ut demus fuisse Lutherum in Divinis Litteris versatissimum ; num ipse solus ? Proprium fere haereticorum, qui Sanctos Patres contemnunt et scripturas ecclesiasticas pessumdant et floccipendunt, nonnisi Sacras Litteras diu noctuque tractare ; quod et Iudaeorum rabbini quam diligentissime faciunt, et tanto studio Sacris Lit-

124) Mt 7, 15. 125) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 672). 126) *Contra Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 369. 127) *Ein Brieff von der Widertauffe an Zween Pfarherrn*, W. G. t. 2, f. 237ᵇ.

teris operam navant, ut multi ipsorum discipuli etiam pueri totum Pentateuchum, Psalterium, Prophetas recitare quam facillime possint recitantque in scholis, cum nonnisi Sacras Litteras praedicant in litterariis ludis.

Gloriatur Lutherus quod diligenter legerit Scripturam;

Gloriatur L u t h e r u s in *Praefatione* ad primum tomum Operum suorum hac de re, dicens:[128] « Ego iam tum Sacras Litteras diligentissime privatim et publice legeram, et docueram per septem annos; ita ut memoriter pene omnia tenerem ». Et post alia quaedam ait[129] quod tot annis Sacra diligentissime legerat.

sed ut haeretici, qui adulterant verbum Dei.

Esto; quid inde? Legunt, ut dixi, etiam Iudaeorum rabbini quam diligentissime, legunt haeretici Calviniani non impari diligentia. Tractant quidem Scripturas haeretici, sed ut depravent, ut P e t r u s ait, *ad suam ipsorum perditionem;*[130] tractant Scripturas, sed adulterando. Unde P a u l u s *ad Corinthios* ait: *Non... sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei;*[131] et iterum: *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia neque adulterantes verbum Dei.*[132]

At, inquiunt, L u t h e r u s purum putum verbum Dei praedicavit, non adulteravit. Esto; non est hic locus nunc ostendendi an depravaverit et adulteraverit verbum Dei, necne; suo loco faciemus,[133] opitulante Deo, cum [ad] ipsius doctrinam qualis et quaenam fuerit ostendendam devenerimus. Hoc tantum a Lutheranis in praesentiarum quaero: Quinam certo et indubitato sciunt Lutherum melius veriusque intellexisse Divinas Scripturas, et verbum Dei purius praedicasse quam omnes Sancti Patres et catholici Doctores?

Scriptura variis modis adulteratur: detractione, adiectione, transmutatione.

XI. Hic ex T e r t u l l i a n o in suis *Praescriptionibus adversus Haereticos* dicam, quod ab iis, quibus propositum fuit aliter docendi, Scriptura Divina variis modis adulteratur, ut diversitas doctrinae inveniatur: « Alius, inquit,[134] manu Scripturas, alius sensu expositiones intervertit ». Et quod spectat ad manum assignat[135] tres modos, quibus ab haereticis depravatur, nempe d e t r a c t i o n e, a d i e c t i o n e, t r a n s m u t a t i o n e. Alii enim mutilant Scripturas resecando[136] partes ipsius et expungendo a sacro canone; alii aliquid su-

128) W. L. t. 1, f. IV. 129) Ibid. 130) 2 Petr 3, 16. 131) 2 Cor 2, 17. 132) Ibid. 4, 2. 133) Cf. *Dissert. 3-4*, sect. 4, lib. 2. 134) *Praescriptio 8*, cp. 38, (P. L. 2, 52). 135) Ibid. 136) Ms.: *Resecandos.*

peraddunt Scripturis, alii varie distinguunt sententias varieque interpungunt. Sicut olim Ariani, ne cogerentur fateri Divinitatem Christi, per illud : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum,* [137] ita interpungebant : « Verbum erat apud Deum et Deus erat » ; deinde : « Verbum hoc erat apud Deum in principio ». [138]

Lutherus ex canone Scripturae libros et sententias detraxit;

Lutherus autem ex canone Sacrarum Scripturarum multos libros detraxit : Tobiam, Iudith, Machabaeos, Sapientiam, Siracidem, partem Esther, partem Danielis ex Veteri Testamento ; ex Novo autem epistolam Iacobi, Apocalypsim Ioannis, epistolam Iudae et alias quasdam. [139] Integras etiam sententias maximi momenti, qualis est illa ex epistola prima Ioannis : *Tres sunt qui testimonium dant in coelo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt ;* [140] et illa ad calcem 15 capitis *Actuum Apostolorum : Praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum.* [141] Quare mirum in modum detractione usus est.

aliqua verba addidit;

Nec detractione tantum, verum etiam additione, nam in capite 3 epistolae *ad Romanos*, ad illud : *Per legem... cognitio peccati,* [142] addidit tantum ; et ad illud : *Arbitramur... iustificari hominem per fidem sine operibus legis,* [143] similiter addidit : *Arbitramur... iustificari hominem per fidem* tantum. Et tandem in sua Bibliorum germanica versione sententias varie admodum distinxit et interpunxit, [144] ut Scripturam ad suos sensus pertraheret. Quod per transennam nunc dicimus, proprio loco favente Deo probaturi.

aliqua mutavit in sua versione;

quae versio tamen est primarium ecclesiae lutheranae fundamentum.

Et tamen ista Lutheri germanica versio Bibliorum est primarium unicumque lutheranae ecclesiae fundamentum, adeo ut Polycarpus noster, tantus licet doctor, nonnisi ex ista Lutheri versione in suo libello contra nos Scripturarum testimonia proferat, [145]

137) Io 1, 1-2. 138) S. Ambrosius *Expositio Evang. sec. Lucam*, lib. 1, (P. L. 15, 1539); Io. Iac. Griesbach *Novum Testamentum Graece*, vol. 1, pag. 425, ed. 2, Halae Saxonum 1796.

139) Quoad Tobiam, Iudith, Machabaeos, Sapientiam, Siracidem et partem Esther et Danielis, cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 1, lib. 1 *De Verbo Dei*, cp. 9-10, pag. 14-15, Venetiis 1721; Hart. Grisar *Luther*, B. 3, S. 420. Quoad epist. Iacobi, Apocalypsim Ioannis, epist. Iudae et ad Hebraeos, cf. *Das Newe Testament* D. Mart. Luthers, *Praefatio* in has singulas partes, Wittemberg, Hans Lufft 1566. Cf. etiam Hart. Grisar op. cit. B. 3, S. 420. 441-446.

140) 5, 7. Cf. *Das Newe Testament* D. Mart. Luthers, ed. cit. 141) Vr. 41. 142) Vr. 20. 143) Ibid. vr. 28. 144) Cf. I. Döllinger *Die Reformation*, B. 3, S. 140-142, Regensburg 1848; Hart. Grisar op. cit. B. 3, S. 434-441. 145) Cf. Laiseri libellus, pag. 35, in qua citatur Rom 3, 28. 31; pag. 46, ubi epist. S. Iacobi extra canonem ponitur; pag. 86, ubi iterum cit. Rom 3, 28.

mirabili argumentandi genere ex principiis minime concessis, imo palam pernegatis; cum sciat nos Lutheri versionem tanquam omnium pessimam corruptissimamque prorsus damnare, reprobare, nec nisi ultricibus flammis dignam ducere.

XII. Sed fuerit, ut ipsi volunt, Lutherus interpres Divinorum Voluminum omnium optimus; ipsi Lutherani istud ipsum quî certo scire possunt quod Lutherus Scripturas praesertim Veteris Testamenti melius interpretatus sit ad veritatem hebraicam quam moderni omnes interpretes: Sanctes Pagninus, Franciscus Vatablus, Sebastianus Munsterus, Sebastianus Castalio, Theodorus Beza, Udalricus Zwinglius et alii? Melius quam omnes antiqui: Symmachus, Theodotio, Aquila, Vulgatus Interpres, D. Hieronymus, Septuaginta Interpretes, viri hebraicae linguae scientissimi?

Si Lutherus optimus fuit Scripturarum interpres, alii non spernendi.

At fuit Lutherus, tanquam propheta divinitus missus ad reformandam reparandamque Ecclesiam, copiosiori Divini Spiritus afflatu illustratus. Sed si ex Divini Spiritus afflatu tanquam propheta interpretatus fuit Sacra Biblia, et in germanicam linguam vertit; quid est quod post primam editionem suam, istam versionem saepius emendatam, castigatam, recoctam atque recusam nobis exhibuit?[146] Itane Spiritus Sanctus creditur ipsis errare posse et errare, ut opus sit postea emendare et repurgare errores? Et quonam divino oraculo certi facti sunt Lutherum copiosiori Divini Spiritus afflatu praeditum melius veriusque quam omnes alii interpretes, sive recentiores sive antiquiores, Sacra Biblia interpretatum fuisse? Quod si dicant se id certo scire evidentia veritatis, qua scitur et certum est quod sol longe splendidior et lucidior est ceteris quibuscumque astris; sed unde, quaeso, Lutheranis omnibus ista talis tantaque rei evidentia? Quotusquisque Lutheranorum est, qui originales Sacrarum Litterarum linguas hebraicam, chaldaicam, graecam tam apprime calleat, ut possit Lutheri editionem conferre cum fontibus, ita ut, evidenter conspecta veritate, certus sit Lutheri editionem ne latum quidem unguem ab originalibus purissimis fontibus distare?

Si fuit propheta, cur primam versionem saepius emendavit?

Nullo signo constat Lutherum melius omnibus Scripturam interpretatum fuisse.

146) Cf. I. Döllinger op. cit. B. 3, S. 142 sqq.; Hart. Grisar op. cit. B. 3, S. 418-425.

Lutherani, eatenus certi sunt de Lutheri editione Bibliorum, quatenus de sua divina missione. Sed ostensum est Lutherum non fuisse a Deo vocatum.

Sunt autem Lutherani eatenus certi de editione Lutheri quod optima sit atque divina, quatenus certi sunt Lutherum fuisse a Deo missum prophetam divinum. Sed cum ageremus de vocatione Lutheri, pluribus ostendimus [147] Lutherum hac de re minime certum fuisse et tremulo corde dubitasse. Quomodo igitur tam certi ipsi sunt de Lutheri vocatione et missione divina, de qua ipse nil certus dubitavit, et tandem asseruit [148] se non esse vocatum a Deo immediata vocatione instar Prophetarum et Apostolorum, sed mediata per hominem, instar aliorum doctorum, qui ab Episcopis et pastoribus legitime ad verbi ministerium sunt vocati?

Iniuria ergo adhaerent Bibliis Lutheri.

Et tamen, bone Deus! adeo tenaciter, ita mordicus tenent Lutherani Biblia Lutheri, ut sane citius Turcae et Arabes, Mahumeti addicti, relicturi sint falsi illius prophetae *Alchoranum*, hoc est, mahumeticam legem, quam Lutherani prophetae sui Lutheri Biblia, catechismum, doctrinam. Et utinam, quod spectat ad morum honestatem probitatemque moralis conversationis, multo melior sit lutherana secta a Luthero, quam mahumetana iuxta *Alchoranum* a Mahumete instituta! Rem dico mirabilem; sed utinam minime veram!

Nulla igitur firmitate ecclesiae lutheranae fundamentum consistit.

XIII. Sed hac de re suo loco. [149] Nunc tantum dixisse et indicasse sufficiat quod lutheranae ecclesiae fundamentum nulla prorsus solida firmitate consistit; infirmum, debile, arenaceum est. Itaque lutherana ecclesia non domus est a sapiente viro supra firmam petram fundata, quae nihil sibi timere possit a turbinibus et tempestatibus, licet maxime violentis, ventorum, pluviarum, fluminum; sed domus a stulto posita fundataque super arenam.

Connexio cum sequentibus.

Quoniam vero ecclesiae huius Lutherus non modo fundator, verum et fundamentum extitit existitque, ad veritatis, quam solam, testis Deus est, notam esse cupimus, ad veritatis, inquam, luculentiorem evidentioremque manifestationem; ostendendum nunc nobis est quam revera instabilis, lubricus, gracilis, arundineus, arenaceus homo Lutherus fuerit, ut magis magisque conspicuum fiat perspectumque sit quali fundamento nixa sit ecclesia lutherana, adeo ut non possit esse Christi Ecclesia supra firmam solidamque petram fundata, adversus quam portae inferi praevalere non possunt.

147) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 3*, pag. 77-90
148) Cf. ibid. *Dissert. 4*, pag. 90-98. 149) Cf. *Dissert. 8*, lib. 1. sect. 2.

DISSERTATIO SECUNDA

QUOD LUTHERUS SPIRITU VERTIGINIS ET ERRORIS ACTUS MAGNA INCONSTANTIA LABORAVIT ET TANQUAM ARUNDO VENTO AGITATA FUIT [1]

I. Prophetae et Apostoli ad ministerium verbi divinitus missi appellantur in Sacris Litteris fundamenta, ut Paulus ait: *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* [2] appellantur et columnae, sicut idem Paulus *ad Galatas* ait quod apostoli *Iacobus..., Cephas et Ioannes... videbantur columnae esse;* [3] et in *Apocalypsi* legimus: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* [4] Ubi videtur alludere ad duas illas columnas in templo Salomonis praestantissimas, quarum una dicebatur *Iachim*, hoc est, *firmitudo*, altera vero *Bohoz*, hoc est, *potentia, fortitudo, robur*, [5] eo quod essent columnae firmissimae ac solidissimae, perpetuo duraturae.

Prophetae et Apostoli appellantur in Scripturis fundamenta et columnae,

His autem similes dicti sunt Apostoli et Prophetae ad verbi ministerium divinitus missi, quoniam magno animi robore, constantia, fortitudine a Deo donantur, cum accinguntur destinanturque ad tam arduum opus contra capitales Dei inimicos, mundum et diabolum. Hinc ad Ieremiam Dominus ait, cum ipsum ad praedicandum misit: *Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum... regibus Iuda,* etc. *Et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, dicit Dominus, ut liberem te.* [6] Hinc licet praeceperit Dominus Apostolis praedicationem Evangelii per universum mundum, noluit tamen eos praedicationem auspicari, nisi prius Spiritus Sancti virtute firmati roboratique essent: *Sedete,* inquit, *in civitate, donec induamini virtute ex alto.* [7] Sic Paulus

quia contra mundum et diabolum magna constantia pugnaturi;

1) Cod. 2, f. 167ª-174ᵇ. 2) Eph 2, 20-21. Vulg.: *Super fundamentum.* 3) 2, 9.
4) 3, 12. 5) Cf. 3 Rg 7, 21. 6) Ier 1, 17-19. Vulg.: *Murum... ait Dominus.*
7) Lc 24, 49. Vulg.: *Quoadusque.*

ait : *Idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti non littera, sed spiritu.* [8]

et ideo donis scientiae, timoris et fortitudinis a Deo replendi.

Inter dona autem Spiritus Sancti non legimus tantum dona sapientiae, intellectus, scientiae et consilii, quae necessaria sunt ad doctrinam evangelicam rite tradendam, verum etiam donum timoris Domini, quo sanctificatur homo, ut exemplo sanctae vitae permoveat cum ad capessendam tum ad observandam coelestis institutionis doctrinam, et praeterea donum fortitudinis, [9] quo animus, divina virtute roboratus ac pericula persecutionum nihil moratus, verbum Dei imperterrito et constantissimo corde etiam in medio inimicorum tanquam ovis inter lupos [10] annunciet. Homines igitur, quos Deus mittit ad praedicandam gloriam suam et hominum salutem, Divino Spiritu afflatos reddit ministros idoneos, rebus necessariis affatim libereque instructos, nempe mirabili vitae sanctitate, clara certaque praedicandae veritatis cognitione et animi magna fortitudine atque constantia.

Quae dona eluxerunt in Prophetis et in Apostolis;

II. Tria haec in sanctis Prophetis multoque clarius in Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum, nemo est qui non luce clarius conspicari possit. Haec Christus in Ioanne Baptista laudavit, dum ad populum de ipso pro concione dixit, quod esset *lucerna ardens et lucens,* [11] quod non esset *arundo vento agitata,* hoc est, homo levis, instabilis, inconstans, non *homo mollibus* in deserto *vestitus,* hoc est, homo deliciis, quae *in domibus regum sunt,* deditus ; sed *propheta... et plusquam propheta,* hoc est, homo sanctissimus, imo Angelus a Deo missus, [12] nuncius Dei certissimus.

maxime vero in Petro, qui magna constantia coram pontificibus praedicavit

Haec tria de Petro praesertim post acceptum Spiritum Sanctum in *Actis Apostolorum* referuntur, maxime vero animi constantia in asserenda et praedicanda christianae fidei veritate in medio Iudaeorum, hoc est, capitalium Christi inimicorum, etiam in ipso Iudaeorum concilio coram principibus synagogae, Christi hostibus immanissimis et infensissimis.

et plurimos ad Christum convertit,

In die Pentecostes Christum in ipsa civitate Ierusalem liberrime praedicavit, et in una illa concione tria hominum millia ad Chri-

8) 2 Cor 3, 6. Vulg.: *Idoneos nos fecit ministros.* 9) Cf. Is 11, 2-3. 10) Cf. Mt 10, 16. 11) Io 5, 35. 12) Mt 11, 7-10. Vulg.: *Arundinem vento agitatam ?... Hominem mollibus vestitum ?... Prophetam ?*

stum convertit;[13] in altera vero concione ad populum habita in ipso templo Iudaeorum Ierosolymis, quo una cum Ioanne ascenderat *ad horam orationis nonam*, facto ingenti miraculo *ad Speciosam portam templi*, quinque millia hominum a tenebris ad lumen christianae fidei perduxit.[14]

Constitutus coram summis pontificibus et principibus sacerdotum in concilio Iudaeorum tanta animi constantia Christi fidem praedicavit, quod principes illi *videntes... Petri constantiam et Ioannis, admirabantur, comperto quod homines essent sine litteris et idiotae.*[15] Et cum a principibus denunciatum eis fuisset, ne omnino loquerentur aut docerent amplius in nomine Iesu, *Petrus... et Ioannes* magna animi constantia, tantos principes tantosque Christi inimicos nihil veriti, *dixerunt...: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate; non enim possumus, quae audivimus et vidimus, non loqui;*[16] nec ullo modo adduci potuerunt, ne Christi fidem christianaeque fidei certissimam veritatem praedicarent. Coniecti fuerunt in carcerem, sed ab Angelo liberati, iussique ut in templo stantes ad populum praedicarent, comprehensi iterum a magistratu, et a ministris iterum ad tribunal ducti atque a principe sacerdotum iterum obiurgati, quod severe iussi ne Christi fidem praedicarent, replessent Ierusalem doctrina sua; *Petrus et Apostoli responderunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*[17]

nec adduci potuit, ut taceret.

Ita post haec Stephanus protomartyr summa animi constantia Christi fidem Ierosolymis et in ipso Iudaeorum concilio liberrime praedicavit, et propter Christi fidem vitam ipsam sanguinemque prodegit.[18] Quem postea Paulus secutus inter gravissimas summasque persecutiones certissimam semperque eandem christianae fidei veritatem incredibili animi constantia ubique gentium praedicavit.[19]

Item in Stephano protomartyre et Paulo.

III. Sicut autem in Apostolis mirabilis fuit constantia animi, ita et doctrinae. Quapropter Paulus *ad Corinthios* ait: *Nunquid levitate usus sum? Aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos,*

Apostoli, sicut constantia animi mirabiles, ita et doctrinae,

13) Cf. Act 2, 14-41. 14) Cf. ibid. 3, 1-10; 4, 4. 15) Ibid. 4, 13. Vulg.: *Comperto quod homines essent..., admirabantur.* 16) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Quae vidimus et audivimus.* 17) Ibid. 5, 17-41. Vulg.: *Dixerunt.* 18) Cf. ibid. 6, 8; 7, 1 sqq. 19) Cf. ibid. 9, 19-30; 13, 1-28. 30; 2 Cor 11, 23-28.

ut Paulus de se testatur.

non est in illo Est et Non. Dei enim Filius..., qui in vobis per nos praedicatus est per me et Silvanum et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est ; ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. [20] Quibus verbis Paulus indicat prius animi sui constantiam, quod non fuerit levis et inconstans in dictis factisque suis; deinde doctrinae constantiam, quod eandem semper constanter praedicaverit, non autem hoc quidem, tempori serviens, nunc affirmaverit, nunc negaverit; sicut et Christus doctrinam suam absque ulla variatione eadem semper veritatis constantia docuit et praedicavit. Veritas enim fidei et doctrinae, quae secundum fidem est, una est, invariabilis est, sicut Deus unus et immutabilis est : *Unus Dominus, una fides.* [21] Ita Ecclesia catholica propter perpetuam in fidei doctrina constantiam dicta est a Paulo *columna et firmamentum veritatis.* [22]

Sic in Ecclesia semper eadem servata est doctrina, quia in ea semper idem est Spiritus veritatis.

In Ecclesia catholica semper omnibus saeculis et ubique locorum in omnibus conciliis, in Sanctis Patribus orthodoxis, in catholicis Doctoribus eadem omnino invariata fuit catholicae fidei doctrina, quoniam in Ecclesia semper idem est Spiritus, omnis veritatis magister: *Paraclitus...,* inquit, *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* [23] Et: *Cum... venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* [24] Non ad modicum autem tempus, sed *rogabo,* inquit, *Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* [25]

E contra haeretici semper in fide haesitantes circumferuntur variis doctrinis,

At haeretici, cum spiritum Dei non habeant, sicut Iudas apostolus ait, *animales, spiritum non habentes,* [26] cumque in fide perpetuo haesitent, in doctrina fidei longe sunt inconstantes; *qui enim haesitat in fide,* inquit D. Iacobus, *similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur... Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* [27] Sequuntur doctrinas varias et peregrinas, quas Paulus *ad Hebraeos* prohibet, dicens : *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ; optimum est enim gratia stabilire cor.* [28] Circumferuntur *omni vento doctrinae,* contra quod Paulus *ad Ephesios* ait : *Non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae*

20) 2 Cor 1, 17-20. 21) Eph 4, 5. 22) 1 Tim 3, 15. 23) Io 14, 26. 24) Ibid. 16, 13. 25) Ibid. 14, 16-17. 26) Vr. 19. 27) 1, 6. 8. 28) 13, 9.

in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.[29] Sunt enim de stirpe Cain, qui *egressus* fuit *a facie Domini vagus et profugus.*[30] De haereticis autem Iudas apostolus ait: *Vae iis, qui in via Cain abierunt;*[31] habitasse autem Cain dicitur in terra *Nod*, quod est *motus, vagatio, instabilitas.*[32] Talis est haereticorum habitatio, vagantur instabiles, circumacti spiritu vertiginis et spiritu erroris.

ut de Arianis testatur Athanasius, et Tertullianus de haereticis in genere.

D. Athanasius libro *De Decretis Nicaenae Synodi* adversus haeresim arianam ait[33] iuxta Iacobi apostoli sententiam Arianos esse homines duplices corde, instabiles in omnibus viis suis, eo quod nunquam eandem sequerentur sententiam, sed eandem nunc laudarent, nunc e vestigio vituperarent. Tertullianus in suis *Praescriptionibus* istam haereticorum inconstantiam cum primis notat, ubi de haereticorum moribus et ἀταξία,[34] futili, inquam, conversatione agit, dicens[35] quod « variant etiam a regulis suis, dum unusquisque suo arbitrio modulatur quod accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille, qui tradidit ».

Ex dictis facile perspicitur quale fundamentum habeat ecclesia lutherana.

IV. Videri possumus tam longa digressione extra aleam cucurrisse et aerem verberasse; sed dicturi de Lutheri inconstantia non ab re esse duximus haec praefari, ut ex his, quae dicta sunt, fiat dilucidius quod dicendum est, et luculentius cerni possit quam bene conveniant fundamento lutheranae ecclesiae ea, quae vidimus in Prophetis et Apostolis, quos Dominus posuit fundamenta Ecclesiae Christi.

Lutherani volunt Lutherum divinitus missum, sed sine comite, quod Deus vix aliquando fecit;

O rem mirabilem! Volunt Lutherum divinitus missum ad reformandam reparandamque Ecclesiam, et quidem solum, sine comite, absque coadiutore, quod Deus vix aliquando fecit. Nam, sicut Dominus discipulos *misit... binos ante faciem suam in omnem... locum* ad praedicandum Evangelium;[36] ita Deus misit quidem Moysen, sed cum ipso etiam Aaronem;[37] misit Eliam,[38] sed tunc multi erant Prophetae Domini in Israel[39] et ei adiunxit Eliseum, ut *Regum* narrat *Historia;*[40] misit Isaiam,[41] sed tunc temporis erant etiam Michaeas[42] atque

29) 4, 14. 30) Gn 14, 16. 31) Vr. 11. Vulg.: *Vae illis, quia*, etc.
32) Gn 4, 16. Vulg.: *Habitavit profugus in terram ad orientalem plagam. Nod* est ex hebraico. Ut nomen proprium acceperunt etiam Septuaginta. Cf. *La Sainte Bible Polyglotte* par F. Vigouroux; Iosephus Flavius *Antichità Ebraiche*, vol. 1, cp. 3, f. 7ª. Vers. ital. L. P. Modenese B. Costantini, Venetiis 1549. 33) P. G. 25, 430. 34) Ms.: Αταξια. 35) *Praescript. 9*, cp. 42, (P. L. 2, 58). 36) Lc 10, 1. 37) Cf. Ex 3, 10; 4, 14. 38) Cf. 3 Rg 18, 1. 39) Cf. ibid. vr. 4. 40) Cf. ibid. 19, 19-21. 41) Cf. Is 6, 8-9. 42) Cf. Mich 1, 1.

Oseas,[43] qui omnes prophetarunt in diebus Ioathan, Achaz et Ezechiae regum Iuda, quo etiam tempore Amos in Israel prophetabat;[44] misit Ieremiam[45] sub tempus captivitatis, sed eodem tempore cum alii multi tum Ezechiel,[46] Daniel[47] aliique Prophetae Domini floruerunt.[48]

Et in Novo Testamento non unum tantum Apostolum misit, sed multos,[49] Petroque Paulum coapostolum dedit.[50] Ioannem Baptistam solum misisse visus est;[51] sed mox atque Ioannes praedicare coepit, Christus ipse praedicationem Evangelii auspicatus fuit.[52] Quoscumque autem missos in Sacris Litteris novimus, legimus Spiritus Sancti virtute optime instructos, et, ut diximus, spiritu sanctitatis, spiritu veritatis et spiritu fortitudinis, constantiae et stabilitatis abunde refertos; et praeterea divina auctoritate et potestate donatos, ut miraculis possent missionem divinam probare doctrinamque suam confirmare vereque divinam ostendere.

absque sanctitate et certitudine veritatis.

Lutherus autem praeter ordinariam Dei solitamque mittendi rationem missus a Deo, quî credendus est, cum solus venerit, sine miraculis, absque ulla excellentia sanctitatis, sine ulla certitudine veritatis et cum multis haud obscuris signis ingentis instabilitatis? Vitam duxit e diametro apostolicae vitae, statim atque cucullam deposuit, oppositam, incesta sacrilegaque libidine maxime turpem, longe ab omni vel specie sanctioris vitae. Certitudinem autem missionis suae nullis modis probavit, nisi illis tantum, qui haereticis fuere semper valde solemnes.[52a]

Lutherus magna inconstantia laboravit, dum citatus Romam ire noluit;

V. Nunc de inconstantia ipsius dicendum, ostendendumque quam instabilis et inconstans homo fuerit, praesertim vero in doctrinae dogmatibus. Non enim necesse est dicere an Lutherus, sicut de Stephano legimus,[53] plenus fuerit fortitudine in praedicanda, quam praetexebat, evangelii sui veritate in medio inimicorum Christi, longe enim notum est quanto pavore sibi ab omnibus periculis prudentissime[54] caverit. Citatus enim Romam, ut doctrinae suae redderet

43) Cf. Os 1, 1. 44) Cf. Am 1, 1. 45) Cf Ier 1, 2-3.
46) Cf. Ez 1, 1-2. 47) Cf. Dn 1, 1-2. 48) Cf. Bar 1, 1-4; Dn 14, 32-38; Soph 1, 1; Agg 1, 1; Zach 1, 1. 49) Cf. Mc 16, 14. 50) Cf. *Brev. Rom. Oratio* in die Octava SS. Petri et Pauli; Gal 2, 7-8. 51) Cf. Lc 3, 1-5. 52) Cf. Mt 3, 1-17; Lc 3, 1-23.
52a) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3-5, pag. 62 sqq. 53) Cf. Act 6, 8.
54) Ms. super: *Prudentissime* habet: *Solicitissime*, at alia manu superpositum.

rationem, seipsum excusavit, multaque, praesertim vero pericula, quae sibi ab adversariis imminebant, causatus fuit; quare per Fridericum, Saxoniae ducem, egit, ne Romam ire cogeretur. [55] Cumque tanti principis auctoritate voto potitus fuisset, causaque commissa fuisset Cardinali Caietano per Germaniam Legato Apostolico, Augustam citatus coram Cardinali, nonnisi stipatus litteris commendatitiis serenissimi ducis Augustam venit, nec coram Cardinali comparuit, nisi publica fide Maximiliani caesaris bene munitus. [56] Et nihilominus, cum nec sic hisce praesidiis satis tutus esse sibi videretur, Augusta a Cardinali clam facta appellatione ad Papam, [57] turpi fuga se praeripuit, [58] atque in tutissimum locum sub patroni sui ducis Saxoniae favore et protectione se recepit. [59] Itane spiritus Christi, qui spiritus est fortitudinis et virtutis hominemque Samsone fortiorem facit, Lutherum pavidum reddere potuit?

citatus Augustam, commendatitiis litteris munitus comparuit.

In libro *Adversus Coelestes Prophetas* in ipso ferme vestibulo secundae partis habet Lutherus, [60] quod, quando Deus urget aliquem ad loquendum, loquetur libere et manifeste, etiamsi nemo se illi adiungeret, sicut Ieremias faciebat. Bene est; sed cur Lutherus, si a Deo cogebatur ad loquendum, nonnisi sub tutela et protectione ducis Saxoniae evangelium suum praedicavit? Cur [61] non ivit Romam, ut ibi doctrinae suae rationem redderet et evangelium praedicaret, sicut Ieremias nonnisi in Ierusalem, ubi multos habebat potentissimosque adversarios, praedicare voluit, nihil moratus insidias, quae ei struebantur, nec graves persecutiones, quae sibi inferebantur? [62] Sic enim et Paulus multis etiam dehortationibus Ierosolymam ire voluit, ut ibi doctrinae suae redderet rationem, cum sciret quod tribulationes et vincula ipsum Ierosolymis manerent. [63] Sed non fuit ita prudens Paulus atque Lutherus, ut sibi a periculis prudenter caveret. Et tamen eodem loco ait Lutherus, [64] quod gloriari poterat se ita fecisse, sicut Ieremias, si tamen superis placet. Utinam vel simia fuisset Ieremiae!

Et tamen ait quod, qui a Deo urgetur, loquitur libere et manifeste;

quod tamen ipse minime praestitit.

55) Cf. *Praefat.* Op. Lat. W. L. t. 1, f. II. 56) Ibid. f. II-III; epist. *ad Fridericum Saxoniae ducem*, ibid. f. 221. 57) Ibid. f. 217. 58) *Praefat.* Op. Lat. ibid. f. III; *Acta... Augustae Habita*, etc. ibid. f. 212; epist. *ad Card. Caietanum*, ibid. f. 216. 59) *Acta M. Lutheri Augustae Habita*, etc. ibid. f. 212^b; epist. *ad Card. Caietanum*, ibid. f. 216^b. 60) *Wider die Himlischen Propheten*, W. G. t. 2, f. 30^b. 61) Ms.: *Cum*. 62) Cf. Ier cp. 20. 26. 36-37. 63) Cf. Act 20, 22. 64) W. G. t. 2, f. 30^a.

De inconstantia Lutheri in doctrina testes sunt Fr. Staphylus, Io. Cochlaeus et Io. Pistorius, qui permultas antilogias notarunt in eius scriptis.

VI. Sed de inconstantia in doctrinae dogmatibus dicendum est; et quidem magna hac in re inconstantia laborasse Lutherum, a non paucis gravibus viris notatum est. Fridericus Staphylus, prius Lutheri aureus discipulus, postea Dei gratia egregius catholicus, in libro *De Lutheri Theologia* multas variasque gravissimis in rebus antilogias Lutheri, hoc est, toto genere dissentientes sententias [notavit]. [65] Ioannes Cochlaeus integrum hac de re librum scripsit, quem *Lutherum Septicipitem* nominavit, ubi foedo deformique aspectu ex una cuculla septem forma et figura prominentia capita descripsit, quae diversis de rebus magna contentione rixabantur; [66] ubi ad finem adiecit Lutheri ipsius de uno doctrinae articulo, nempe *De Communione sub Utraque Specie*, triginta sex differentes repugnantesque sententias. [67] Quam rem non ita pridem integro iustoque volumine ostendit multo fusius et evidentius Ioannes Pistorius, [68] vir sane eruditissimus et in Luthero praesertim confutando longe praestantissimus.

Item et A. Catharinus

Ambrosius Catharinus, in Lutherum scribens, [69] istam eandem in doctrina repugnantiam ipsi obiecit quinque [70] libris editis. Lutherus autem in libro suo *Adversus* ipsum *Catharinum* ad hoc ita respondit: [71] «Omitto illa quae Catharinus inducit pugnantia. Fateor ipsemet me male de indulgentiis, Papa, Romana Ecclesia, conciliis, etc. sensisse, unde et in posterioribus libellis omnia revocavi». Et postea ait: [72] «Tarde venisti, Catharine, tarde, tarde et nimis vetera commemoras». Quasi nulla alia in se pugnantia docuerit, nisi quod revocaverit ea, quae antea in papatu docuerat! Henricus VIII Angliae rex in libro *De Septem Sacramentis*, quem in Lutherum scripsit, passim ipsum arguit [73] quod sibi ipsi contradiceret.

et Henricus VIII rex Angliae.

Lutherus suos errores

VII. Intellexit Lutherus quod hac in re apud multos valde male audiret; sed calumniae deputavit. Hinc in *Praefatione* ad primum

65) *Theologiae Lutheranae Trimembris Epitome*, part. 2, f. 26a-41b, Antuerpiae 1558.
66) *Septiceps Lutherus*. Tabula contradictionum Lutheri XXXVI super uno articulo de Communione Eucharistiae, etc. cp. 45 *De Reliquis Nugis Novae Visitationis*, f. 111b, Parisiis 1564.
67) Ibid. f. 124-135. 68) *Anatomia Lutheri*, Cöln 1595-1598. 69) *Apologia pro Veritate Catholicae et Apostolicae Doctrinae adversus Impia ac valde Pestifera M. Lutheri Dogmata lib. 5*, f. 4a-96a, Florentiae per haeredes Phil. Iuntae 1520. Revera Amb. Catharinus *quinque* libros scripsit *contra Lutherum*. Cf. Ad. Rev. P. Ambrosius de Altamura *Bibliothecae Dominicanae, Centuria 4*, pag. 303-305, Romae 1677. 70) Ms.: *Sex*. 71) W. L. t. 2, f. 142a.
72) Ibid. 73) Pag. 10. 13-14. 22. Steph. B. Guilliretí, Romae 1521

tomum Operum suorum agnoscit quidem scripta sua esse rude quoddam et indigestum chaos, quod nec ipsi quidem facile fuisset digerere, ita ut cuperet ipse omnes libros suos perpetua oblivione sepultos. Quare pium lectorem per Christum orat, ut cum iudicio scripta sua legat, imo cum multa miseratione: « Invenies, inquit, [74] in istis meis scriptis prioribus, quam multa et magna humillime concesserim Papae, quae posterioribus istis temporibus pro summa blasphemia et abominatione habeo et execror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel, ut ipsi calumniantur, antilogiam, tempori et imperitiae meae. Solus primo eram et certe ad tantas res tractandas ineptissimus et indoctissimus. Casu enim [75] non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor ». Ita calumniam deputat adversariis suis, qui dicunt in scriptis suis reperiri antilogias, errorem deprecatur tempori et imperitiae tribuendum. Sed quis unquam Prophetarum aut Apostolorum in doctrina sua errorem agnovit, confessus et deprecatus fuit?

defendere conatur, dicens quod solus erat et ad tantas res tractandas ineptissimus;

Nec specificavit quanam in re singulariter erraverit; dicit Lutherus se errasse, quoniam Papae in prioribus scriptis multa et magna concesserit, quae posterioribus pro magna blasphemia et abominatione habuerit et execratus fuerit. Bene; fatetur ergo se in multis errasse, quoniam primo solus erat; ergo sine Deo. Propterea «ineptissimus et indoctissimus ad tantas res tractandas»; nam « casu incidit in has turbas». Non igitur divinitus vocatus et missus, nam qui divinitus vocatus missusque est, solus non est; *quia ego tecum sum*, dixit Dominus ad Ieremiam, [76] cum ipsum misit; *ego ero tecum et docebo te quid loquaris*, dixit ad Moysen. [77] Propterea qui missus a Deo est, non errat in doctrina, quoniam divinitus doctus est; sicut et Ieremiae dixit: *Dedi verba mea in ore tuo;* [78] sic: *Prophetam in gentibus dedi te.* [79]

hinc se ostendens minime a Domino missum.

Sed audiendus nobis Lutherus est in libro *Adversus Regem Angliae* quid respondeat, et quanta cum modestia, tali sane propheta quam dignissima, a se istam depellat antilogiarum calumniam, ubi sic loquitur: [80] « Primum diluam duo crimina, quae mihi thomisticus rex prae impotentia sua muliebri imponit, quorum alterum, esse videlicet me mihi ipsi saepius contrarium. Hoc suum impudens men-

Lutherus conatur a se depellere calumniam antilogiarum, dicens

74) W. L. t. 1, f. II. 75) Ms. repetit: *Casu enim.* 76) Ier 1, 8. Vulg.: *Quia tecum ego sum.* 77) Ex 4, 12. Vulg.: *Ego ero in ore tuo, doceboque.* 78) Ier 1, 9. 79) Ibid. vr. 5. 80) W. L. t. 2, f. 357ᵃ.

dacium etiam contra propriam conscientiam sic per totum librum urget et elevat », etc.

Quam quidem calumniam et impudens, ut ipse ait, mendacium, a se ita depellit post multa interiecta, dicens : [81] « Ut igitur redeam ad egregiam illam regis thomistitatem, qua me damnat ut pugnantia scribentem et mihi ipsi nulla parte constantem, ubi miserabilis librifex, inopia rerum laborans, verbis virulentis multum papyri se posse perdere monstravit ». Et post plaustra conviciorum in regem exonerata: « Accede, inquit, [82] gloriose thomista, ad ferulam ; docebo te quid sit pugnare dogmata. Si hoc est sibi non constare in dogmatibus, ut rex thomisticus definit, siquis aliter sentiat, cognita veritate et errore revocato, quam antea senserat ; quis vel sapientissimorum, vel sanctissimorum virorum sibi unquam constitit ? Damnabimus Pauli epistolas universas, quod ille post conversionem penitus stercora vocat, quae antea in iudaismo sibi lucra fuerant ? [83] Damnemus et Augustinum, qui singulari libro multa retractavit, [84] et longe contraria primis docuit ? » Docet autem ipse quidnam sit pugnantia docere, inquiens : [85] « Haec potius sunt pugnantia dogmata, ubi simul docueris contraria ; simul defenderis et asserueris, neutrum revocaris aut damnaris ».

quod non sit pugnantia docere, si quis, cognita veritate, aliter quam antea sentiat; alioquin Paulus et Augustinus errassent,

sed si quis contraria simul doceat.

VIII. Tenebimus hanc Lutheri regulam ; sed diluamus imposturam. Retractavit D. Augustinus multa, nemo nescit. Sed D. Augustinus nunquam prophetam aut apostolum egit, nunquam dixit quod Lutherus in isto ipso libro *Contra Regem Angliae* dicit : [86] « Certus sum dogmata mea habere me de coelo » ; neque illud eiusdem in eodem libro non longe post : [87] « Doctrinam ipsam impugnat, quam certissimus sum non meam esse, sed Christi » ; itemque : [88] « Non mea doctrina sibi ulla parte pugnat, nec pugnare potest, cum sit Christi, et orbi toti iam constet me de fide, de caritate, de operibus et de iis, quae Sacris Litteris Spiritus Christi nos docuit, semper fuisse eodem sensu, semper eadem docuisse et scripsisse ». Nunquam, inquam, D. Augustinus de coelesti doctrina gloriatus fuit, nihil humanum a

Haec Lutheri impostura facile diluitur, nam Augustinus nunquam dixit dogmata sua se habere de coelo;

81) Ibid. f. 358b. 82) Ibid. f. 359a. 83) Cf. Phil 3, 7-8. 84) *Retractationum*, lib. 2, (P. L. 32, 583 sqq.). 85) W. L. t. 2, f. 359b. 86) Ibid. f. 357a. 87) Ibid. f. 359a. 88) Ibid.

se alienum putavit,[89] neque, ut L u t h e r u s,[90] doctrinam suam extra omnem aleam iudicii hominum vel Angelorum posuit. Quare D. Augustini exemplum gratis adductum est, et ut Mysorum postremus[91] Lutherus hic navigat.

Paulus vero non agit ibi de doctrina, et si de doctrina, non de ea quam post conversionem acceperat.

Nec Pauli exemplum ad rem quicquam facit; neque enim ibi P a u l u s de doctrina loquitur, cum non legamus Paulum magistrum in synagoga Iudaeorum fuisse, sed discipulum ad pedes Gamalielis,[92] cum nec licuerit ei per aetatem magisterio fungi, adolescens cum esset.[93] De observatione legis mosaicae et paternarum traditionum verba facit.[94] Et licet de doctrina loqueretur, nihil esset. Non enim opponunt Luthero Catholici antilogias, eo quod factus haereticus docuerit pugnantia iis quae prius docuerat, cum esset doctor catholicus; sed quod in scriptis suis post haeresim manifestam multae reperiantur eadem de re pugnantes sententiae, ita ut de una eademque re nunc affirmet, nunc neget, et contraria, imo contradicentia doceat. Quod quidem Paulus post conversionem ne in minima quidem re inventus est deliquisse, Lutherus autem in rebus longe multis et maximis; quod, favente Deo veritatis summo amatore, assertore et vindice, cum de L u t h e r i doctrina agemus, suo loco multis adductis exemplis palam faciemus.[95]

Lutherus e contra post apostasiam pugnantia docuit.

Testis est liber *in Regem Angliae*, in quo convicia facit contra regiam maiestatem;

IX. Sed ne hic lectorem prorsus ieiunum relinquamus, in praesentiarum illicem dabimus, hoc est, exemplis paucis rem hanc notam faciemus. Nec longe petenda nobis exempla sunt; iste ipse liber, *in Regem Angliae* scriptus, evidentem demonstrationem nobis suppeditat, et longe magnae levitatis Lutheri testis locupletissimus est.

89) Cf. *Retract.* lib. 2, *Prologus*, (P. L. 32, 583-586); epist. 148, ibid. 33, 628-629; *De Trinitate*, lib. 3, ibid. 42, 869; *De Bono Perseverantiae*, cp. 21, ibid. 45, 1027-1028. Cf. etiam P. Terentius *Heautontimorumenos*, Act. 1, Scena 1, vr. 25.

90) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 306. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum.

91) Cf. *Dissert. 2*, not. 119.

92) Cf. Act 22, 3.

93) Iuxta consuetudinem Hebraeorum nemo magisterio fungi poterat, nisi adolescentiam superasset. Cf. G. Ursini *Antiquitates Hebraicae Scholastico-Academicae*, apud Bl. Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, vol. 21, cp. 7, col. 882, Venetiis 1758. Adolescentia vero usque ad an. 40 circiter computabatur. Cf. S. Irenaeus *Adversus Haereses*, lib. 2, cp. 22, (P. G. 7, 783-785). De aetate S. Pauli tempore suae conversionis nihil certe noscitur; at procul dubio adolescentiam nondum superaverat. Cf. C. Fouard *S. Pietro e i Primi Anni del Cristianesimo*, cp. 6, pag. 140-141; appendice 1 *Cronologia dei Primi Anni della Chiesa*, pag. 469-470. Vers. ital. G. Albera Torino, Società Editrice Internaz. 1928. F. Prat *La Teologia di S. Paolo*, part. 1, not. A. *La Cronologia dell'Apostolato di Paolo*, pag. 378-388. Vers. ital. G. Albera, Torino, Società Editrice Internaz. 1924.

94) Cf. Gal 1, 14; Phil 3, 3-8.

95) Cf. lib. 2, sect. 3, *Dissert. 9*.

Non dico ex eo quod cum dogmaticus et eristicus [96] liber sit, doctrinam solidam apodicticis argumentis aut firmis rationibus probatam nullam contineat, sed pleraque omnia aprosdionysa cum ingenti conviciorum in regem longe impudentissimorum farragine prope infinita, absque ulla prorsus christiana gravitate et modestia, sed tanta cum scurrili levitate, ut ne a vilissimo scurra impudentiori leviorique scurrilitate liber scribi unquam potuerit, quod legenti librum tam clarum est quam quod clarissimum; sed quia, ipso etiam fatente Luthero, ex levitate scriptus est.

postea veniam petit, dicens se paratum omnia retractare,

Post editum nanque librum, cum timeret sibi Lutherus a tanto rege, epistolam scripsit ad ipsum, in qua tanti erroris veniam supplex humillime deprecatur, dicens: [97] «Quamquam vereri merito debuerim, serenissime rex, illustrissimeque princeps, litteris maiestatem tuam tentare, ut qui mihi conscius maxime sim gravissime offensam esse tuam maiestatem libello meo, quem non ingenio meo, sed incitantibus iis qui maiestati tuae parum favebant, stultus et praeceps edidi». Et quibusdam interiectis: [98] «Ita ut, inquit, vehementer nunc pudefactus metuam oculos coram maiestate tua levare, qui passus sum levitate ista me moveri in talem tantumque regem per malignos illos operarios».

Et postea: [99] «Quare his litteris prosterno me pedibus maiestatis tuae quam possum humillime, et per Christi amorem, crucem et gloriam oro et obsecro maiestatem tuam dignetur sese submittere et veniam dare in quibuscumque maiestatem tuam laesi». Ait item: [100] «Deinde si maiestati tuae serenissimae non videbitur contemnendum, ut alio libello publico palinodiam cantem, et nomen tuae maiestatis rursus honorem, det mihi clementem aliquam significationem; tum in me mora non erit ulla, faciam illud libentissime».

ex hoc ostendens magnam inconstantiam,

Nunc per Deum rogo omnes, qui communi sensu non sunt destituti, iudicent an homo, qui per malignos operarios incitatus in causa religionis librum scribit in regem scurrili levitate longe contumeliosum, mereatur loco prophetae aut apostoli haberi, qui opus habuerit seipsum offerre ad palinodiam canere. *Quis audivit unquam tale?* [101]

Scripserat Lutherus librum longe tartareum *De Captivitate*

96) Ms.: *Eritiens.*
97) W. L. t. 2, f. 533b.
98) Ibid.
99) Ibid.
100) Ibid.
101) Is 66, 8.

Babylonica contra septem sacramenta Ecclesiae. Rex Angliae propugnandam suscepit asserendamque adversus ipsum catholicam veritatem. Agebatur de re gravissima, summi ponderis et momenti; rationibus hic opus erat et argumentis, non conviciis, contumeliis et scurrilibus nugamentis. « Sed, inquit, stultus et praeceps librum edidi, et passus sum levitate me moveri per malignos operarios ».

nam agebatur de re maximi momenti.

Hoc est quod quaerebamus ostendere Lutherum levem hominem et inconstantem. Testimonium habemus, imo confessionem, ex ore ipsius quod stultus et praeceps, levitate motus per malignos operarios, librum scripsit, quo maxime se conscium dicit regiam maiestatem se gravissime offendisse. In causa religionis, in negotio evangelicae veritatis vel propugnandae vel propagandae ita scribitur?

Ipse Lutherus fatetur se in hoc animi levitate motum fuisse.

X. At vero, quoniam liber iste analogiam habet ad librum *De Captivitate Babylonica*, cum adversus regem Angliae propugnet doctrinam in eo traditam ad evertenda septem Ecclesiae sacramenta; videndum nobis est quanta sit doctrinae Lutheri constantia in eo libro. Rem talem tantamque in Christi Ecclesia semper ubique ab omnibus Catholicis creditam Lutherus ita adoritur e medio tollendam: « Principio, inquit,[102] neganda sunt mihi septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Poenitentia et Panis; quamquam, si usu Scripturae loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam, et tria signa sacramentalia ». Voluit Lutherus novus Arcesilas[103] esse, omnia fere theologica dogmata, sicut ille philosophica, incerta reddere et pernegare. Ita cum prius in Ecclesia catholica cum omnibus Catholicis septem sacramenta credidisset; nunc sententiam mutat, et reducit in tria: « Neganda, inquit, sunt mihi septem sacramenta ». Sed qua ratione, quaeso? « Sic volo,[104] sic iubeo; sit pro ratione voluntas ».[105] Sic « tria, inquit, pro tempore ponenda sunt ». Ita quidem Lutherus in ipso veluti vestibulo libri.

Lutherus inconstans fuit in doctrina de sacramentis; nam in libro *De Captivitate Babylonica*, prius dicit ponenda esse tantum tria sacramenta,

Sed quandiu permansit in ista sententia, quod tria sint sacramenta, non septem? In eodem libro fere ad calcem, agens de sacra-

postea tantum duo;

102) W. L. t. 2, f. 68ª. 103) Philosophus Graecus an. circa 315 a. Chr. natus, mediae academiae conditor, cuius effatum erat: « Unum scio, quod nihil scio », et ideo nec alios quidquam scire patiebatur. De eo Lactantius ait: « Arcesilas... introduxit genus philosophiae ἀσύστατον, quod latine *instabile* sive *inconstans* dicere possumus ». *Divinarum Institutionum*, lib. 3, cp. 6, (P. L. 6, 361). 104) *Sendbrif vom Dolmetschen und Fürbitt der Heiligen*, I. G. t. 5, f. 162ᵇ. 105) Iuvenalis *Satir. 6*, vr. 223.

mento Extremae Unctionis, statuit esse tantum duo: « Si rigide inquit,[106] loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta: Baptismus et Panis, cum in his solis et institutum divinitus signum et promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo mirabili et divinitus instituto caret ». In corpore tamen libri post Eucharistiam et Baptismum ponit Poenitentiam tanquam sacramentum, atque de ea tractat tanquam de vero sacramento.[107]

et tamen in eodem libro ait se non negare septem sacramenta.

Mirabilis res ista est! Luthero primum erant cum Catholicis omnibus septem sacramenta, postea haeretico tantum tria, deinde tantum duo, imo si usu Scripturae loquendum est, tantum unum.[108] Et his non obstantibus, in eodem libro ubi de Confirmationis sacramento scribit, ait se non damnare septem sacramenta: « Non haec dico, inquit,[109] quod damnem sacramenta septem, sed quod ex Scripturis ea probari negem ». Hoc autem quam bene convenit cum eo, quod in capite libri dixerat: « Primum neganda sunt mihi septem sacramenta », et cum eo, quod ad calcem: « Quod duo tantum sunt sacramenta », si non damnat septem sacramenta? Quaenam igitur erit constans et solida doctrina de numero sacramentorum?

Nec Lutherani in hoc constantes sunt; alii enim duo sacramenta agnoscunt, plerique tria, Ph. Melanchthon aliquan-

XI. Nec ipsi Lutherani sciunt. Hinc Matthias Illyricus in *Confessione Antuerpiensi*,[110] Martinus Kemnitius in *Secunda Parte Examinis*[111] et Nicolaus Selneccerus in *Secunda Parte* suae *Paedagogiae*,[112] lutherani egregii, ubi de numero sacramentorum agunt, nonnisi duo tantum sacramenta statuunt: Baptismum et Eucharistiam; quod etiam Philippus Melanchthon aliquando sensit in suis *Locis* primo et secundo editis.[113] In *Augu-*

106) W. L. t. 2, f. 92^{b}. 107) Ibid. f. 83^{b}-85^{b}. 108) Ibid. f. 64^{b}. 109) Ibid. f. 86^{a}.
110) *Confessio Ministrorum Iesu Christi in Ecclesia Antuerpiensi*, quae Augustanae Confessioni adsentitur, an. 1579, cp. XI *De Sacramentis* E. 4. Sine loco. 111) *Examinis Concilii Tridentini Opus Integrum*, part. 2, pag. 2-12, Francofurti ad Moenum 1574. 112) *Paedagogiae Christianae*, part. 2, cp. *De Sacramentis*, *De numero Sacramentorum N. T.* pag. 485, Francofurti ad Moenum 1577. 113) *Loci Communes Theologici*, ed. Bretschneider-Bindseil in *Corpus Reformatorum*, vol. 21, col. 211. 296. Quod spectat ad primam editionem *Locorum Communium Theologicorum* certum est Philippum duo admisisse sacramenta, cum clare doceat quod « duo... sunt signa a Christo in Evangelio instituta, Baptismus et participatio Mensae Domini ». Cf. *Corpus Reform.* vol. 21, col. 211. Quoad secundam vero editionem, folia manuscripta desiderantur in Bugenhagen, attamen feliciter fragmentum remanet, in quo eadem doctrina non obscure traditur. Fragmentum quod ex ed. Bretschneider-Bindseil transcribimus, est hoc: [divi] « nas promissiones sentiamus, cum videmus promissionem dei velut scriptam esse in nostris corporibus, immersione ista in aquam, aut sumptione Coenae Domini », etc. Ibid. col. 296.

stanae Confessionis Apologia, quam Lutherani plerique omnes sacrosanctam habent, et ad quam iurant, tria traduntur sacramenta :[114] Baptismus, Eucharistia et Poenitentia, ex Lutheri sententia. Hoc enim pluribus locis post *Captivitatem Babylonicam* docuit, libro *Ad Pragenses de Instituendis Ecclesiae Ministris*,[115] libro *De Missa Privata*[116] et libro *Assertionum* suarum *contra Lovanienses*.[117] Tandem Philippus, Lutheranorum alter si non protoparens saltem protomagister, in *Locis* postremae editionis statuit[118] quattuor sacramenta; addit enim tribus superioribus sacramentum Ordinis.

do quattuor sacramenta statuit.

Scribit autem Sleidanus[119] quod biennio a morte Lutheri coactus fuerit Lipsiae conventus lutheranorum theologorum, inter quos multi fuerunt Wittembergenses theologi, cum quibus et iam Philippus Melanchthon eo se contulit, fuisseque determinatum esse sacramenta septem, ex eo quod Lutherus dixerat se non damnare septem sacramenta. Hinc factum est ut molles Lutherani dici coeperint, maxime vero a Matthia Illyrico,[120] lutherano maxime rigido, eo quod nisi fuerint septem papistica sacramenta iterum restituere.

In conventu Lipsiensi theologi lutherani septem sacramenta admiserunt; hinc molles dicti sunt.

Manifestum itaque est quam lubrica inconstantia Lutherus doctrinam de numero sacramentorum tradiderit, et quam verum sit quod de una eademque re, et quidem in doctrina et causa fidei gravissima, nunc affirmaverit, nunc negaverit pugnantesque sententias scripserit, cum sacramenta nunc septem, nunc tria, nunc duo tantum, nunc nonnisi tantum unum posuerit. Quis non hic videt *arundinem vento agitatam?* Quam vere Lutherus *omni vento doctrinae*[121] circumfertur? Quam *similis* fuerit *fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur ?*[122]

Ergo magna fuit Lutheri inconstantia in doctrina de sacramentis.

114) I. L. t. 4, f. 194. 115) W. L. t. 2, f. 395^{b}-396^{b}. 116) Ibid. t. 7, f. 243^{b}.
117) *Assert. Art. contra Lovanienses*, W. L. t. 2, f. 503^{a}-504^{b}. 118) Part. 4, pag. 333-334.
119) Hic agitur de *Conventu Lipsiensi* a Lutheranis habito an. 1548 iussu Mauritii Saxoniae ducis, in quo revera admissa fuerunt septem Ecclesiae sacramenta et nonnullae etiam ceremoniae. De qua re valde conquestus est Io. Calvinus in epist. *ad Pacaeum* doctorem Lipsicum, et *ad Phil. Melanchthonem*. Op. Omn. t. 9, part. 2, pag. 54-55, ed. cit. Cf. Io. Sleidanus *De Statu Reipublicae et Religionis Carolo V Caesare*, lib. 21, an. 1548, f. 347^{a}-349^{a}, per Cou. Badium 1559, sine loco. Cf. etiam S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 3, lib. 2 *De Sacramentis in Genere*, cp. 23, pag. 91. 120) Cf. Matthias Illyricus *Adhortatio ad Constantiam in Agnita Iesu Christi Religione et Augustana Confessione*, apud S. Rob. Bellarminum *Controversiae Christianae Fidei*, t. 3, lib. 2 *De Sacram. in Gen.* cp. 23, pag. 91. 121) Eph 4, 14. Ms.: *Circumferetur*.
122) Iac 1, 6.

Magna item Lutheri inconstantia in sententia de communione sub utraque specie, dum

XII. In ipso isto libro *Captivitatis* mutat Lutherus sententiam suam, paulo ante conceptam, de communione sub utraque specie, sed in deteriorem. Cum enim sententia illa sua prior damnata fuisset per Leonem X Romanum Pontificem, in sententiam descendit multo damnabiliorem, licet priorem illam sententiam pro articulo et dogmate fidei tradidisset.

in libro *Adversus Execrabilem Bullam Antichristi* eam tuetur,

In libro enim *Adversus Execrabilem Bullam Antichristi* de articulis suis, a Romano Pontifice in bulla damnatis, ita statuit, suaque non dicam censoria, sed plusquam coelesti et divina auctoritate decernit, dicens : [123] « Assero et amplector fiducia tota spiritus mei articulos per eam [bullam] damnatos, asserendosque pronuncio omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis et antichristos habendos quicumque bullae consenserint ». Et ad libelli calcem ait : [124] « Ego itaque, ne prolixo lectorem gravem sermone, si singulos articulos prosequar, his scriptis testor me omnia damnata per bullam istam execrabilem confiteri pro catholicis dogmatibus, de quibus rationem reddidi editis libellis ». Omnes igitur articuli, per Summum Pontificem Christi Vicarium damnati, sunt asserendi omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis.

Inter articulos autem ipsius in Bulla damnatos, 16 est : [125] « Consultum videtur quod Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos, nec Boihemi sub utraque specie communicantes sunt haeretici, nec schismatici ». Hic igitur articulus, cum sit unus de damnatis, Lutheri sententia, christianis omnibus asserendus est sub poena aeternae maledictionis, tanquam catholicum dogma.

in libro vero *De Captivitate Babylonica* revocat.

At vero in libro *De Captivitate Babylonica* stultum se dicit, qui aliquando ita senserit : « Hactenus, inquit, [126] ego stultus sensi pulcrum fore, si pro laicis utraque species sacramenti porrigenda statueretur concilio generali ». Et in *Assertionibus Articulorum* ait : [127] « Hunc articulum revocavi in libro *De Captivitate Babylonica*, et iterum his scriptis revoco ». Sed dico : Itane dogmata fidei catholicae et articuli, omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis asserendi, re-

123) W. L. t. 2, f. 94a. 124) Ibid. f. 98b. 125) Ibid. f. 57b. 126) Ibid. f. 67a. 127) Ibid. f. 114a. Attendat lector ad errorem in foliorum numeratione.

vocari possunt? Quaenam, quaeso, dogmata ista sunt coelitus accepta, quae tam facile mutantur?

XIII. Addam et aliud in eodem libro *Assertionum*. Ad articulum 31, qui est:[128] « In omni opere bono iustus peccat », ita scribit Lutherus:[129] « Finitis tandem articulis illis nugalibus, in quibus nec pietas, nec eruditio doceri vel audiri potest, etc., revertimur nunc ad res serias et salutares, nempe ad gratiam, liberum arbitrium ». Bone Deus, quid audio? Articuli nugales, in quibus nec pietas nec eruditio doceri vel audiri potest, sunt tanquam dogmata fidei catholicae sub poena aeternae maledictionis christianis omnibus asserendi? Sed forte, quae prius videbantur ipsi dogmata fidei, visa sunt postea, mutata sententia, nugales articuli, vel locutus ex levitate est in re tam seria tantique momenti. Et ad articulum 36, qui est de libero arbitrio, iterum repetit in articulis nugas non necessarias, dicens:[130] « In ceteris autem articulis de papatu, de conciliis, indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est levitas et stultitia Papae et suorum. Sed in hoc articulo, qui omnium optimus et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est miseros sic insanire ».

In libro *Assertionum* vocat articulos suos nugales, et tamen vult esse amplectendos sub poena aeternae maleditionis.

XIV. Sed et in re tanti momenti, in articulo optimo, qui ipsi rerum suarum summa est, nil minus comperta nobis est ingens levitas ipsius et inconstantia. Est autem articulus:[131] « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter ». In *Assertione* autem, post multa inquit:[132] « Unde non est dubium, satana magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium, ad seducendos homines a via Dei ad vias suas proprias ». Et subdit:[133] « Habes, miserande Papa, ita pro sua modestia novus propheta loquitur, habes, miserande Papa, quid hic obgannias, unde et hunc articulum necesse est revocare. Male enim dixi quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo: sed simpliciter debui dicere: Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua cogitare quippiam mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt ». Ita postea *in Erasmum Roterodamum* scripsit librum

Summa etiam inconstantia Lutheri in tradenda doctrina de libero arbitrio; dum in suis *Assertionibus*

128) Ms.: *30*. 129) W. L. t. 2, f. 115ᵃ. 130) Ibid. f. 119ᵇ. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum. 131) *Bulla Leonis X contra Errores M. Lutheri*. Ibid. f. 58ᵃ. 132) Ibid. f. 118ᵇ. 133) Ibid.

et in *De Servo Arbitrio* negat liberum arbitrium;

De Servo Arbitrio, in quo mordicus sententiam istam suam tuetur, et ad raucem usque clamat liberum arbitrium nihil esse, nihil posse, omnibusque effusis ingenii sui fontibus, rem istam probare et persuadere conatur.[134]

in *Visitatione vero Saxonica* aperte tuetur.

Et tamen post omnia haec, in libro *De Visitatione Saxonica* mutavit sententiam, ubi inter multos articulos agens de libero arbitrio ex professo ait :[135] « Quoniam multi de libero arbitrio indiscrete loquuntur, propterea hanc brevem instructionem adscripsimus ». Ubi aperte docet quod homo habet liberum arbitrium, et quod ex propria virtute facultatem habet ad externa opera vel facienda vel omittenda, et quod adhuc ex propria virtute potest quoad civilem probitatem opera bona praestare, quae Paulus appellat iustitiam carnis,[136] hoc est quod caro, sive homo, ex propria virtute facit. Quod si operatur homo ex propria virtute aliquam iustitiam, habet utique libertatem evitandi malum et faciendi bonum, et requirit etiam Deus talem externam, sive civilem, iustitiam, sicut scriptum est : *Lex posita est propter transgressionem ;*[137] et : *Lex iusto non est posita, sed iniustis.*[138] Hic autem quis non videat Phrygum et Mysorum quam discreti sint termini ?[139] Quam pugnantes sint duae istae Lutheri de libero hominis arbitrio sententiae atque doctrinae ?

Hinc rigidi Lutherani negant, Confessionistae affirmant liberum arbitrium.

Et rigidi quidem Lutherani cum Matthia Illyrico priorem sequuntur sententiam,[140] quae postea Calvino suisque mirum in modum arrisit ;[141] Confessionistae vero posteriorem. *Confessio* enim *Augustana* docet habere hominem liberum arbitrium, dicens :[142] « De libero arbitrio docent ecclesiae, quod humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam et deligendas res rationi subiectas ». Cum autem *Augustana Confessio* sit veluti lapis lydius doctrinae Lutheri ; manifestum hinc est quod non per transennam aut ioco, sed serio et ex proposito scripsit Lutherus in

134) Ibid. f. 457 sqq. 135) *Der Unterricht der Visitatoren*, an. 1528, S. 31, herausg. von Hans Lietzmann, Bonn 1912. 136) Cf. Hebr 9, 10. 137) Gal 3, 19. Vulg.: *Lex propter transgressionem posita est.* 138) 1 Tim 1, 9. 139) Phryges et Mysi, populi finitimi, non satis stabiliter suas sedes tutati sunt, ideoque terminos tam incertos reddiderunt, ut eorum fines perquam arduum diiudicare fuerit. Hoc proverbium recte usurpatur quoties agitur de rebus toto genere inter se dissentientibus, aut de hominibus inter quos nihil convenit. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, ed. cit. col. 837. 140) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 20, pag. 225-226. 141) *Institution de la Religion Chrestienne*, liv. 2, cp. 2, pag. 92-105. 142) I. L. t. 4, f. 163b.

Visitatione Saxonica de libero arbitrio. Quare non recta via incessit, sed nunc ad dexteram, nunc ad sinistram ivit. Non fuit columna immobilis, homo, inquam, in doctrinae fidei stabilis, sed sicut arundo vento agitata nunc in hanc, nunc in illam partem inclinavit; remque unam et eandem circa dogmata fidei resque non leviusculas, sed longe gravissimas, nunc affirmavit, nunc negavit.

Multae aliae sunt Lutheri antilogiae, quae suo loco tractabuntur.

Multis aliis exemplis possemus hic Lutheri inconstantiam in doctrina ostendere, scripta enim ipsius innumeris referta sunt similibus sententiis invicem repugnantibus et contradicentibus; sed plura nos dicturos recipimus suo loco in tractatu proprio de Lutheri *Antilogiis* [143] in omnibus doctrinae suae partibus.

Inepte Lutherani conantur Lutherum excusare, dicentes quod scribendo et legendo profecerit;

XV. Nunc, ut tractatui huic finem imponamus, uno verbo confutanda nobis est frigida Lutheranorum excusatio, qua Lutherum suum excusant hac in parte, dicentes quod initio, cum e papatus tenebris proreperet, non satis dilucide potuit omnia praevidere; sed temporis progressu, spiritu confirmatior factus, doctrinam purgatiorem tradidit, quin Lutherus ipse in *Praefatione* ad primum tomum Operum suorum errorem hunc tempori et imperitiae suae tribuendum dicit, [144] et postea ait quod ipse unus ex illis fuit qui scribendo et docendo profecit, [145] maxime cum, ut ait, [146] fuerit papista insanissimus. Miserum sane effugium, quo doctores quidem tueri se possunt, non autem Prophetae et Apostoli, qui certi sunt dogmata sua habere se de coelo.

haec enim doctorum excusatio esse potest, non Prophetarum.

Ipse Lutherus in Carolostadium scribens, eam non admittit.

Et quidem Lutherus ipse frivolam istam excusationem pro Carolostadio non admisit in libro *Adversus Coelestes Prophetas* fere in vestibulo secundae partis, sed ait: [147] « Certe diabolus est, qui ita clanculum ac subdole adrepit, ac postea se excusat quod a principio non satis confirmatus spiritu fuerit. Sed non excusatione ista utitur spiritus Dei. Mi diabole, ego bene te novi ». Praesidium itaque istud, quo Lutherum tueri volunt, ab ipsomet fuit eversum tanquam minime tutum. Qui igitur Ecclesiae firmum solidumque fundamentum esse potest homo tam arundineus, tam arenaceus, hoc est, in doctrina fidei tam levis et inconstans, ut ad omnem ventum doctrinae circumferatur?

143) Cf. *Dissert.* 7, lib. 2, sect. 4. 144) W. L. t. 1, f. II^b. 145) Ibid. f. V^a. 146) Ibid. f. I^a. 147) *Wider die Himlischen Propheten*, W. G. t. 2, f. 30^b.

Inconstans etiam Lutherus in doctrina de Ecclesia Romana, dum aliquando eam vocat antichristi synagogam,

XVI. Primum quod iecit fundamentum ecclesiae suae Lutherus fuit sententia ipsius atque doctrina, quod Ecclesia Romana facta esset meretrix babylonica et sedes antichristi satanaeque synagoga. His nanque emblematis in libro *De Captivitate Babylonica,*[148] alibique passim in scriptis suis, Romanam Ecclesiam exornat,[149] maxime vero in libro *De Antiqua Ecclesia*[150] et in libro *De Papatu a Diabolo Romae Fundato,*[151] nec non etiam in libro *De Missa Angulari et Unctione Sacerdotum.*[152] Et tamen in hoc ipso libro asserit[153] in Ecclesia Romana esse veram Scripturam, vera sacramenta, verum catechismum, veram fidem, et in libro *Adversus Anabaptistas*[154] quod in papatu invenitur multum boni christiani, imo omne bonum christianum et ipsum nucleum christianitatis, sicut alibi a nobis annotatum est.[155] Sane manifestum hinc est quod qui Luthero fidit in doctrina fidei, sane confidit super baculo arundineo confracto.

aliquando fatetur in ea veram esse fidem, etc.

Hinc patet Lutherum non esse firmum Ecclesiae fundamentum.

Connexio cum sequentibus.

Cum autem pro instituto praesenti satis superque dictum sit de lutheranae ecclesiae fundamento, nunc ipsa structura ipsumque aedificium videndum nobis est, quale est, quibus lapidibus aedificatum sit.

148) W. L. t. 2, f. 66^{b}. 85^{a}. 90^{b}. 149) *Adversus Execrabilem Antichristi Bullam*, W. L. t. 2, f. 96-97; *Contra Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 336. 344-345. 348; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 350. 355-358. 150) *Von der Alten Rechten Kirchen*, W. G. t. 7, f. 515. 516^{b}-517^{a}. 151) W. L. t. 7, f. 448. 449. 451. 152) Ibid. f. 238. 246^{b}. 153) Ibid. f. 236^{b}. 154) *Ein Brieff von der Widertauffe an Zween Pfarherrn*, W. G. t. 2, f. 229^{b}-230^{a}. 155) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert.* 2, pag. 155.

DISSERTATIO TERTIA

ARGUITUR LUTHERUS EXEMPLO PAULI QUO SEIPSUM ALIQUANDO TUTATUS FUIT QUOD RELICTA ROMANA ECCLESIA UTI FALSA ALIAM UTI VERAM INGRESSUS NON FUIT [1]

I. Arripienti calamum ad describendam ostendendamque Lutheri ecclesiam qualis qualis sit multorum et ipsius etiam Lutheri iudicio atque sententia, subit animus, ut nonnihil adhuc de vera Ecclesia disseramus et Lutherum exemplo etiam Pauli, quo seipsum aliquando tuetur, arguamus.

S. Auctor, agens de vera Ecclesia, arguit primum Lutherum quod exemplo Pauli se tueatur.

In *Commentario Posteriori in Epistolam ad Galatas* Lutherus non semel aut iterum seipsum Paulo similem facit. Super illud : *Abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum,* [2] explicato Pauli zelo, quo mosaicam legem propugnabat, ut insignis zelator paternarum traditionum et studiosissimus legalis iustitiae, ait : [3] « Sic, si quisquam alius, certe ego ante lucem Evangelii pie sensi et zelavi pro papisticis legibus et patrum traditionibus, easque magno serio ut sanctas ursi et defendi ». Et postea, cum dixisset se pure adorasse Papam, ait : [4] « Sed quidquid feci, simplici corde, bono zelo et ad gloriam Dei feci. Sed quae mihi erant lucra, [5] ea cum Paulo arbitror esse damnum propter excellentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei ».

In *Commentario Posteriori ad Galatas* Lutherus seipsum Paulo similem facit, dicens se inhaesisse paternis traditionibus,

Deinde cum dixisset quod Paulus non propter meritum, quod plenus zelo divinae legis persecutus fuerat Ecclesiam Christi, vocatus fuit ad cognitionem Evangelii et apostolatum, ait : [6] « Nos iisdem meritis hodie pervenimus ad cognitionem gratiae. Ego in monachatu Christum quotidie crucifixi et blasphemavi ». Et postea : [7] « Tales nos sub papatu fuimus, profecto non minus, si non plus contumeliosi et blasphemi in Christum et eius Evangelium, quam Paulus ipse, praecipue ego. Tanta erat auctoritas Papae apud me, ut vel in minimo dissentire ab ipso putarem crimen aeterna damnatione dignum ».

sed postea conversum ad agnitionem gratiae pervenisse.

1) Cod. 2, f. 241ᵃ-248ᵇ. 2) Gal 1, 14. 3) W. L. t. 5, f. 291ᵃ. 4) Ibid. 5) Cf. Phil 3, 7-8. 6) W. L. t. 5, f. 291ᵇ. 7) Ibid.

Dicit praeterea se fuisse sub papatu monachum insanissimum,

Et hoc quidem est quod dicit in *Praefatione* [8] ad primum tomum Operum suorum latinorum, se fuisse monachum et papistam insanissimum sepultum in dogmatibus Papae, « ut, inquit, paratissimus fuerim omnes, si potuissem, occidere aut occidentibus cooperari et consentire, qui Papae vel una syllaba obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus ! »

vocans se tunc Saulum.

Saulum se dicit tunc temporis, hoc est, haereticorum acerrimum persecutorem. Nam in *Epistola ad Galatas*, loco superius indicato, cum dixisset quod tanta apud ipsum erat auctoritas Papae, ut vel in minimo a Papa dissentire putaret crimen esse aeterna damnatione dignum, subiunxit, dicens : [9] « Eaque impia opinio faciebat, ut crederem Ioannem Hussum tam maledictum esse haereticum, ut vel de eo cogitare sceleratum ducerem et pro defendenda auctoritate Papae ipse ferrum et ignem subministrassem ad comburendum illum haereticum, et putassem summum obsequium me Deo praestare ».

Item se Paulo similem facit, quod non a Papa suam doctrinam acceperit,

Non post multa, eodem libro super illud: *Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos,* [10] cum disseruisset quod Paulus, neque visis neque consultis Apostolis, suscepit officium praedicandi Evangelium in gentibus, adhuc Paulo similem se facit, dicens : [11] « Sic et nos gloriari possumus nos a Papa non accepisse nostram doctrinam. Scripturam Sacram et externa symbola habemus quidem ab eo, non autem doctrinam, quae solo Dei dono nobis contigit ».

sed e coelo vocationem et missionem habuerit,

Sic multis aliis in locis L u t h e r u s [12] seipsum Paulo similem [13] facit, non solum ad venditandam divinam suam vocationem et missionem de coelo ad praedicandum Evangelium, quam vanitatem superius, cum de vocatione ipsius ageremus, confutavimus ; [14] verum etiam ad imponendum imperitis quod Ecclesia Romana, ex qua transfugit exivitque sicut ex arca Noe corvus, [15] sit inimica Christi, sicut synagoga olim Iudaeorum, ex qua Paulus, Christo operante, exivit. [16]

et quod ex Romana

Propterea multis in locis dicit se, quandiu sub papatu fuit, Christi inimicum, persecutorem, blasphemum, instar Pauli, in synagoga fuisse, [17]

8) Ibid. t. 1, f. II. 9) Ibid. t. 5, f. 291b. 10) Gal 1, 17. 11) W. L. t. 5, f. 293.
12) Cf. Spangenberg *Theander Lutherus, Predigt 5*, f. 120a-125b, Orsel 1593. 13) Ms.: *Simile.*
14) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 1-2*, pag. 62-76. 15) Cf. Gn 8, 6-7. Cf. *Biblia Sacra* iuxta Latinam Vulgatam Versionem ad codicum fidem, cura et studio Monachorum S. Benedicti edita, Romae, typis Polyglottis Vaticanis 1926. Cf. etiam *Expositio* S. Laurentii *in Genesim* proxime edenda, cod. 1. 16) Cf. Act 9, 1-22. 17) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 329b; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 291b.

Ecclesia facta satanae synagoga, exierit.

ut simul etiam indicaret quod, sicut Paulus Divini Spiritus virtute praeditus longeque refertus impiam gentilitatem ad christianitatem Deum pie colentem et *in spiritu et veritate* adorantem [18] convertit, ita ipse Iovis panegyrim, [19] satanae synagogam, hoc est, papisticam Babyloniam, malignantium Ecclesiam [20] in veram iuxta purum putum evangelium Ecclesiam Christi sua praedicatione et doctrina mutavit.

Sed nihil commune habuit Lutherus cum Paulo;

II. Hoc nunc discutiendum et examinandum nobis est ostendendumque quam nihil commune cum Paulo Lutherus habuerit; nisi quod, sicut Paulus Christi spiritu a synagoga satanae ductus fuit in Ecclesiam Christi, ita Lutherus spiritu diaboli actus transiverit ab Ecclesia Ch isti in antichristi synagogam. Ille transivit a tenebris in lucem, a nocte in diem ; hic autem e converso a luce ad tenebras, a die ad noctem ; ille a morte ad vitam, a perditione ad salutem; iste e contra translatus est a vita ad mortem, a salute ad perditionem, a Deo ad diabolum, a Christo ad satanam verumque antichristum.

Paulus enim a synagoga Iudaeorum iam abolita ad Christi Ecclesiam se convertit;

Et quidem in *Divina Historia*, qua Pauli vita ipsiusque ad Christum conversio aperte narratur, [21] manifestum ac luce clarius est, quam Ecclesiam Paulus ante conversionem suam per Christum ad Christumque colebat et quam persequebatur ; ac subinde manifestum etiam est quod sicut arca Testamenti translata fuit a tabernaculo Moysi antiquato ad novum templum Salomonis ; [22] ita Paulus, Christo auctore, translatus fuit a synagoga Iudaeorum ad Ecclesiam Dei, ad coetum fidelium christianorum discipulorum Christi, quos tantopere tamque invidiose persequebatur. Et, sicut de Christo legimus quod *surgens... de synagoga intravit in domum Simonis ;* [23] ita Paulus a manifestissima synagoga Iudaeorum, qui tanquam hostes Christi et nominis christiani longe acerrimi manifestissima persecutione christianos omnes insectabantur et exagitabant et perdere penitus cupiebant satagebantque, ad manifestissimam Christi Ecclesiam, quae, Iudaeorum odium et persecutionem licet gravissimam nihil verita, Christum manifeste colebat, corde credebat diligebatque, ore confitebatur et praedicabat, operibus serviebat et honorabat. Non tam manifesti

18) Io 4, 23. 19) Idest, falsorum deorum coetus, ex: Πᾶν ἄγυρις, loco: Ἀγορά.
20) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 303-304. 21) Cf. Act 9, 1-22; Gal 1, 11-14. 22) Cf. 3 Rg 8, 1-9. 23) Lc 4, 38. Vulg.: *Introivit.*

in coelo sunt termini transitus motusque diurni solis, oriens et occidens, quam notus in Scripturis est conversionis Pauli uterque terminus: synagoga Iudaeorum, a qua exivit, et ad quam transivit, christianorum Ecclesia.

Lutherus e contra Ecclesiam Romanam deseruit, aliam suo nomine fundaturus.

De Luthero autem tam scimus et luce meridiana clarius est, quod ab Ecclesia catholica apostolicaque Romana exivit, quod ea [24] Ecclesia, ad quam transivit, in cimmeriis [25] vel aegyptianis [26] tenebris caeca nocte sepulta nemini conspicua erat, nullibi erat, nulla prorsus erat. Propterea non Ecclesiam illam a Christo fundatam supra firmam petram, adversus quam portae inferi non erant praevaliturae, [27] invenit; sed novam de suo nomine aedificavit. Per Deum immortalem, hic Lutheranos omnes rogo, dicant: Quaenam et ubi erat vera illa Christi Ecclesia, quam Lutherus sub papatu cum Saulo persequebatur, et ad quam postea, a Christo mutatus conversusque transivit?

De hoc argumento multa dicenda sunt; at unum hic urgendum.

Multa hic mihi dicenda sunt, sed ex multis nonnisi unum urgere constitui. Dicenda multa sunt, quo sciatur, quam latum discrimen positum sit inter Paulum, summum Apostolum Christi, et Lutherum, apostolum summum antichristi; tantum abest, ut verus fuerit apostolus Christi.

Paulus non fuit vocatus ad novum evangelium praedicandum; Lutherus doctrinam Ecclesiae inauditam praedicavit. Paulus non fundavit novam

III. Et primum quidem vocatus fuit Paulus, non ut esset novi evangelii novaeque doctrinae, quae circa fidem est, praedicator; sed per revelationem Iesu Christi accepit illud idem ipsissimum Evangelium, quos ante ipsum Apostoli praedicare iam coeperant. Lutherus autem novam doctrinam et in Ecclesia Christi inauditam docuit et praedicavit. Paulus a Christo vocatus non fecit seipsum novae ecclesiae a suo nomine fundatorem, sicut Lutherus; imo cum oriretur in ecclesia, quae apud Corinthum erat, schisma quoddam et secta a suo

24) Ms.: *Eam.* 25) Cf. Lactantius *Divinarum Instit.* lib. 5, cp. 3, (P. L. 6, 561); S. Hieronymus *Contra Io. Ierosolymitanum*, ibid. 23, 394. Cimmeriarum nomine tenebrarum profunda obscuritas aut animi caligo intelligitur. Natum est hoc adagium a Cimmeriae regionis prodigiosa obscuritate, de qua Ovid. Naso:

« Est prope Cimmerios longo spelunca recessu
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni,
Quo nunquam radiis oriens, mediusve cadensve,
Phoebus adire potest; nebulae caligine mixtae
Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis ».
Metamorph. lib. 11, vrr. 592-596.

26) Cf. Ex 10, 21-22. 27) Cf. Mt 16, 18.

ipsius nomine, auctoritate sua statim potenter repressit: *Obsecro...,* inquit, *vos, fratres, per nomen Domini Iesu Christi, ut idipsum omnes dicatis, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in uno sensu et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi. Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* [28] Non itaque Paulus a Christo vocatus iussus fuit novam Ecclesiam fundare, sed iam a Christo et Apostolis divinitus fundatam humiliter quaerere.

ecclesiam, ut fecit Lutherus.

Et Christus quidem per seipsum vocavit Paulum ad fidem; sed noluit per seipsum Ecclesiae inserere, sed ad ministrum Damascenae ecclesiae misit, ut ab illo per Baptismum, sed catechizatus prius instructusque de christianae fidei mysteriis, ab Anania insereretur corpori Ecclesiae. [29] Baptizatus autem non statim factus fuit magister et doctor Ecclesiae, *sed erat,* inquit in *Actis* L u c a s, *cum discipulis, qui erant Damasci.* [30] Deinde, quoniam *corde* quidem *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* [31] coepit Christi fidem publice profiteri; ingressus enim synagogas Iudaeorum praedicavit illis Iesum, *quoniam hic est Filius Dei,* Iudaeis Christi inimicis stupentibus quomodo tantus christianorum persecutor derepente factus fuisset christianae fidei praedicator: *Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Iudaeos..., affirmans quoniam hic est Christus.* Quapropter Iudaei Christi inimici consilium inierunt, *ut interficerent eum.* [32]

Paulus quidem vocatus fuit a Christo, sed per alium Ecclesiae insertus; prius discipulus, deinde magister et doctor;

Ad praedicandum autem Christi Evangelium Paulus non quaesivit principum saecularium protectionem, ut in tuto positus aut publica principum fide munitus, adversariis novum Evangelium suum calamo potius quam lingua propalaret, ut Lutherus fecit; [33] sed, Deo tantum auspice praesideque, inimicis Christi christianam fidem praedicavit. Nec primus in Ecclesia esse voluit, sed Apostolos in epistola

non quaesivit principum protectionem;

28) 1 Cor 1, 10-13. 29) Cf. Act 9, 10-19. 30) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Fuit autem cum discipulis.* 31) Rom 10, 10. 32) Act 9, 20-23. Vulg.: *Ut eum interficerent.*
33) *Praefat.* Op. Lat. W. L. t. 1, f. III.

ad Galatas praedecessores suos dixit,[34] sciens quod Apostolis prius evangelica provincia a Christo fuerat demandata.

praedecessores Apostolos non contempsit;

Praedecessores autem suos Apostolos non contempsit Paulus; sed, ut Lucas narrat in *Actis*, *cum... venisset... Ierosolymam, tentabat se iungere discipulis.*[35] Sed, quoniam propter praecedentes persecutiones discipuli omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus, *Barnabas... apprehensum eum duxit ad Apostolos, et narravit eis, quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.*[36] Gravissimo autem hoc Barnabae testimonio Apostolis probatus, admissus ab eis fuit in coetum discipulorum; quapropter subiungit Lucas: *Et erat cum illis intrans et exiens in Ierusalem et fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque gentibus et disputabat cum Graecis.*[37]

nec prius eis se iunxit, nisi cum probatus fuit;

contulit cum Petro et Apostolis Evangelium suum,

Ascendit autem Ierosolymam, sicut ipse *ad Galatas* scribit, post tres annos, cum in Arabia Evangelium per divinam revelationem acceptum praedicasset.[38] Ascendit autem videre Petrum, Apostolorum principem et coryphaeum. Aliorum *autem Apostolorum*, ait, *vidi neminem, nisi Iacobum, fratrem Domini.*[39] Mansit autem Ierosolymis *diebus quindecim*,[40] non alia utique de causa, nisi ut, ait ipse, conferret cum Apostolis Evangelium quod praedicabat, *ne forte*, ait, *in vanum currerem aut* etiam *cucurrissem.*[41] Non quod de doctrina, quam praedicabat, dubitaret ipse vera esset necne, nam dubius fuisset in fide ac proinde infidelis; sed quia cursum dicit ministerium verbi et praedicationem, sicut Ephesinis presbyteris Mileti dixit: *Dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu.*[42] In vanum currere dicit, in vanum et sine fructu praedicare; quod fit vel maxime, quando de doctrinae veritate aut doctoris et praedicatoris fide dubitatur.

voluitque ut sua doctrina ab ipsis probaretur, licet iam multis miraculis comprobata.

Quare, cum non deessent, qui de Pauli doctrina dubitarent, praesertim vero in controversia et quaestione de abroganda lege Moysi et circumcisione, in qua videbatur ab Apostolis discrepare, sciens Paulus Apostolorum apud omnes christianos integerrimam probatissimamque extare veritatis fidem, unde ait quod *videbantur aliquid*

34) Cf. 1, 17. 35) 9, 26. Vulg.: *Ierusalem.* 36) Ibid. vr. 27. Vulg.: *Apprehensum illum... narravit illis.* 37) Ibid. vrr. 28-29. 38) Cf. 1, 17-18. 39) Ibid. vrr. 18-19. 40) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Mansi.* 41) Ibid. 2, 2. Vulg.: *In vacuum.* 42) Act 20, 24.

esse, δοκοῦντες[43] graece, hoc est, *probati, in pretio habiti;*[44] propterea ad conciliandam ab Apostolis doctrinae suae auctoritatem fidemque apud omnes in Ecclesia, voluit eam Apostolorum calculo probari.[45] Et licet probata esset divinitus multis maximisque miraculis, voluit nihilominus eam etiam Ecclesiae et Apostolorum auctoritate magis magisque reddere comprobatam, ut esset sicut aurum ad incudem fornacemque longe probatissimum.[46]

IV. Nunc dico: Itane Lutherus voluit doctrinam suam novam, nullis miraculis probatam Ecclesiae auctoritate probari? Iactabat se certum supra omnem certitudinem esse de doctrina, quod nonnisi purum putum evangelium praedicaret.[47] Sed et Paulus multo certior erat ac longe certissimus. Cur ergo Lutherus, si Paulo similis haberi voluit, Paulum hac in re noluit imitari?

Haec Lutherus minime fecit.

Non necesse est autem Lutherum cum Paulo, quoad vitam moresque in evangelica praedicatione spectat, comparare; turpe enim est cum auro purissimo ac longe pretiosissimo lutum stercusque componere, cum Lutherus nonnisi animalem, carnalem, epicuricam vitam in suo evangelio et duxerit et docuerit,[48] Paulus autem angelicam. Unde ait: *In carne... viventes non secundum carnem militamus.*[49] *Nostra... converstaio in coelis est.*[50]

Quoad vitam et mores Lutherus nec comparandus est cum Paulo.

Ex his omnibus conspicuum esse existimo, quam nihil commune cum Paulo Lutherus habuerit. Sed, ut dixi, unum tantum urgendum esse duxi, ut dicant nobis, pro sua evangelica sinceritate, palam et apertis verbis Lutherani: Quaenam fuit aut est vera illa Ecclesia, quam Lutherus cum Paulo *spirans minarum et caedis*[51] persecutus fuit, et ad quam postea, Christo auctore, transivit?

Ostendant Lutherani ecclesiam, quam Lutherus persecutus fuit, et ad quam postea transivit.

Pauli persecutio notissima fuit et Iudaeis, quorum paternas leges ardenti zelo aemulabatur,[52] et christianis, quos nimio furore persequebatur. Et ipse pro concione ad populum Iudaeorum dixit: *Hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit et omnes*

Pauli quidem persecutio Iudaeis et christianis notissima erat;

43) Ms.: Δοκουντες. 44) Gal 2, 6. Vulg.: *Esse aliquid.* 45) Cf. Act 15, 1 sqq.
46) Cf. Sap 3, 6. 47) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 2*, pag. 68-76.
48) Ibid. sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 255-268. 49) 2 Cor 10, 3. Vulg.: *In carne... ambulantes.*
50) Phil 3, 20. 51) Act 9, 1. 52) Cf. Gal 1, 14.

maiores natu. [53] Et in alia oratione ac defensione sua coram Festo Iudaeae praeside et rege Agrippa : *Ego quidem existimaveram me adversus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere. Quod et feci Ierosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi.* [54] Quare ad conversionem ipsius stupebant et Iudaei, dicentes : *Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui invocabant nomen istud?* [55] Et christiani, sicut ipse *ad Galatas* scribit, dicens : *Eram autem ignotus facie ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo ; tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat ; et in me clarificabant Deum.* [56] Erat itaque notissima omnibus Ecclesia, quam Paulus ante vocationem suam divinitus factam persequebatur, et ad quam postea per fidem Christi et Baptismum, relicta synagoga, transivit.

Lutherus se quidem vocat Saulum, sed non dicit quamnam Ecclesiam persecutus fuerit, nec quamnam invenerit.

L u t h e r u s autem dicit quidem se tantum fuisse Saulum, ut paratus esset omnes qui vel minima syllaba Papae obedientiam detrectassent occidere. In *Praefatione* primi tomi Operum suorum [57] et in *Commentario ad Galatas* ait [58] se paratum fuisse comburere omnes pro defendenda auctoritate Papae ; maxime vero hoc fecisset in Ioannem Hussum tanquam haereticum. Sed quam Ecclesiam certo notam manifestamque persequeretur, Saulus tantus non loquitur, cum tamen hoc primum sit, quod hac in re quaeritur. Quam Ecclesiam persecutus fuit ? Quos sanctos coniecit in carceres et vincula ? In quos discipulos Domini *spirans minarum et caedis* anhelavit, ut, si quos invenisset, vinctos Romam perduceret ad Summum Pontificem, tantus Saulus ? Quamnam, quaeso, veram invenit Ecclesiam, propter quam reliquit Ecclesiam Papae, quam pro vera Ecclesia coluerat, iuxta articulum fidei : Credo sanctam Ecclesiam catholicam ? [59]

Paulus reliquit synagogam, sed post inventam veram Dei Ecclesiam.

Paulus non deseruit synagogam, nisi postquam invenit per Christum veram Dei Ecclesiam ; et nemo eorum, qui ad Christi fidem conversi sunt, pristinam religionem suam reliquit, nisi postquam meliorem invenit. Ita eunuchus Candacis reginae Aethiopum per Philippum, [60] Cornelius Centurio per Petrum, [61] Paulus Sergius, [62] Dionysius Areopagita, [63] Apollo, [64] Timotheus, [65] Titus [66] per Paulum conversi, tunc

53) Act 22, 4-5. 54) Ibid. 26, 9-10. 55) Ibid. 9, 21. 56) 1, 22-24.
57) W. L. t. 1, f. II. 58) Ibid. t. 5, f. 291ᵃ. 59) Denzinger n. 6. 60) Cf. Act 8, 26-38.
61) Cf. ibid. 10, 1 sqq. 62) Cf. 13, 7-12 63) Cf. ibid. 17, 34. 64) Cf. ibid. 18, 24-38.
65) Cf. ibid. 16, 1-3. 66) Cf. Gal 2, 3; Tit 1, 4.

tandem religionem mutarunt, cum veriorem et meliorem cognoverunt. Ita Samaritani, per Philippum ad Christum conversi, fidem Christi susceperunt et ab Apostolis Petro et Ioanne post Baptismi sacramentum per manuum impositionem Spiritum Sanctum acceperunt, Christique Ecclesiae inserti fuerunt.[67] D. Augustinus, nonnisi postquam per Ambrosium cognovit veram Christi Ecclesiam, reliquit Manichaeorum sectam, hoc est, satanae veram synagogam.[68]

Haeretici vero, nulla meliori ecclesia inventa, veram relinquunt, et aliam novam erigunt, sicut fecit Lutherus,

V. Haereticis autem cum primis solemne admodum fuit Ecclesiam catholicam titulo falsitatis speciosoque verioris ecclesiae praetextu deserere, et, nulla veriori meliorique inventa, arbitratu suo novam a fundamentis, suo praesertim nomine nuncupatam, erigere, et, qui *in via Cain abierunt*,[69] sicut Cain a facie Domini egressi civitatem sibi in terra condere.[70] Ecclesiam Catholicorum relinquunt; *a nobis*, inquit [Ioannes], *prodierunt*,[71] et certiorem christifidelium non requirunt. Ita sane Lutherus, vestigia haereticorum haeresiarcharumque secutus, Romanam Ecclesiam deseruit, nec aliam meliorem quaesivit, sed ex Scripturis perperam pro arbitratu suo intellectis, novam architectatus et fabricatus fuit, quasi extra Ecclesiam in solis Scripturis Christus inveniri possit, et extra arcam Noe salutis locus reperiri regnante diluvio.[72]

licet ipse scripserit non posse Christum inveniri, nisi prius inveniatur Ecclesia; et tamen, deserta Romana Ecclesia, nullam aliam adivit.

Cum tamen ipsemet aliquando docuerit Christum extra Ecclesiam inveniri non posse. Scribit enim in *Ecclesiastica Postilla*,[73] in die Natalis Domini super Lucae Evangelium de pastoribus, qui Christum invenerunt, docetque quod « qui Christum inventurus est, necesse habet prius Ecclesiam invenire, sicut pastores dicuntur invenisse Mariam priusquam infantem Iesum ».[74] Et in eodem sermone, exponens illud: *Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo*,[75] ait quod[76] « qui aliquid de Christo nosse cupit, non debet sibi fidere aut privatum sua ratiocinatione pontem in coelum extruere, sed Ecclesiam adire, visitare et consulere, quae conservat omnia verba Dei in corde suo », eaque ponderat, et confert secum et cum

67) Cf. Act 8, 5-17. 68) Cf. *Vita S. Augustini* auctore Possidio, cp. 1, (P. L. 32, 34 sqq.); *Confessionum*, lib. 6, cp. 3-4, ibid. col. 720-722; *De Utilitate Credendi*, cp. 8, ibid. 42, 78-79. 69) Iud 11. 70) Cf. Gn 16, 17. 71) 1 Io 2, 19. Vulg.: *Ex nobis*. 72) S. Cyprianus epist. 62, (P. L. 4, 371); S. Hieronymus epist. 15, ibid. 22, 355. 73) *Kirchenpostille*, f. 84, Wittemberg, Hans Lufft 1547. 74) Cf. Lc 2, 16. 75) Ibid. vr. 19. 76) *Kirchenpostille*, f. 84.

Scripturis. Sed dico : Lutherus ipse, deserta Romana Ecclesia, quamnam aliam adivit ecclesiam ? Quam aliam consuluit ? Quam invenit, aut quaesivit ?

Laudavit quidem ecclesiam Graecam et sectam Hussiticam

Laudavit aliquando Lutherus ecclesiam Graecam et sectam Hussiticam. In libro *De Captivitate Babylonica*, ubi de Eucharistia et Communione sub utraque specie agit, ait [77] quod nominandi haeretici et schismatici sunt non Boihemi, non Graeci, quia Evangeliis nituntur, sed Romani. In *Assertionibus Articulorum per Summum Pontificem Leonem X Damnatorum*, articulo 16, agens de eadem re, ait: [78] « Dico Boihemos et Graecos in hac parte nec haereticos nec schismaticos, sed christianissimos et evangelicissimos esse, quos et his verbis oro et obtestor in Domino, ut in ea sententia firmiter permaneant ». In *Assertione* autem *Articuli 30* ait, [79] omnes articulos Ioannis Hussi in concilio Constantiensi damnatos esse christianissimos, verissimos, evangelicos. In epistola *ad Senatum Pragensem* hortatur [80] ut in doctrina Hussi persistant, ne sanguinem ipsius et Hieronymi sui innocentem una cum dogmatibus damnarent, dehortaturque ne doctrinam Hussi abiurent. « At abiurantes, inquit, sciant sese, me teste, coram Deo et hominibus, Christum Dominum abiurare et filios perditionis esse. Certe ego cum nostris asseremus Ioannem Hussum, etiamsi tota Boihemia, quod Deus avertat, eum negaverit, tamen noster erit ; quin eligimus eum ». Sed si revera ita credidit Lutherus veram Dei Ecclesiam apud Graecos vel apud Hussitas esse ; cur non ad eam transvit, in eamque se recepit a Romana egressus, sicut Paulus a synagoga in Ecclesiam Christi, sed novam condidit extra antiquam probatamque et a Catholicis omnibus creditam Ecclesiam, ex solis Scripturis ? Quomodo potuit extra Ecclesiam Christum invenire contra suam etiam doctrinam publice pro concione traditam ?

at ad Graecos vel Hussitas non transivit, sed novam condidit ex solis Scripturis;

Neque enim extra Ecclesiam potest esse veritas Scripturarum ; sed, ut sapienter admodum Tertullianus docuit in suis *Praescriptionibus*, [81] ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum. Quare non ad Scripturas provocandum ait, sed inquirendum quibus competat fides ipsa et quibus tradita sit disciplina christiana. Hoc est, inquirenda cum primis Ec-

dum veritas Scripturarum non inveniatur extra Ecclesiam.

77) W. L. t. 2, f. 69b. 78) Ibid. f. 114a. Advertat lector ad errorem in numeratione foliorum.
79) Ibid. f. 114b. 80) Ibid. f. 328b, 81) *Praescript. 1*, cp. 19, (P. L. 2, 31).

clesia est ad inveniendum Christum reperiendamque Scripturarum veritatem. Quod si **Lutherus** comperit Graecos Hussitasque esse christianissimos maximeque evangelicos, non haereticos aut schismaticos, quid aliud quaerendum erat? Cur ad eos non convolavit? Imo negavit se esse Hussitam?

Lutherus vocat Hussum pium et doctum;

VII. In *Assertione* enim *Articuli 30:* «Non recte, inquit,[82] vocant qui me hussitam appellant, non enim mecum ille sentit. Sed si ille ſuit haereticus, ego plus decies haereticus sum, cum ille longe minora et pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire». Dixerat Hussi articulos omnes in Constantiensi concilio damnatos christianissimos et evangelicos, postea virum pium et doctum appellat, dicens:[83] «Conatus enim fuit vir ille pius et doctus id quod et ego in principio conabar, ut decretis papalibus veritatis opinio salva maneret; at iis salvis ipsum perire necesse erat una cum Christo et fide et veritate».

cur ipsum non est secutus?

Igitur, inquam, Hussus vir doctus et pius habuit Christum et fidem et veritatem? Cur ergo non cum Husso Lutherus sensit, nec ad Hussiticam sectam habentem, sua ipsius sententia, Christum et fidem et veritatem, transivit? «Nisi forte, inquit,[84] ideo permissus est exuri, quia non parum detulit romano idolo et suis satanicis statutis operationibusque erroris». Profecto si res ita est, potuisset Lutherus Tridentinum concilium adire, maxime data publica fide,[85] sicut Hussus Constantiense;[86] cum enim nihil deferret Romano Pontifici, nihil timendum sibi erat ab igne mansissetque in medio flammarum illaesus sicut tres iuvenes Hebraei in ardenti fornace Babylonis.[87] At, si existimabat Lutherus non esse apud Hussitas veram ecclesiam, ac propterea ad Hussitas non transiverit ipse; cur hortatus ſuit Pragenses ne Hussi doctrinam abiurarent, dicens abiurare etiam Christum eos, qui doctrinam illam abiurarent?

Cur Tridentinum concilium non adivit, sicut Hussus Constantiense?

Autumant dogmatistae

VIII. Comminiscuntur multa novi dogmatistae, ut sese ab hoc laqueo expediant, ne cogantur dicere ubinam erat vera Christi Ecclesia

82) W. L. t. 2, f. 115ᵃ. 83) Ibid. 84) Ibid. 85) Phil. Melanchthon epist. lib. 3, epist. *ad Regem Rom. Ferdinandum*, pag. 487, ed. cit.; L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 6, pag. 77. 85-87. Vers. ital. A. Mercati, Roma, Desclée 1927. 86) Card. G. Hergenröther *Storia Univers della Chiesa*, vol. 5, part. 2, cp. 8, pag. 207, 87) Cf. Dn 3, 19 sqq.

Ecclesiam collapsam per Lutherum restitutam fuisse,

antequam Lutherus suam istam novam architectatus fuisset, necdum catholicam Romanam Ecclesiam, abiecta cuculla, deseruisset. Et hi quidem dicunt quod defecerat, collapsaque fuerat, ita ut reparatore Luthero opus fuerit, qui tanquam alter Zorobabel cum Iesu filio Iosedech templum Domini a Chaldaeis et rege Babylonis dirutum [88] a fundamentis denuo erigeret. [89] Optime sane, quasi mentitus fuerit Summa Veritas Christus, cum ait: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* [90] et cum ait: *Sinite utraque crescere usque ad messem. Messis autem est consummatio saeculi;* [91] et cum dixit: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi.* [92]

ut olim Donatistae asserebant de Donato; qui error ab Augustino iugulatus est.

Non est autem commentum hoc novum figmentum; vetus est, fuitque olim Donatistarum, qui asserebant toto orbe terrarum defecisse Ecclesiam et per Donatum in Africa exortam fuisse. [93] A D. autem Augustino multis locis, [94] praesertim vero in libro *De Unitate Ecclesiae contra Donatistas* error iste iugulatus confossusque fuit. [95] Per Lutherum autem in libro *Contra Papatum*, ubi ait Ecclesiam totam corruisse, [96] ab orco revocatus est. Haeresi nanque contingit id quod Marcus Tullius quodam loco dixit [97] de Pompeianorum causa, quod saepius iugulata iterum reviviscebat. Sed, sicut S. Augustinus ait libro proxime citato, [98] qui Ecclesiam defecisse dicit anathema sit, quoniam aliud evangelizat; *qui autem aliud evangelizat, anathema sit,* inquit *ad Galatas* Paulus. [99] «Aliud autem evangelizat, inquit Augustinus, [100] qui periisse dicit de cetero mundo Ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse dicit. Ergo anathema sit».

Alii asserunt Ecclesiam non periisse, sed latitasse,

IX. Alii asserunt non quidem periisse Ecclesiam, in qua Christus regnaturus est in aeternum: *Dabit illi,* inquit Gabriel, *Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et*

88) Cf. 4 Rg 25, 1 sqq. 89) Cf. 1 Esr 3, 2 sqq. 90) Mt 16, 18. 91) Ibid. 13, 30. 39. Vulg.: *Messis vero consummatio saeculi est.* 92) Ibid. 28, 20. 93) S. Augustinus *Contra Epist. Parmeniani*, lib. 1, cp. 2-3, (P. L. 43, 35-37); cp. 14, ibid. col. 50; lib. 2, cp. 2, ibid. col. 52; lib. 3, cp. 19, ibid. col. 79; *Contra Litteras Petiliani*, lib. 2, cp. 39, ibid. col. 293. 94) Epist. 49, ibid. 33, 189-190; epist. 52, ibid. col. 194-195; epist. 76, ibid. col. 264-265; *Enarratio in Psal. 49*, ibid. 36, 566; *Enarratio in Psal. 64*, ibid. col. 642; *Enarratio in Psal. 66*, ibid. col. 807. 95) Ibid. 43, 391 sqq. 96) W. L. t. 7, f. 455b. 97) *Philippica 13*, vol. 5, pag. 3289-3290. 98) Cp. 12, (P. L. 43, 415). 99) 1, 9. Vulg.: *Si quis vobis evangelizaverit.* 100) Cp. 13, (P. L. 43, 415-416).

regni eius non erit finis.[101] Unde a Christo Novum Testamentum dictum fuit aeternum.[102] Dicunt autem latitasse, sicut in diebus Eliae non perierat quidem Ecclesia, ut existimabat Elias, cum dicebat: *Relictus sum ego solus et quaerunt animam meam.*[103] Dominus autem ostendit ei quod Ecclesia revera non perierat, sed latitabat. Ait enim Divinum Oraculum: *Reliqui mihi... septem millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genu... Baal.*[104] Et in *Apocalypsi* legitur quod *mulier amicta sole,* postquam filium peperit, propter serpentis antiqui persecutionem fugit in desertum, ibique abscondit se *per tempus et tempora et dimidium temporis.*[105]

sicut in diebus Eliae;

Sed et hoc speciosum quidem, sed inane, instar spectri, figmentum est; de Ecclesia enim Dominus ait quod abscondi non potest, inquiens: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.*[106] Est enim posita supra montem in vertice montium, ut Isaias[107] et Michaeas[108] prophetae uno spiritu, uno ore, iisdem verbis dixerunt:[109] *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias Domini, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.*

quod inane figmentum est; Dominus enim dicit Ecclesiam supra montem positam non posse abscondi, et elevatam in vertice montium praedixerunt Isaias et Michaeas;

Loquuntur autem proculdubio Vates sanctissimi e Divini spiritus afflatu de Ecclesia Dei sub Novo Testamento, Ecclesia nanque a Paulo *ad Timotheum* domus Dei dicta est.[110] Deus nanque in Ecclesia per fidem habitat, unde fideles *templum Dei* ab eodem Paulo *ad Corinthios* appellantur.[111] Alludunt autem Vates ambo ad templum Salomonis in cacumine montis Moria magnificentissime fabricatum.[112] Et, sicut in Aggaeo legimus, *magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae;*[113] ita praedicunt quod multo sublimiori excelsiorique loco aedificanda per Christum erat

et synagoga gloriosiorem prophetavit Aggaeus.

101) Lc 1, 32-33. 102) Videtur S. Laurentius alludere ad verba formae, quibus in Missa conficitur Sanguis Christi, quae sunt: «Hic est enim calix Sanguinis mei novi et aeterni Testamenti », etc. De qua *Catechismus Romanus*: « Verba illa *aeterni* et *mysterium fidei* sancta traditio catholica, veritatis interpres et custos, nos docuit ». Part. 2 *De Eucharistiae Sacramento*, n. 21. Cf. etiam Hebr 13, 20; Apc 14, 6. 103) 3 Rg 19, 10. Vulg.: *Derelictus.* 104) Ibid. vr. 18; Rom 11, 4. 105) Apc 15, 14. 106) Mt 5, 14. 107) 2, 2-3. 108) 4, 1-2. 109) Secundum Vulgatam verba Michaeae et Isaiae sunt diversa; sed secundum hebraicam veritatem eadem. Cf. F. Vigouroux *La Sainte Bible Polyglotte*, h. l. 110) Cf. 1 Tim 3, 15. 111) 1 Cor 3, 16; 2 Cor 6, 15. 112) Cf. 2 Par 3, 1. 113) 2, 10. Vulg. habet: *Plus*, loco: *Magis.*

Ecclesia quam olim fuerit synagoga; hoc est, quod longe gloriosior futura erat sub Novo Testamento Ecclesia, quam fuerit sub Veteri Testamento synagoga. Unde Paulus *gloriosam* dixit Christi *Ecclesiam.*[114] Sicut enim multo praestantius multoque gloriosius fuit templum Salomonis in habitaculum Dei aedificatum[115] quam tabernaculum Moysi; ita futura erat longe gloriosior Christi Ecclesia quam Moysi synagoga, sicut Christi facies in transfiguratione multo gloriosius atque divinius resplenduit,[116] quam Moysi facies olim ex consortio divino resplenduerat.[117]

Si verum esset sectariorum commentum, Ecclesia multo miserabilior esset quam synagoga.

Tam notum autem est in Sacris Litteris, quod Christi Ecclesia multo amplior multoque gloriosior futura erat atque Moysi synagoga, quam quod notissimum. At si verum esset sectariorum istud commentum de Ecclesia tandiu in obscurissimis ac cimmeriis tenebris, ne aegyptiis dicam, latitante; fuisset plane multo miserabilior synagoga et post Christum antiquata et longe maxime miserrima a Deo repudiata, derelicta ac reprobata, Ierosolyma per Romanos eversa, temploque funditus diruto.[118]

Nam Iudaei quidem ubique gentium habitant sedesque firmas habent, permittuntur habere synagogas suas, in quibus religionis suae libera exercitia habent, circumciduntur, festivitates suas celebrant, conventus ad concionem legemque audiendam per singula sabbata faciunt et iudaice secundum legis suae ritus traditionumque suarum ceremonias vivunt. Christi autem Ecclesia ista, quam fingunt Novatores, longe peioris conditionis servitutem captivitatemque [perpessa] a temporibus, ut aiunt,[119] D. Gregorii Magni, nihil horum habere potuit, nec christianam religionem quoquo modo profiteri. Itane Christus dilectissimam sponsam suam post tyrannorum diuturnas persecutiones adegerit ad ferendum tandiu gravissimum captivitatis iugum sub antichristi, ut somniant, tyrannide et diaboli potestate servituteque longe durissima? O monstra!

Sed etiam falsum est

X. Sed expendamus parumper, quaeso, quod afferunt de Ecclesia in diebus Eliae; manifestum enim erit quam turpiter vel errent,

114) Eph 5, 27. 115) Cf. 3 Rg 3, 8-14. 116) Cf. Mt 17, 2. 117) Cf. Ex 34, 29-35; 2 Cor 3, 7-13. 118) C. Tacitus *Historiarum*, lib. 5, cp. 10-13; Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 3, cp. 5-8, (P. G. 20, 222-229); Sulpicius Severus *Chronicon*, lib. 2, (P. L. 20, 146); Io. Flavius *De Bello Iudaico*, t. K, lib. 1, cp. 1, pag. 10 sqq.; specintim autem lib. 7, cp. 1, pag. 508 sqq. 119) M. Lutherus *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum*, W. L. t. 7, f. 555ᵇ

nescientes Scripturas,[120] vel mentiantur tanquam sycophantae et impostores ad imponendum et fucum faciendum simplicibus. Dicant nobis: Agiturne ibi de tota fidelium multitudine universaque Ecclesia in populo Dei, an tantum de Ecclesia speciali in regno Israelis sub impio Achab et scelestissima Iezabele?[121] Si nanque de partiali ecclesia agatur, nihil afferunt quod faciat ad rem, non enim sermo est de particulari, sed de universali Christi Ecclesia. Particulares in persecutionibus possunt fugere et sese in latibulis recipere, sicut Christus *abiit et abscondit se;*[122] et: *Ambulabat... in Galilaeam; non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.*[123]

Ecclesiam tempore Eliae latitasse; nam Scriptura non loquitur ibi de Ecclesia universali, sed de particulari, quae latitare potest, ut habetur in Evangelio et *Actis*.

Quod autem fecit ipse, faciendum etiam docuit, dicens: *Cum... persequentur vos in civitate una, fugite in aliam.*[124] Et cum propter Stephanum *magna* fieret *persecutio in ecclesia* Ierosolymitana, discipuli *omnes dispersi fuerunt per regiones Iudaeae... praeter Apostolos,* sicut Lucas in *Actis* refert.[125] Quare nil mirum si in diebus Eliae propter acerbam persecutionem Achab et Iezabelis veri cultores fidelesque servi Dei latitabant; ita ut Elias existimaret omnes de medio sublatos ac desideratos esse. Quamquam Elias non de fidelibus quibuscumque, sed de Prophetis loquebatur, dicens: *Prophetas tuos occiderunt, et relictus sum ego solus,* ignorans quod unus Abdias princeps in domo Achab in persecutione Iezabelis centum Prophetas in speluncis absconderit alueritque.[126] Ipse etiam Elias fugit persequentem se Iezabelem,[127] furiam illam, horrendae crudelitatis monstrum.

At vero illo ipso tempore, quo in regno Israel sub Achab tam atrocem persecutionem patiebatur Ecclesia, in regno Iuda sub pientissimo rege Iosaphat summa fruebatur pace et tranquillitate, et mirum in modum florebat vera religio divinusque cultus, ut *Sacra* narrat *Historia.*[128] Fuit enim Iosaphat rex apprime religiosus et ad avitam pietatem collapsam reparandam et sartam tectam servandam cum primis addictus. Successitque ei religionis negotium quam prosperrime, insistensque vestigiis Asae patris sui, principis religione et pietate insignis,[129] effecit ut iuxta praescriptum divinarum legum Deus pu-

Tempore vero, quo Ecclesia in regno Israelis persecutiones patiebatur, florebat sub rege Iudae.

120) Mt 22, 29. 121) Cf. 3 Rg 16, 29 sqq.; 19, 10-14. 122) Io 12, 36. 123) Ibid. 7, 1. 124) Mt 10, 23. Vulg.: *In civitate ista.* 125) 8, 1. Vulg.: *Persecutio magna... dispersi sunt.* 126) 3 Rg 18, 4. 127) Ibid. 19, 3. 128) Cf. 2 Par 17, 1 sqq.; 19, 1 sqq. 129) Cf. 3 Rg 15, 11-14; 2 Par 14, 1-5.

rissime coleretur ab omnibus popularibus suis. Erat igitur in diebus Eliae Ecclesia in regno Iuda non solum ob publicum divinae religionis exercitium manifesta omnibusque notissima, verum etiam longe florentissima; particularis tantum in Israel, praesertim vero in Samaria, propter persecutionem latitabat Ecclesia. Quare perquam miserum est Novatorum istud effugium de latitante Ecclesia exemplo israeliticae Ecclesiae sub Elia.

Nec ad rem facit testimonium *Apocalypseos* de muliere in desertum fugiente; ibi enim agitur de novissima antichristi persecutione.

XI. Nec plus ponderis aut momenti habet quod afferunt de Ecclesia in desertum fugiente ex libro *Apocalypsis.*[130] Ibi enim agitur de novissima persecutione antichristi sub finem et consummationem saeculi. Est autem mirabile haereticorum ingenium quod, cum ibi dicatur Ecclesia sole amicta, hoc est, instar solis illustrissima ac splendidissima, – quid sole illustrius, quid spectabilius? Quid est in universo hoc mundo somatico quod minus latere possit? – et tamen Ecclesiam sole amictam faciunt latitantem. Nec tamen ibi Divina Scriptura latitantem dicit Ecclesiam, sed fugientem in desertum, ubi aleretur *per tempus et tempora et dimidium temporis.* Ubi alluditur ad fugam synagogae ex Aegypto a persecutione Pharaonis in desertum divina ope factam.[131] Num latitans dici potuit synagoga in deserto divinitus sustentata?

Nec admitti potest Ecclesiam fide destitutam per mille annos latitasse, sine praedicatione et pastore.

Et quomodo, quaeso, universa Christi vera Ecclesia omnibus ignota tam diuturno tempore per spatium mille fere annorum pati ab inimicis suis persecutionem potuit, cum omnino nesciretur ac prorsus ignoraretur? Et cum verum sit quod Paulus ait: *Corde... creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* quomodo salva esse potuit sine confessione christianae fidei? Imo quomodo fidem habere potuit praedicatoribus destituta, cum verum etiam sit quod *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi?*[132] Sed *quomodo audient sine praedicante?*[133] Quomodo mansit tandiu grex sine pastoribus, hoc est, Episcopis, *quos,* ut Paulus ait, *posuit Deus regere Ecclesiam..., quam acquisivit sanguine suo?*[134] Sine pastore potest grex in medio luporum diu manere incolumis?

130) Cf. 12, 1 sqq. 131) Cf. Ex 13, 1 sqq. 132) Rom 10, 17. 133) Ibid. vr. 14.
134) Act 20, 28. Vulg.: *Vos Spiritus Sanctus.*

Et ubi, quaeso, Lutherus latitantem istam invenit Ecclesiam, priusquam a Romana Ecclesia exiret transfuga? Ipse enim, ut multis locis testificatus est,[135] priusquam lutheranismi fieret auctor, nonnisi catholicus romanus erat, et omnes, qui, relictis Romanae Ecclesiae signis, ad ipsum iam apostatam et rebellem transfugerunt, antequam manipulares ipsius fierent, nonnisi in Romanae Ecclesiae castris et sub signis Romani Pontificis, exercitus huius secundum Christum supremi ducis et imperatoris, militabant. Ubi ergo inventa ab ipso est vetus ista Ecclesia latitans, et ad lucis huius usuram perducta est mundoque ex latibulis, antris, et specubus educta, manifestata illustrataque est, sicut olim per Moysen synagoga ex Aegypti tenebris asserta? O figmenta et nugas longe nugacissimas!

Si latitans Ecclesia, ubi eam invenit Lutherus?

XII. Sed, sicut in *Proverbiis* est, *qui nititur mendaciis..., pascit ventos, et volantes sequitur aves.*[136] Cum enim non possint assignare ecclesiam, ad quam Lutherus, deserta Romana, transivit, figmenta ista deliramentis similia comminiscuntur, et inanissima somnia somniant. Sine vera Ecclesia, non potest haberi vera fides, vera Scripturarum intelligentia, vera religio, verus Christus, verus Deus; nec potest esse vera Ecclesia, nisi quae a Christi et Apostolis per traducem fidei, mediantibus maioribus nostris, ad nos usque pervenit. Siquis autem aliam ecclesiam a Christo primum fundatam in saecula permansuram evangelizaverit, anathema sit; nam qui aliam ecclesiam praedicat, profecto aliam fidem, aliud evangelium praedicat, ut Augustinus ait. Ergo anathema sit.

Mendaciis igitur nituntur dogmatistae in suis commentis.

Ostendant nobis Lutherani veram istam Ecclesiam primitus a Christo et Apostolis divinitus fundatam, antiquam, perpetuam, manifestam, sole amictam, reginam imperantem, stellis coronatam, et ipsis ex animo salutem nostram, quae in veritatis cognitione in primis consistit, referemus acceptam. Nam, si cum Donatistis novam nobis dederint ex meris Scripturis suo arbitratu intellectis, cum Donatistis ipsos, D. Augustini exemplo, damnabimus haereticosque palam renunciabimus, nihilque morabimur quod tam gloriose se iactent iactan-

Novam ergo ecclesiam ex solis Scripturis, suo arbitrio intellectis, construxerunt Lutherani, ideoque anathemate plectendi, ut olim Donatistae.

135) *Praefat.* Op. Lat. W. L. t. 1, f. IIª; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 291ª; *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert.* 2, pag. 152-154. 136) 10, 4. Vulg.: *Idem autem ipse sequitur aves volantes.*

terque glorientur de inventa evangelica veritate. Eorum nanque personas elegantissima quadam mimesi Vincentius Lirinensis visus est expressisse, dicens :[137] « Audias etenim quosdam ipsorum dicere : Venite, o insipientes et miseri, qui vulgo catholici vocitamini, et discite fidem veram, quam praeter nos nullus intelligit; quae multis ante saeculis latuit, nunc vero revelata et ostensa est ». Hoc dicit vir eruditus de hominibus, qui novam nescio quam doctrinam *promittentes, circa fidem exciderunt.*[138]

Connexio cum sequentibus.

Sed iam ad lutherici evangelii fructus et lutheranae ecclesiae qualitates deveniendum, ut sciat mundus, qualisnam a Luthero fundata ecclesia est.

137) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 667). 138) 1 Tim 6, 21.

SECTIO SECUNDA

DE AEDIFICIO ET QUALITATIBUS ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

LUTHERANAE ECCLESIAE AEDIFICIUM QUALE SIT QUIBUSQUE LAPIDIBUS AEDIFICATUM ET AN VERE TEMPLUM DEI DICI POSSIT DISQUIRITUR INSPICITURQUE [1]

A fundamento ad aedificationem procedendum est, sicut ostendit Dominus.

I. A fundamento ad superaedificationem structuramque aedificii procedendum est, sicut saepe solet Scriptura. Ita Dominus: *Super hanc petram,* inquit, *aedificabo ecclesiam meam.* [2] A fundamento ad superaedificationem processit et Petrus: *Ad quem [accedentes],* inquit, *lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum.* [3] Prius ponit fundamentum Christum, qui *lapis... est factus in caput anguli,* [4] unde etiam citat illud Isaiae: *Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum,* [5] apud Vatem est: *In fundamento fundatum,* hoc est, *pro fundamento positum;* deinde posuit Petrus superaedificationem factam ex lapidibus vivis.

Petrus etiam docet super Christum fundamentum aedificandam esse domum spiritualem.

Item Paulus dicit super Christum aedificandum esse argentum, aurum, etc.,

Ita et Paulus, *ad Corinthios* scribens: *Dei,* inquit, *aedificatio estis. Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificet. Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis*

1) Cod. 2, f. 279ª-286ᵇ. 2) Mt 16, 18. 3) 1 Petr 2, 4-5. 4) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Factus est.* 5) 28, 16; 1 Petr 2, 6.

autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. [6] Ubi D. Paulus post fundamentum positum ostendit quid doctores boni superaedificent, nempe *argentum, aurum, lapides pretiosos,* quale fuit templum Domini per Salomonem excitatum.

in similitudinem templi salomonici, quod lapidibus pretiosis exstructum erat.

De quo in *Sacra Regum Historia* legimus quod *omnia* extruxit Salomon *lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant,* quodque *fundamenta...* [extruxit] *de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum ; et desuper lapides pretiosi aequalis mensurae.* [7] Ubi Divina Scriptura pretiosos lapides dicit, non quidem gemmas, uniones, lapillos perlucidos, quos gemmas dicimus, intelligit, non enim hi aedificiis magnis solent inservire, nec tantae magnitudinis decem sive octo cubitorum inveniuntur ; sed lapides pretiosos dicit marmora diversorum generum, lapides parios albi coloris, laconicos, virides, ophiticos variis serpentum coloribus distinctos, porphyriticos coloris rubri, candidis intervenientibus punctis, aliisque marmorum generibus etiam versicoloribus, quibus et olim plurimum et nunc etiam templa et principum palatia marmorantur. At vero inquit Paulus quod non omne, quod superaedificatur, est *aurum, argentum, lapides pretiosi;* superaedificatur enim *lignum, foenum, stipula.*

Qua metaphora utitur adhuc Paulus, scribens *ad Ephesios.*

Eadem metaphora et fundamenti et superaedificationis usus est Paulus, *ad Ephesios* scribens, dum ait : *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino ; in quo et vos coaedificamini in habitaculum sanctum in Spiritu Sancto.* [8]

Sicut vero Petrus vocat Ecclesiam domum spiritualem, sic Paulus eam dicit habitaculum et templum sanctum,

Sicut autem Petrus hac metaphora usus Ecclesiam dixit domum spiritualem : *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis ;* ita Paulus Ecclesiam dicit *habitaculum sanctum,* quam *ad Timotheum* dixit *domum Dei.* [9] Dixit etiam hic *templum sanctum in Domino,* quemadmodum etiam *ad Corinthios : Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis ? Si quis autem templum*

6) 1 Cor 3, 9-13. 7) 3 Rg 7, 9-11. 8) 2, 19-22. Vulg.: *Super,* loco: *Supra,* et: *Habitaculum Dei,* loco: *Habitaculum sanctum.* 9) 1 Tim 3, 15.

Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.[10] Et alibi: *Quis... consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus.*[11] Alludit ad tabernaculum mosaycum et ad templum salomonicum, quod utrumque *habitaculum Dei* in Sacris Litteris saepe saepius appellatur.[12] Utrumque etiam saepissime מִקְדָּשׁ *sanctuarium,*[13] et קֹדֶשׁ *sanctum*[14] per excellentiam, sive *sanctitas*, nominatur; nam Regius Vates, Deum alloquens, ait: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum.*[15] Profecto quoniam templum illud sacrosanctum fuit veluti symbolum quoddam et hieroglyphica figura Ecclesiae Dei, ad designandam veram in Spiritu Sancto Ecclesiae sanctitatem.

alludens ad tabernaculum mosaycum et ad templum Salomonis, quod utrumque sanctum dicebatur.

Hinc enim populus christianus dictus est *gens sancta: Vos...*, inquit Petrus, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*[16] Et Paulus *ad Ephesios: Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans* eam *lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*[17]

Hinc populus christianus a Petro et Paulo gens sancta vocatur.

II. Hinc proprio veluti titulo et epitheto Ecclesia dicitur sancta, non quod in ea omnes sancti et electi Dei, nulli autem peccatores, ut novorum sectariorum et dogmatistarum multi nugantur;[18] sed eo quod nonnisi in Ecclesia sanctitas vera vitae atque doctrinae reperiri potest. Non sunt quidem in Ecclesia Dei omnes christiani sancti et iusti, multi sunt peccatores scelesti; sed si non omnes boni, neque omnes mali. Est sicut arca Noe, in qua nec sola munda, nec sola immunda animalia inveniebantur, sed simul munda et immunda.[19] Est area Domini, in qua una cum tritico sunt etiam paleae, sicut legimus: *Permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum* suum, *paleas autem comburet igni inextinguibili.*[20] Est ager Domini, in quo

Ita proprio titulo Ecclesia sancta dicitur, non quod omnes in ea sint sancti,

comparatur enim arcae Noe, sagenae, etc.,

10) 1 Cor 2, 16-17. Vulg.: *Spiritus Dei*, loco: *Spiritus Sanctus*. 11) 2 Cor 6, 16.
12) Cf. Lv 2, 11; Nm 24, 21; Ios 22, 19. 29; 1 Rg 21, 7; 2 Rg 2, 28-30; Ps 46, 5; Is 63, 15.
13) Ex 15, 17. Ms.: מקדש. 14) Ex 30, 10; Ez 48, 10; Dn 9, 24; 11, 30. Ms.: קדש.
15) Ps 92, 5. Vulg.: *Longitudinem*. 16) 1 Petr 2, 9. 17) 5, 25-27. 18) M. Lutherus *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 501a-502b. 508b; S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 2, lib. 3 *De Ecclesia Militante*, cp. 2, pag. 53, ed. cit. 19) Cf. Gn 7, 1-9. 20) Mt 3, 12.

sunt etiam superseminata zizania, quae tempore messis sunt colligenda, alliganda in fasciculos et comburenda.[21] Est sagena missa in mare, congregans ex omni genere piscium, sed tandem boni tantum sunt colligendi, mali autem foras mittendi.[22] Est coenaculum, in quo reperiuntur etiam qui non habent vestem nuptialem, ac propterea eiiciendi *in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium;*[23] collegium decem virginum, in quo quinque sunt prudentes et quinque fatuae;[24] multitudo servorum a Domino talenta accipientium, inter quos est, qui talentum accipit et abscondit;[25] ovile Domini est, in quo sunt una cum ovibus haedi, staturi in die iudicii a sinistris.[26]

sed quod vera sanctitas nonnisi in ea semper invenitur.

Et tamen licet non omnes christiani sancti sint, Ecclesia enim *domus Dei est,*[27] de qua Paulus *ad Timotheum* ait: *In magna... domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum;*[28] licet, inquam, non omnes christiani in Ecclesia Dei sint sancti, multi, heu longe multi sint peccatores, vitam christiano nomine longe indignam ducentes; tamen solus christianorum hominum coetus dicitur sanctus appellaturque *gens sancta, populus acquisitionis,* quoniam vera sanctitas tantum inter christianos reperitur. Extra Ecclesiam species tantum quaedam sanctitatis et pietatis reperiri potest, inter infideles enim et haereticos multi invenientur, quod spectat ad morales virtutes honestamque conversationem, qui videri possint et dici sancte vivere, sed sunt, sicut Paulus ait, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes,*[29] *sine fide* enim *impossibile est placere Deo.*[30] Infideles probe viventes, quales etiam multi inter gentiles nominantur, ut Socrates multique alii, simiae dici possunt iustorum.

Soli christiani dicuntur sancti, sicut inter omnia animantia solus homo rationalis dicitur,

Appellantur christiani inter omnes homines soli sancti, sicut inter omnia animalia soli homines rationales, non quod omnes ratione utantur et iuxta rationis rectae praescriptum vivant agantque, cum multi careant rectae rationis usu; sed quod soli homines animam habeant ratione praeditam, qua possunt iuxta sanam mentem vivere

21) Cf. ibid. 13, 24-42. 22) Cf. ibid. vrr. 47-50. 23) Ibid. 22, 1-14. 24) Cf. ibid. 25, 1-13. 25) Cf. ibid. vrr. 14-30. 26) Cf. ibid. vrr. 31-33. 27) 1 Par 21, 1. Vulg.: *Est domus Dei.* Cf. 1 Tim 3, 15. 28) 2 Tim 2, 20-21. 29) Ibid. 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem quidem.* 30) Hebr 11, 6.

agereque. Et quilibet homo dicitur animal rationale, non quod unaquaeque pars hominis sit capax rationis, cuius non caro, non corpus, non vires vegetantis et sentientis animae capaces sunt, sed ipsa tantum mens et intellectus; omnis tamen homo animal dicitur rationale, quia solus homo inter omnia animalia mentem et intellectum habet. Ita, inquam, inter omnes hominum coetus tantum coetus christianorum in Sacris Litteris dicitur sanctus,[31] quia nonnisi in vera Christi Ecclesia sanctitas vera reperitur, aut reperiri inter homines potest.

licet aliquando ratione non utatur.

Sicut autem in homine rationali multae sunt partes rationis expertes, ita in sancta Ecclesia multi sunt christiani expertes sanctitatis, homines *animales, spiritum non habentes,*[32] nec capientes *quae sunt spiritus Dei;*[33] sunt veluti partes hominis non ad animam immortalem, sed ad ipsum corpus morti et interitui obnoxium spectantes. Et sicut non potest homo, quandiu homo est, non habere rationalem animam; ita non potest vera Christi Ecclesia Spiritu Christi homines sanctificante carere. Datus est enim ei, ut maneat secum in aeternum: *Alium,* inquit, *Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.*[34]

Sicut in homine sunt multae partes non rationales; sic in Ecclesia sunt multi christiani non sancti: et sicut homo non potest ratione carere, sic nec Ecclesia Spiritu Christi sanctificante.

III. Hinc ne in Veteri quidem Testamento fuit aliquando Ecclesia sine aliquo spectatae sanctitatis et pietatis viro. Statim enim ab initio fuit iustus Abel,[35] cui successit Seth,[36] post quem Enos *coepit invocare nomen Domini.*[37] Enoch postea *ambulavit... cum Deo,*[38] quem subsecutus fuit *Noe... iustus atque perfectus,* qui *invenit gratiam in oculis Domini.*[39] Post Noe, Sem et Iaphet,[40] itemque *Melchisedech, rex Salem..., sacerdos Dei altissimi.*[41]

Revera Ecclesia nunquam fuit sine viris sanctis. In V. T. ab initio fuerunt Abel, Seth, etc.

Hinc patriarchae sanctissimi Abraham,[42] Isaac,[43] Iacob,[44] Ioseph[45] et alii, quos insecuti fuerunt Moyses et Aaron,[46] Iesu[47] et Caleb;[48] deinde iudices populi Barach cum Debora,[49] Iephte,[50]

Postea Patriarchae sanctissimi,

31) Cf. Rom 1, 7; 12, 13; 15, 25; 16, 15; 1 Cor 1, 2; 6, 1; 14, 33; 1 Petr 1, 16; 2, 9; Apc 13, 7.
32) Iud 19. 33) 1 Cor 2, 14. 34) Io 14, 16-17. 35) Cf. Gn 4, 2-5.
36) Ibid. vr. 25. 37) Ibid. vr. 26. 38) Ibid. 5, 22. 39) Ibid. 6, 9. 8. Vulg.: *Coram Domino.* 40) Cf. ibid. 9, 1 sqq. 41) Ibid. 14, 18. 42) Cf. ibid. 12, 1 sqq.
43) Cf. ibid. 24, 1 sqq. 44) Cf. ibid. 26, 1 sqq. 45) Cf. ibid. 37, 1 sqq.
46) Cf. Ex 2, 1 sqq. 47) Cf. ibid. 17, 9-14; Ios 1, 1 sqq. 48) Cf. Nm 13, 7-31; 26, 65.
49) Cf. Idc 4, 6 sqq. 50) Cf. ibid. 11, 1 sqq.

Iudices, reges, Prophetae.

Gedeon,[51] Samson[52] aliique usque ad Samuelem,[53] qui *omnes*, ut Paulus *ad Hebraeos* ait, *testimonio fidei probati*[54] inventi sunt. Hos insecuti fuerunt usque ad transmigrationem sancti reges David,[55] Salomon,[56] Asa,[57] Iosaphat,[58] Ezechias,[59] Iosias[60] et prophetae Nathan,[61] Ahias,[62] Elias,[63] Eliseus[64] cum innumeris filiis prophetarum;[65] Isaias,[66] Michaeas,[67] Oseas,[68] Ieremias,[69] Ezechiel,[70] cum quo, tempore ipso babylonicae captivitatis, Daniel,[71] Ananias, Misael, Azarias[72] aliique permulti.

Post captivitatem Zorobabel, Aggaeus, etc.

Post captivitatem vero Iesus sacerdos magnus[73] et Zorobabel princeps Iuda,[74] Aggaeus,[75] Zacharias[76] et Malachias[77] prophetae, Esdra,[78] Nehemias,[79] Mardochaeus, Esther[80] usque ad Machabaeos, divina religione et pietate praestantissimos, qui non adeo multis annis ante Christi adventum floruerunt;[81] ita ut lacunam hanc temporis, Simeon iustus Spiritu Sancto plenus[82] et Anna prophetissa[83] cum parentibus Virginis Deiparae et parentibus Ioannis Baptistae Zacharia et Elisabeth, hominibus sanctissimis, totam faciem impleverint.[84] Ita manifestum est, quod nunquam Deus reliquit Ecclesiam suam sub Veteri Testamento sine aliquibus viris spectatae pietatis, in quibus manifestae essent Spiritus Sancti operationes.

In N. T. omni saeculo floruerunt eximiae sanctitatis viri.

IV. In Novo autem Testamento post Ioannem Baptistam, Virginem Deiparam et Apostolos Spiritu Sancto copiosissime refertos, in ipsa Ecclesia catholica non reperitur saeculum absque viro aliquo probatae sanctitatis. Et quidem primum saeculum praeter Apostolos

Primo saeculo Apostoli et Linus, Clemens, etc.

innumeris floruit apostolicis viris abunde sanctissimis, praecipui tamen fuerunt in Romana Sede successores Petri Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evaristus, pontifices et martyres.

51) Cf. ibid. 6, 11 sqq. 52) Cf. ibid. 13, 24 sqq. 53) Cf. 1 Rg 1, 1-12. 54) 11, 39. 55) Cf. 1 Rg 16, 1 sqq. 56) Cf. 3 Rg 1, 10 sqq. 57) Cf. ibid. 15, 8 sqq.; 2 Par 14, 1 sqq. 58) Cf. 3 Rg 15, 24 sqq.; 2 Par 17, 1 sqq. 59) Cf. 4 Rg 16, 20 sqq.; 2 Par 28, 27 sqq. 60) Cf. 3 Rg 13, 2; 4 Rg 21, 24 sqq.; 2 Par 33, 25 sqq. 61) Cf. 2 Rg 7, 1 sqq.; 3 Rg 1, 1 sqq. 62) Cf. 3 Rg 11, 29 sqq. 63) Cf. ibid. 17, 1 sqq.; 4 Rg 1, 3 sqq. 64) Cf. 3 Rg 19, 1 sqq.; 4 Rg 2, 1 sqq. 65) Cf. 3 Rg 20, 35; 4 Rg 2, 3. 15; 4, 38; 5, 22; 6, 1. 66) Cf. 4 Rg 19, 2 sqq.; 28, 8-19; Is 1, 1 sqq. 67) Cf. 3 Rg 22, 8-28; 2 Par 18, 7-27; Mich 1, 1 sqq. 68) Cf. Os 1, 1 sqq. 69) Cf. 2 Par 36, 12-22; Ier 1, 1 sqq. 70) Cf. Ez 1, 3 sqq. 71) Cf. Dn 1, 1 sqq. 72) Cf. ibid. 1, 6 sqq. 73) Cf. Agg 1, 1-2. 5; Zach 3, 1-19. 74) Cf. 1 Esr 2, 2; 3, 2. 8; 4, 2-3; 5, 2; 2 Esr 7, 7; 12, 1. 46. 75) Cf. 1 Esr 5, 1; 6, 14; Agg 1, 3; 2, 21. 76) Cf. Zach 1, 1 sqq. 77) Cf. Mal 1, 1 sqq. 78) Cf. 1 Esr 7, 1-25; 2 Esr 8, 1-13. 79) Cf. 1 Esr 2, 2; 2 Esr 1, 1; 7, 7; 8, 9; 12, 26. 46; 2 Mach 1, 8-36; 2,13. 80) Cf. Est 2, 5 sqq. 81) Cf. 1 Mach 1, 1 sqq.; 2 Mach 1, 1 sqq. 82) Cf. Lc 2, 25-35. 83) Cf. ibid. vrr. 36-38. 84) Cf. ibid. 1, 5 sqq.

Appetente autem secundo saeculo floruerunt S. Ignatius, S. Polycarpus, et post ipsos Iustinus martyr, Hippolytus, Irenaeus, episcopi et martyres, viri sanctissimi et eruditissimi. In Romana autem Sede hoc saeculo sederunt Sancti Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, omnes sanctissimi martyres, qui propter Christum glorioso martyrio sanguinem prodegerunt. Secundo saeculo Ignatius, Irenaeus etc.

Tertio saeculo in sancta Dei Ecclesia floruerunt S. Laurentius, martyr gloriosissimus, S. Cyprianus episcopus Carthaginensis et martyr nobilissimus aliique martyres innumeri, et in Romana Sede Sancti Callistus, Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Xystus II, Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus, omnes sancti Christi martyres. Hoc eodem saeculo floruit S. Gregorius Neocaesariensis episcopus, ob miraculorum copiam dictus thaumaturgus, S. Paulus primus eremita aliique innumeri viri sanctissimi. Tertio saeculo Laurentius, Cyprianus, etc.

Quarto saeculo S. Antonius, S. Hilarion cum innumeris aliis anachoretis, monachis et monachorum patribus, utroque Macario, Isidoro, Heraclide aliisque permultis. Floruerunt viri sanctissimi et eruditissimi Athanasius, Hilarius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, S. Nicolaus Myrae episcopus, patres omnes Nicaenae synodi, et in Romana Sede Marcellus, Eusebius, Melchiades martyres, S. Silvester, S. Marcus, S. Damasus aliique sancti confessores longe conspicui. Quarto saeculo Antonius, Hilarion, etc.

Quinto saeculo floruerunt S. Hieronymus, Ambrosius,[84a] Ioannes Chrysostomus, S. Paulinus, S. Augustinus, S. Martinus Turonensis episcopus, S. Petrus Chrysologus, S. Fulgentius Ruspensis episcopus, S. Epiphanius aliique viri pietate et eruditione longe illustrissimi, et in Romana Sede S. Innocentius et S. Leo Magnus aliique sanctissimi Pontifices. Quinto saeculo Hieronymus, etc.

Sexto saeculo floruerunt S. Benedictus Abbas, S. Placidus multique sancti monachi, et in Romana Ecclesia Ioannes I Papa et martyr, S. Liberius Papa et martyr, S. Agapitus miraculis clarus apud D. Gregorium in *Dialogis*[85] aliique sancti Pontifices, maxime vero Sexto saeculo Benedictus, Liberius, etc.

84a) S. Auctor ponit hic S. Ambrosium, licet mortuus sit an. 397. 85) Lib. 3, cp. 3, (P. L. 77, 224).

Gregorius Magnus, Pontifex longe sanctissimus atque doctissimus. Quo tempore etiam floruit S. Gregorius Turonensis.

Septimo saeculo Isidorus Hisp., Augustinus, etc.

Septimo saeculo S. Isidorus Hispalensis episcopus, S. Augustinus, Mellitus aliique monachi, qui a Gregorio Papa in Angliam missi, insulam illam ad Christi fidem converterunt. In Romana autem Sede Pontifices Sancti Bonifacius III, IV et V, S. Martinus I, Papa et martyr, S. Leo II Pontifex sanctissimus, necnon et S. Benedictus II, qui Leoni successit. In Anglia post S. Augustinum claruerunt miraculis S. Cuthbertus et S. Ioannes, ut Venerabilis Beda in *Historia Anglicana* testatur. [86]

Octavo saeculo Io. Damascenus, Bonifacius, etc.

Octavo saeculo floruerunt S. Ioannes Damascenus et Venerabilis Beda, item S. Bonifacius, episcopus et martyr, Germaniae dictus apostolus, et in Romana Sede S. Gregorius Papa II, qui praedictum S. Bonifacium in Germaniam misit, et per eum magnam Germaniae partem ad Christi fidem convertit. Hoc eodem saeculo floruit S. Schwibertus [86a] Werdensis episcopus, Saxonum et Frisiorum apostolus, qui etiam post mortem plurimis coruscavit miraculis, quibus Saxones fuerunt ad Christi fidem et conversi et confirmati. Floruit etiam S. Rupertus, Bavariae apostolus et Salisburgensis episcopus, itemque S. Corbinianus in Bavaria primus Frisingensis episcopus.

Nono saeculo Cyrillus, Methodius, etc.

Nono saeculo multi floruerunt viri sanctitate conspicui, cum primis vero Sancti Cyrillus et Methodius Moravorum et Slavorum apostoli, qui etiam sacris aquis abluerunt Borivorium ducem Boihemiae et Ludmillam coniugem, sanctissimam feminam. Eodem saeculo floruit S. Adalbertus, Pragensis episcopus et martyr; floruit et S. Ludgerus Monasteriensis episcopus, qui etiam dictus fuit Saxonum apostolus. In Romana autem Sede Eugenius II, dictus pater pauperum, Leo IV vir sanctissimus et Nicolaus I dictus Magnus, sanctissimus et beatissimus Pontifex, qui Cyrillum et Methodium misit ad Moravos Slavosque ad Christi fidem perducendos.

Decimo saeculo Romualdus, Udalricus, etc.

Decimo saeculo floruit S. Romualdus, Camaldulensium pater, S. Udalricus Augustae Vindelicorum episcopus, S. Dunstanus episcopus Cantuariensis, S. Heribertus Coloniensis episcopus, S. Wenceslaus Boihemiae rex et S. Eduardus rex Angliae sive Britanniae, martyr.

86) Lib. 1, cp. 23 sqq. ibid. 95, 52 sqq.; lib. 4, cp. 27, ibid. col. 220 sqq.; lib. 5, cp. 2, ibid. col. 230 sqq. 86a) Alias Suitbertus.

Undecimo saeculo floruit S. Ioannes Gualbertus, auctor Ordinis Vallis Umbrosae, S. Stanislaus Cracoviensis episcopus et martyr, S. Stephanus Hungarorum rex, S. Eduardus Angliae rex, confessor, qui ab Alexandro Papa III in Sanctorum numerum relatus fuit; itemque Henricus I imperator pientissimus atque sanctissimus cum Augusta uxore sua S. Cunegunda sanctissima femina virgineque. O rem mirabilem, tam magni principes coniuges et caelibes, ideo Bambergae miraculis clari! — Undecimo saeculo Io. Gualbertus, Stanislaus, etc.

Duodecimo saeculo multi floruerunt viri sanctitate celeberrimi. In primis autem S. Bernardus, vir sane apostolico spiritu abunde refertus, S. Malachias, Hiberniae episcopus, cuius vitam longe mirabilem S. Bernardus descripsit,[87] S. Thomas Cantuariensis episcopus et martyr, S. Anselmus eiusdem civitatis episcopus, S. Norbertus, Ordinis Praemonstratensium institutor, Magdeburgensis archiepiscopus. Et huius saeculi initio e vita hac migravit ad superos Bruno, vir sanctissimus, Carthusianorum pater. Eadem tempestate floruit S. Leopoldus Austriae marchio, multis miraculis longe clarus et illustris. — Duodecimo saeculo Bernardus, Malachias, etc.

Tertium decimum saeculum multi viri sanctissimi illustrarunt; cum primis autem duo viri vere apostolici S. Dominicus, fundator Ordinis Praedicatorum, et S. Franciscus, fundator Ordinis Fratrum Minorum. Et in Ordine quidem Praedicatorum hoc saeculo floruerunt D. Thomas Aquinas, S. Petrus martyr, S. Hyacinthus Polonus, S. Raimundus Hispanus, S. Ambrosius Senensis; in Ordine autem Minorum S. Antonius Lusitanus, dictus Paduanus, S. Bonaventura episcopus Cardinalis, S. Ludovicus episcopus Tolosanus. Floruit hac eadem aetate sanctissimus rex Francorum Ludovicus, floruit et S. Coelestinus Papa V, miraculis clarus et inter Divos relatus. — Saeculo tertio decimo Dominicus, Franciscus, etc.

Quartum decimum saeculum non caruit viris sanctis. Floruit hoc saeculo S. Elzearius, comes Ariani in Gallia, S. Ivo presbyter in Minori Britannia; in Romana Sede Benedictus XI insigni sanctitate, quam miracula multa consignarunt. Floruit hac aetate S. Catharina Senensis, virgo mirabilis, ferventissimi spiritus et ardentissimae in Deum et homines caritatis. — Saeculo decimo quarto Elzearius, Ivo, etc.

87) Ibid. 182, 1073 sqq.

Saeculo decimo quinto Vincentius Ferr., Bernardinus Sen. etc.

Quinto decimo saeculo floruerunt S. Vincentius Ferrerius Ordinis Praedicatorum, S. Antoninus eiusdem Ordinis archiepiscopus Florentinus, S. Bernardinus Senensis Ordinis Minorum et S. Didacus Hispalensis Ordinis eiusdem, B. Ioannes a Capistrano et B. Iacobus Picenus, viri sanctitatis admirabilis, licet nondum inter Divos relati, B. Laurentius Iustinianus patriarcha Venetiarum aliique permulti magnae sanctitatis viri.

Saeculo decimo sexto Franciscus P., Ignatius L., etc.

Et tandem sexto decimo saeculo sub initium ex humanis excessit S. Franciscus Paulanus, fundator Ordinis Minimorum, B. Ignatius Loyola, auctor Ordinis Iesuitarum, B. Franciscus Xaverius, qui in Indiis Orientalibus Christi fidem ingenti cum fructu praedicavit, et B. Aloysius Bertrandus, Ordinis Praedicatorum, qui idem fecit in Indiis Occidentalibus, et tandem, ut multos missos faciam sanctitate admodum conspicuos, mirabili vitae sanctitate floruit illustrissimus Cardinalis Carolus Borromaeus, archiepiscopus Mediolanensis, qui nunc defunctus multis miraculis claret.

Et nostra aetate praesertim Card. Borromaeus.

Ad maiorem confirmationem veritatis fidei catholicae voluit Deus per multos Sanctos innumera patrare miracula,

V. Sicut enim sanctitatem et doctrinae et vitae Christi Apostolorumque eius, ut olim Sanctorum Prophetarum Deus multis magnisque miraculis confirmavit contestatusque fuit; ita post Christum et Apostolos ad maiorem confirmationem comprobationemque veritatis fidei catholicae in Ecclesia Christi, multos Sanctos voluit miraculis longe magnis esse conspicuos, ut Gregorium Thaumaturgum, Nicolaum Myrensem, Martinum Turonensem, Bernardum Claraevallensem, Franciscum Assisiatem, Antonium Patavinum, Vincentium Ferrerium et Franciscum Paulanum, ut innumeros mittam, qui divinis miraculis claruerunt.

quibus etiam eorum sanctitatem probavit.

Sunt enim necessaria ad faciendam fidem verae sanctitatis, quae non in externis operibus, ieiuniis, orationibus, eleemosynis certo consistit, haec etiam in hypocritis reperiri possunt; sed in internis virtutibus, fide, spe, caritate, in puritate cordis, in conscientiae bonitate aliisque divinis virtutibus, quae oculis spectari non possunt, ac propterea vera sanctitas nonnisi divinis testimoniis comprobari potest. Et propterea Deus cum in Veteri tum etiam Novo Testamento solitus plurimum fuit servorum suorum fidelium veram sanctitatem miraculis declarare, quibus proinde facta est a Deo indubitata fides omnibus, [qui] sapere volunt veram esse eam religionem, quam Sancti

Omnes enim

miraculis illustrati coluerunt, verum cultum, quo Deo servierunt et placuerunt; nam *sine fide... impossibile est placere Deo.* Quare miracula sunt argumenta et evidentes demonstrationes divinitus factae, quibus vera fides et religio ostenditur et demonstratur, vera enim miracula divina sunt testimonia. Sicut Elias, cum semel atque iterum fecit de coelo ignem descendere, probavit se virum Dei esse; [88] et cum alias ad consumendum sacrificium precibus suis ignem de coelo traxit, quod non potuerant praestare sacerdotes et prophetae Baal; ostendit quod non Baal, sed Deus Israel esset verus Deus. Unde populus universus, viso miraculo, et credidit et confessus fuit fidei veritatem, dicens: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* [89] Hinc Paulus *ad Corinthios* ait se non sine signis apostolatus sui missum fuisse: *Signa...*, inquit, *apostolatus mei facta sunt in vobis in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.* [90]

cam aestimant veram religionem, quae a Sanctis miraculis probatur.

Ita Elias miraculis ostendit Deum Israel esse verum Deum;

sic Paulus apostolatum suum signis probavit.

Nunc, his constitutis, cum non possit Ecclesia Dei non esse sancta et non habere viros sanctitate conspicuos, viros bonos et Spiritu Sancto plenos, quorum spectata sit et indubitata sanctitas; dicat Polycarpus Laiserus, tam egregius lutheranus, dicant nobis Lutherani: Quosnam viros sanctitate conspicuos et miraculis claros habuit a Luthero fundata ecclesia? Lutherus quidem, suus ipsorum primus apostolus et propheta, nullum unquam miraculum fecit, [91] quo Deus doctrinam ipsius tanquam veram vereque divinam confirmarit, sicut de Apostolis legimus: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* [92]

Lutherana secta nullos habuit sanctitate et miraculis conspicuos.

Lutherus nullum miraculum fecit,

VI. Lutherus autem credi voluit missus a Deo, absque ullo tamen missionis suae testimonio, quod auctoritatis a Deo in legatione sua acceptae fidem faceret, sine quibus tamen nec Moyses, nec Elias, nec Apostoli missi fuerunt.

sed credi voluit missus a Deo, sine Dei testimonio,

Sed Lutherus est alter Ioannes Baptista, [93] de quo in Evangelio legitur quod *signum fecit nullum.* [94] Ridendus non confutandus error; tam enim similis fuit Lutherus Ioanni quam nox diei, quam ater angelus satanas Angelo Dei: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce*

quasi alter Iohnnes Bapt.; sed cum Ioanne non est conferendus.

88) Cf. 4 Rg 1, 10-14. 89) 3 Rg 18, 25-39. 90) 2 Cor 12, 12. Vulg.: *Sunt super vos.*
91) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 6*, pag. 118-119. 92) Mc 16, 20.
93) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 1*, pag. 47-48. 94) Io 10, 41.

Ioannes nullum quidem fecit signum; at ipse fuit ingens miraculum.

ego mitto Angelum meum. [95] Et, sicut alibi diximus, [96] non fecit quidem Ioannes ullum miraculum, sed fuit ipse ingens divinum miraculum ab ortu nativitatis suae: *Quis putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* [97] Imo ante nativitatem magno miraculo in matris utero Spiritu Sancto repletus exultavit, [98] nec nisi miraculo conceptus fuit, divino munere parentibus datus et a Gabriele patri in templo praenunciatus et magno encomio celebratus. [99]

Non assumpsit praedicationis officium nisi a Deo vocatus;

Et licet Ioannes talis ac tantus esset et praeterea filius sacerdotis [100] et ipse secundum legem sacerdos ac proinde ordinarius minister, non assumpsit sibi praedicationis officium, sed a Deo vocatus et missus: *Factum est verbum Domini super Ioannem... Et venit... praedicans.* [101]

non praedicavit novam doctrinam;

Nec praedicavit novam doctrinam, sed antiquam Prophetarum: *Venit in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini; rectas facite semitas eius.* [102]

non evertit synagogam, nec pontifices traduxit;

Nec venit ad evertendam synagogam et novam ecclesiam de suo nomine fundandam, non ad traducendos pontifices principesque sacerdotum demendamque eis auctoritatem et viris ecclesiasticis invidiam apud vulgus conflandam, sicut Lutherus invidiosissime fecit; [103] sed a sacerdotibus et levitis,

interrogatus, humillime respondit se non esse Christum nec prophetam,

quos principes Iudaeorum ab Ierosolymis ad ipsum miserant, interrogatus quisnam esset, modestissime respondit atque humillime, dicens se non esse Christum, non Eliam, non prophetam.

Et obiurgatus cur baptizaret, cum nec Elias, nec propheta esset, [104] cum haberet totius populi favorem, obiurgatoribus suis minime fuit succensus, nec eos, Lutheri more, maledictis conviciisque et contumeliis virulentis incessit,

sed venisse ad praedicandam poenitentiam.

sed tantum modestissime dixit se esse vocem in deserto clamantem: *Parate viam Domini, sicut dixit Isaias propheta,* [105] hoc est, quod tantum missus a Deo erat ad praedicandam poenitentiam, qua homines ad Christum suscipiendum digne disponerentur. Ad praedicandam autem poenitentiam non erant necessaria miracula, sed exemplum vitae, sed efficacia spiritus cum opinione sanctitatis. His autem Ioannes fuit abunde instructissimus.

95) Mt 11, 10. 96) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert.* 2, pag. 73. 97) Lc 1, 66. 98) Cf. ibid. vr. 41. 99) Cf. ibid. vrr. 8-25. 100) Cf. ibid. vr. 5. 101) Ibid. 3, 2-3. 102) Ibid. vrr. 3-4. 103) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert.* 9, pag. 300-304. 104) Cf. Io 1, 19-27. 105) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Dirigite.*

Quod si, sicut Moyses, novam doctrinam circa fidem et religionem traditurus fuisset, sane non sine miraculis missus fuisset, quibus posset fidem legationis divinaeque missionis omnibus certam testatamque facere, ne una cum Moyse potuisset dicere Deo mittenti: *Non credent mihi, neque audient vocem meam; sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Propter hanc enim causam Deus dedit Moysi potestatem faciendi miracula, *ut credant*, inquit, *quod apparuerit tibi Dominus Deus... Si non crediderint*, inquit, *tibi, neque audierint vocem signi prioris, credent verbo signi sequentis... Virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*[106]

Si novam doctrinam traditurus fuisset, non sine miraculis missus esset.

Lutherus autem, sicut superius vidimus,[107] novam doctrinam novaque dogmata «sub poena maledictionis aeternae omnibus asserenda» in mundum invexit suaque dogmata de coelo habere se dixit, missus a Deo credi voluit; et tamen divinam missionem suam ad rem tanti momenti ne minimo quidem miraculo testatam fecit.

Lutherus autem novam doctrinam sine miraculis invexit.

VII. Tertullianus in suis *Praescriptionibus* ab haereticis miracula exigit, dicens:[108] «Cupio ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt, etc. Sic enim Apostolos solet facere; dare illis praeterea virtutem eadem signa edendi, quae et ipse. Volo igitur et virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum aemulantur, illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt». Tale quidem est miraculum quod Calvinus praestitit, ut, praeter Surium,[109] Hieronymus Bolsecus in *Vita Calvini*[110] testis oculatus scripsit de Bruleo Ostunensi, qui, cum Calvini opera morbum mortemque simulasset, ut postea publico spectaculo suscitaretur a Calvino, falsoque miraculo miserae plebi imponeretur; Dei virtute factum fuit ut infelix ille, qui mortem simulaverat, revera mortuus fuerit. Quem impostor Calvinus suscitare minime potuit, sed a Deo delusus confususque falsus evangelista remansit.

Ab haereticis, ut ait Tertullianus, miracula exigenda sunt ad fidem doctrinae faciendam; sed illi ea in perversum patrare aemulantur, ut Calvinus

Lutherus autem aliquando iactavit quod, si voluisset, potuis-

et Lutherus.

106) Ex 4, 1. 5. 8. 17. Vulg.: *Sermonem signi*, loco: *Vocem signi.* 107) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 2*, pag. 70 sqq.; *Dissert. 6*, pag. 119-123. 108) *Praescript. 4*, cp. 30, (P. L. 2, 43). 109) *Comment. Brev. Rerum in Orbe Gestarum.* pag. 374-375. 110) Cp. 13, pag. 42-43. Ex gallico exemplari latine reddita, Coloniae, Io. Soteris 1582.

set utique miracula facere.[111] Quod quam verum sit, effectus demonstravit, cum, Friderico Staphylo teste oculato,[112] daemonem a quadam puella eiicere voluit nec potuit, sed a daemone in magnas angustias redactus, ad turpem fugam redactus fuit; et cum Nesenum poetam, in Albi misere submersum, ad vitam revocare vanis quibusdam immurmurationibus frustra tentavit, ut Ioannes Cochlaeus,[113] Laurentius Surius[114] et alii[115] scriptum reliquerunt.

Dicunt Lutherani, sibi non esse quaerenda signa, cum Scripturam praedicent; Ecclesiae vero miracula damnant.

VIII. Boni autem viri, cum ecclesiam suam, instar fungi nuperrime natam, nullis divinis miraculis a Deo probatam ostendere possint, aiunt nos iniuriam sibi facere, cum ab ipsis miracula exigimus,[116] cum ipsi nonnisi Divinam Scripturam ab Apostolis praedicatam innumerisque miraculis confirmatam praedicent, catholicaeque Ecclesiae miracula non vera esse miracula, sed daemonum praestigias, sicut Paulus ait, quod antichristus venturus est in *signis... mendacibus.*[117] Et Dominus ait quod venturi erant pseudoprophetae: *Et dabunt*, inquit, *signa... atque prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*[118] Sed ista vetus calumnia est Pharisaeorum, qui de miraculis Christi ita calumniabantur,[119] paganorum,[120] qui miracula martyrum, et veterum haereticorum, quales fuerunt Ariani, Eunomiani, Vigilantiani, qui ita calumniabantur miracula,[121] quae in Ecclesia catholica fiebant. Quare nil mirum, si novi haeretici Lutherani et Calviniani, uno eodemque spiritu acti quo Ariani aliique haeretici, de miraculis catholicae Ecclesiae similiter, ut olim illi, sentiunt et loquuntur.

Sed haec est calumnia Pharisaeorum, paganorum, etc.

Ceterum non agitur hic

Cetera, ne quo simplicitati nostrae imponant, dum dicunt se nonnisi Divinam Scripturam innumeris miraculis confirmatam praedicare, nam

111) Cf. *Von Beider Gestalt des Sacraments*, W. G. t. 7, f. 329. 112) *Absoluta Responsio contra Iac. Schmidelinum*, pag. 404, Coloniae Agrippinae 1592. 113) *Acta Lutheri*, an. 1523, pag. 75-76. 114) *Comment. Brev. Rerum in Orbe Gestarum*, pag. 534. 115) W. Lindanus *Dubitantius*, pag. 261-262; Til. Bredenbachius *Collationum Sacrarum*, lib. 7, cp. 5, pag. 720, Coloniae Agrippinae 1592. 116) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 10, pag. 144. 117) 2 Thess 2, 9. 118) Mt 24, 24. 119) Cf. ibid. 12, 24; Mc 3, 22; Lc 11, 15-19. 120) De Porphyrio, cf. S. Hieronymus *Contra Vigilantium*, (P. L. 23, 348); de Celso, cf. Origenes *Contra Celsum*, lib. 2, (P. G. 11, 870-879). 121) S. Ambrosius *Sermo de SS. Gervasio et Protasio*, seu epist. 22, (P. L. 16, 1019-1026). In hac ultima parte epistolae nominantur tantum Ariani; attamen specialiter respicit Ambrosius ad Eunomianos et Vigilantianos, qui tunc temporis Mediolani Arianos repraesentabant, et cultum martyrum eorumque miracula negabant. Cf. S. Hieronymus *Contra Vigilantium*, ibid. 23, 347-349.

nobis etiam Divina Scriptura est cum primis sacrosancta; non agitur hic de Scriptura, sed de veritate, hoc est, de vero sensu Scripturae. Habent Divinas Scripturas Hebraei, habent et haeretici, quos tamen Paulus *ad Timotheum* dicit veritate privatos et mente corruptos.[122] Agitur de veritate fidei, de veritate religionis, de veritate Ecclesiae, non de Scriptura; Scriptura enim utrisque communis est, non autem fides, religio, Ecclesia. Nos nostram Ecclesiam, religionem, fidem habemus, innumeris miraculis perpetuo saeculis omnibus divinitus contestatam atque probatam, ipsi sanctitatem suae ipsorum ecclesiae omnino nullis, quin ipsi non floccipendunt modo et nihili faciunt, verum etiam respuunt et damnant miracula, quibus tamen, sicut vidimus, Deus in utroque Testamento sanctitatem doctrinae vitaeque servorum suorum, cum primis Apostolorum, maxime vero Christi Filii sui, divinitus contestatus est in Ecclesia sua.

de Scriptura quae etiam nobis sacrosancta est, sed de sensu Scripturae.

IX. Quoniam vero in haereticorum sectis nulla est sanctitas vitae et doctrinae, propterea Deus, qui summa veritas est[123] et testis falsitatis esse non potest, nullis unquam vel minimis miraculis aliquam haereticorum sectam comprobavit, licet haeretici ipsi maxime voluerint. Sicut de prophetis et sacerdotibus Baal in *Sacra Historia* legimus, quod quam maxime nisi fuerunt, ut ad comprobandam miraculo religionem suam, quam Elias falsam praedicabat, facerent ignem de coelo descendere ad sacrificium consummandum, nec tamen potuerunt;[124] sic haereticis nunquam datum fuit posse vera miracula facere, quemadmodum D. Irenaeus docet *Adversus Haereticos:* «Nec enim, inquit,[125] caecis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugare, neque debiles aut claudos aut paralyticos curare, tantum absunt ab eo ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit et Apostoli». Ubi Irenaeus paulo ante docet, quod[126] «si qui haeretici virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis hominum faciunt ea quae faciunt, sed in perniciem et errorem per magicas elusiones et universa fraude plus perniciei quam utilitatis praestantes iis qui credunt eis». Non in virtute Dei, inquit, hoc est, in virtute

Et quidem Deus haereticorum sectas nunquam miraculis comprobavit,

et si haeretici virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, sed in virtute daemonum operantur;

122) Cf. 2 Tim 3, 8. 123) Cf. Io 14, 6; 1 Io 5, 6. 124) Cf. 3 Rg 12, 24 sqq.
125) Lib. 2, cp. 31, (P. G. 7, 824). 126) Ibid.

daemonum per artes aegyptiacas, qualia fuerunt miracula magorum Pharaonis,[127] qualia antichristus edet venturus in *signis... mendacibus*, quae non sunt supra vires daemonum, sicut in *Apocalypsi* legimus, quod faciet ignem de coelo descendere,[128] quod satanas fecit, ut in libro Iob legimus,[129] quod faciet *ut imago bestiae loquatur,*[130] sed daemones per idola loquebantur. Similia erunt signa et prodigia pseudoprophetarum. Christus autem et Apostoli signa fecerunt ad utilitatem hominum ipso experimento certissima.

ut Simon Magus et Manichaeus.

Haec aliquando haeretici praestare voluerunt, sicut de Simone Mago scribit Hegesippus[131] quod mortuum suscitare, sed frustra, tentavit; et Manichaeus, ut refert Epiphanius,[132] incassum laboravit, ut filio regis aegrotanti sanitatem afferret. Sic Deus omnium haereticorum conatus irritos reddidit, ne gloriari possent miraculis a Deo sanctitatem religionis suae, quae nulla est, comprobatam esse. Non enim, ut diximus, nisi veram vitae et doctrinae sanctitatem in Ecclesia sua Deus miraculis testatam esse voluit. Ubi autem fides non est, sanctitas esse non potest. Quare cum haereticis non sit vera fides, impossibile est ut sanctitas vera reperiatur; et cum Deus testis mendax esse non possit, hinc est quod omnis haeresis miraculis perpetuo caruit.

Lutheranorum nulla est sanctitas, quia sola fide contenti,

X. Quod autem Lutherani vel maxime nullam prorsus in ecclesia sua habeant sanctitatem, manifestum est; nullam enim exigunt, cum sola sint fide contenti, omnemque veram, realem, solidam sanctitatem a sua ecclesia excludunt solamque imputatam sive putativam iustitiam satis sibi esse arbitrantur, tantum ut speciali fide credant per Christum se coram Deo iustos esse, remissaque sibi esse peccata,[133] nec tolli per Christum vitia atque peccata, sed tantum operiri, ut a Deo non imputentur,[134] Deumque similem faciunt homini stulto, qui certo scit uxorem suam adulteram esse vitamque cum adulteris turpissimam ducere, existimat tamen honestam, quia ipsa credat se a viro

127) Cf. Ex 7, 10-11. 128) Cf. 13, 13. 129) Cf. 1, 16. 130) Apc 13, 15. Vulg.: *Ut loquatur imago.* 131) *Historia de Excidio Urbis Ierosol.* lib. 3, cp. 2, (P. L. 15, 2068-2069). 132) *Adversus Haereses, Haeres. 56,* (P. G. 42, 35). 133) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum,* W. L. t. 2, f. 347ª; *Comment. Post. in Epist. ad Gal. Praefat.* ibid. t. 5, f. 269ᵇ; epist. *ad Card. Caietanum,* t. 1 *Epist.* f. 88ª sqq.; *Confessio Augustana,* I. L. t. 4, f. 162.
134) *Praefat.* Op. Lat. W. L. t. 1, f. Vª; *De Captivitate Babylonica,* ibid. t. 2, f. 78ª.

honesta habenda habitaque; quique filios habeat turpissimos, scelestissimos vitiisque omnibus maculatos opertosque, pulcros tamen ipse bonosque iudicet, quia ita ipsi credunt in patris oculis tales esse honesti probique. Aethiopes nigerrimi sunt, quorum *facies denigrata est super carbones;*[135] sufficit ut putent se nive candidiores. Quare ipsorum opinione, fide, confessione nonnisi imaginariam phantasticamque imaginatione sua sanctitatem habent; sane iuxta illud quod in *Apocalypsi* legimus dictum Angelo Laodiciae: *Dicis quod dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis quia tu miser es et miserabilis et pauper et caecus et nudus.*[136] Sane quia fidem non caritatem magnifaciebat; unde subditur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*[137]

Quales sunt igitur Lutherani caritate prorsus destituti? Sua quidem opinione ditissimi, nam L u t h e r u s ipsorum protoparens in libro *De Captivitate Babylonica*, ubi de Baptismo loquitur, ait[138] quod « tam dives sit homo christianus, sive baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas; cetera omnia, si stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem ». Ita quisquis est Lutheri doctrina imbutus, per suum evangelium et specialem fidem ditissimum se existimat, *nesciens quia pauper est et caecus et nudus.*

qua, ut scribit Lutherus, ditissimi sunt, quamvis multis peccatis onerati.

XI. Sic domus, quam Lutherus aedificavit, non est aedificata ex auro, argento et lapidibus pretiosis, periculum ab igne aut damnum non patientibus, sed ex lignis, foeno, stipula, instar vilissimae casae rusticorum, quae ab igne facillime tota comburitur. Homines enim fidem licet perfectissimam sine caritate habentes, apud Deum, cuius *iudicium... est secundum veritatem,*[139] vilissimo loco sunt: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*[140] Non est aedificata ex lapidibus vivis, sicut P e t r u s ait: *Vos coaedificamini lapides vivi domus spiritualis. Fides* enim *sine*

Sic domus a Luthero aedificata est non ex auro, argento, etc., sed ex stipula, quae facile comburitur.

135) Thr 4, 8. Vulg.: *Denigrata est super carbones facies eorum.* 136) Apc 3, 17. Vulg.: *Tu es miser.* 137) Ibid. vr. 18. 138) W. L. t. 2, f. 78. 139) Rom 2, 2. 140) 1 Cor 13, 2.

operibus mortua est, sicut... corpus sine spiritu mortuum est.[141] Lutherus autem a suis nonnisi solam fidem exegit; domum aedificavit non spiritualem, sicut Petrus ait: *Coaedificamini... domus spiritualis*, sed plane carnalem. Docuit enim quod homini multo magis necessaria sit venus quam cibus et potus,[142] nullamque prorsus a suis requisivit carnis mortificationem aut corporis castigationem.[143] Quare secundum Lutheri evangelium Lutheranorum ecclesia non est aedificata *in templum sanctum in Domino* et *in habitaculum* sanctum *Dei in spiritu*, cum nullam requirat vitae morumque sanctitatem, sed tribuat eis omnem carnis licentiam, modo tantum credant.

Nec apostolicae Ecclesiae similis est lutherana secta,

XII. Quoniam autem gloriantur Lutherani ecclesiam suam esse [similem] apostolicae, hoc est, primitivae ab Apostolis secundum Christum fundatae Ecclesiae, inspiciamus, quaeso, qualisnam fuerit primitiva Ecclesia, prout eam Lucas describit in *Actis*. Hinc enim perspiciemus quomodo Ecclesia sit *domus spiritualis* et *templum sanctum habitaculumque Dei* in Spiritu Sancto constructum.

nam, ut Lucas scribit, vita primitivae Ecclesiae fuit mirabilis;

Tradit Lucas quod Petrus ipso die Pentecostes Spiritu Sancto abunde repletus, cum habuisset concionem ad populum, convertit tria millia hominum ad fidem Christi: *Qui... receperunt*, inquit, *sermonem eius, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.*[144] Horum autem conversorum post susceptum Baptisma quaenam fuit vita, quae conversatio? Ait: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et* in *communicatione fractionis panis*, sive, ut graece est, *in communicatione et fractione panis, et orationibus.*[145] Et item: *Omnes... qui credebant erant pariter et habebant omnia communia.*[146] Praeterea ait: *Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum.*[147]

quia fideles *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, in fractione panis et oratione;*

erant *cor unum et anima una;*

Et cum retulisset Lucas quod altera concione Petrus in templo habita, quando una cum Ioanne ascendit *in templum ad horam*

141) Iac 2, 26. Vulg.: *Sicut enim corpus..., ita et fides.* 142) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 257-260; M. Lutherus *Sermo de Matrimonio*, W. L. t. 5, f. 119. 143) *De Libertate Christiana*, W. L. t. 2, f. 3^b-12^a; *De Captivitate Babylonica*, ibid. f. 77^a-78^a. 81^a; *Assertio Articulorum M. Lutheri*, etc. ibid. f. 100^b-101^a. 109^b-110^a. 144) Act 2, 1-41. 145) Ibid. vr. 42. 146) Ibid. vr. 44. 147) Ibid. vrr. 45-47.

orationis nonam magnoque miraculo hominem ex utero matris suae claudum, integritate donavit,[148] quinque millia virorum convertisset ad fidem, ait quod *multitudinis... credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia... Nec... quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum erant aut domorum vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ad pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*[149]

perpetuus erat in eis verbi Dei auditus,

Haec et alia multa his similia refert Lucas de apostolica primitiva Ecclesia, ubi nihil videre est quod non divinam quandam spiret sanctitatem Divinique Spiritus afflatum longe mirabilem. Perpetuus auditus verbi Dei ex ore Apostolorum, nam *qui ex Deo est verba Dei audit;*[150] spiritus orationum et precum: *Erant perseverantes in orationibus* et *quotidie perdurantes unanimiter in templo;* summa caritas, pax atque concordia: *Cor unum et anima una;* nulla prorsus avaritia, vendebant omnia quae habebant ex desiderio perfectionis christianae, iuxta illud Salvatoris: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes, et da pauperibus..., et veni sequere me;*[151] copiosae perpetuaeque eleemosynae: *Frangebant quotidie circa domos panes;* contemptus divitiarum: *Ponebant pretia ad pedes Apostolorum;* nulla crapula: *Sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum.* In mensis dum corpora ad naturam sustentandam reficiebant, non congerronum more turpia, obscena, scurrilia colloquia aut ludicra ad vanam hilaritatem miscebant eloquia, sed cum *exultatione et sinceritate cordis,* hoc est, absque ulla hypocrisi aut fictione, sed ex animo, ex corde sincero Deum collaudabant, ita ut non corpora tantum, verum etiam spiritus reficerent coelesti divinarum laudum cibo, qui Angelorum et coelestium spirituum cibus est.

summa caritas,

paupertas;

nulla avaritia aut crapula;

et sic pie et sobrie viventes omnibus accepti erant, nulli molesti, nulli maledicentes.

Et quoniam ita *sobrie..., iuste et pie*[152] divina quadam cum sanctitate vivebant, *habebant,* inquit Lucas, *gratiam ad omnem plebem,*[153] omnibus erant grati acceptique, nemini erant molesti, nemini scandalo aut oneri, nemini vel minimam faciebant iniuriam, cum omnibus hominibus pacem habebant, neminem maledictis aut con-

148) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 149) Ibid. 4, 32-35. Vulg.: *Ponebant ante pedes,* loco: *Ponebant ad pedes Apostolorum.* 150) Io 8, 47. 151) Mt 19, 21. 152) Tit 2, 12. 153) Act 2, 47. Vulg.: *Habentes.*

tumeliis dicto, aut scripto incessebant, aut insectabantur; sed pro malis bona reddebant,[154] *gaudentes... siquando digni habiti fuissent pro nomine Christi contumeliam pati.*[155] Tali sanctitate floruit Apostolorum tempore Christi Ecclesia.

Nil horum cernitur in lutherana ecclesia, in qua attenditur verbo Dei,

XIII. Nunc, quaeso, quid horum cernitur in Lutheri ecclesia, quae a Lutheranis putatur tota evangelica et pura puta apostolica? Unum est de quo gloriantur, nempe quod perseverent in doctrina Apostolorum, quod verbo Dei diligenter operam navant,[156] sicut de primis christianis hoc est primum, quod dicitur post susceptum Baptisma quod *erant perseverantes in doctrina Apostolorum,* προσκαρτεροῦντες[157] *assidue instantes.* Qua voce Paulus *ad Romanos* usus est, cum ait: *Orationi instantes.*[158] Verum est; instant Lutherani verbo Dei, sed ad Lutheri mentem, sicut Calviniani verbo Dei iuxta Calvini placita.

sed ad mentem Lutheri;

et nullus eius doctor vitam apostolicam ducit.

De primis christianis dicitur quod, licet Spiritum Sanctum a Petro ante Baptisma promissum accepissent,[159] assidua instantia perseverabant in doctrina Apostolorum, qui semoti ab omnibus curis saecularibus orationi tantum et ministerio verbi toti incumbebant, sicut ipsimet dixerunt: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... Nos* autem *orationi et ministerio verbi instantes erimus,*[160] ubi idem est verbum graecum προσκαρτερήσομεν[161] *assiduo instabimus.* Sed ubi sunt, quaeso, inter lutheranos doctores qui vitam ducant apostolicam? Qui semoti ab omnibus familiaribus curis uxoribus etiam relictis tantum orationi et ministerio verbi operam navent?

Igitur lutherana ecclesia, cum non sit Ecclesia Sanctorum,

Plane ex his quae dicta sunt manifestum est tam similes esse moribus et vita Lutheranos primis christianis quam sunt corvi columbis, et aquilis vespertiliones. Illi omni sanctitate florebant, hi nulla prorsus nisi tantum phatanstica, putativa. Cum autem in Sacris Litteris nonnisi duas ecclesias legamus: Ecclesiam Sanctorum, de qua Re-

154) Cf. 1 Thess 5, 15; 1 Petr 3, 9. Cf. etiam Tertullianus *Apologeticus*, cp. 36-37. 39, (P. L. 1, 460-464. 469-471); S. Iustinus M. *Apologia 1 pro Christianis*, (P. G. 6, 346-347); Athenagoras Philos. *Legatio pro Christianis*, ibid. col. 911. 914; Origenes *Contra Celsum*, lib. 3, ibid. 11, 927. 930; S. Io. Chrysostomus *Hom. 7* et *13 in Acta Apostolorum*, ibid. 60, 65-66. 108. 155) Act 5, 41. Vulg.: *Quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu*, etc. 156) Lutherus *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* W. L. t. 5, f. 284. 157) Ms.: Προσκαρτερουντες. 158) 12, 12. 159) Cf. Act 2, 38. 160) Ibid. 6, 2. 4. 161) Ms.: Προσκαρτερησομεν.

gius Vates ait: *Veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum*[162] קְדֹשִׁים;[163] et alibi: *Laus eius in Ecclesia Sanctorum*[164] חֲסִידִים[165] *piorum;* et ecclesiam, de qua ait: *Odivi ecclesiam malignantium,*[166] quae alias dicitur *synagoga satanae;*[167] cum Lutheranorum ecclesia non sit *Ecclesia Sanctorum;* profecto non potest nisi *ecclesia malignantium* esse, מְרֵעִים[168] hebraice, hoc est, *malefactorum,* cum credant ipsi ex Lutheri doctrina, quod « iustus in omni opere bono peccat »,[169] et quod « opus bonum etiam optime factum sit peccatum mortale secundum iudicium Dei ».[170] Quod si semper mortaliter peccant, semper malefactores sunt. remanet ut sit ecclesia malignantium.

DISSERTATIO SECUNDA

LUTHERANORUM ECCLESIAM OMNINO SIMILEM ESSE AC NIHILO MELIOREM OMNIBUS ALIIS HAERETICORUM SECTIS QUAE UNQUAM SUPERIORIBUS SAECULIS IN MUNDO FUERUNT[1]

I. Cum omnes haereses opera diaboli sint, qui propterea dictus est seminator zizaniorum,[2] omnesque haeretici *veritate privati,*[3] *mente corrupti, circa fidem reprobi,*[4] *filii sint nequam,*[5] omnes haereticorum sectae proculdubio malae atque perversae sunt, ecclesiae sunt malignantium,[6] synagogae satanae,[7] arbores sunt malae facientes fructus malos, adeo ut non possint fructus bonos facere.[8] Hinc nulla unquam fuit haeresis, quae Ecclesiae catholicae non incommodarit plurimum, haeresis enim lues est exitialis, pestisque perniciosissima et maxime lethale venenum. Omnes haereses sunt lues Ecclesiae infestissimae;

Omnium vero antiquarum sectarum pestilentissima ac longe pessima visa est ariana, quae totum fere christianum orbem pervasit, atque infecit, sicut D. Hieronymus *in Luciferianos* scribens, te- sed omnium pessima fuit Arianorum secta,

162) Ps 88 (89), 6. 163) Ms.: קדשים. 164) Ps 149, 1. 165) Ms.: חסידיב. 166) Ps 25 (26), 5. 167) Apc 2, 9; 3, 9. 168) Ms.: מרעים. 169) *Assert. Art. 31,* W. L. t. 2, f. 115. 170) Ibid. f. 116.

1) Cod. 2, f. 287ª-294ᵇ. 2) Cf. Mt 13, 25-39. 3) 1 Tim 6, 5. 4) 2 Tim 3, 8. Vulg.: *Corrupti mente, reprobi.* 5) Mt 13, 38. Vulg.: *Sunt.* 6) Cf. Ps 25, 5. 7) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 8) Cf. Mt 7, 17-18.

quae totum fere orbem infecit, deceptis multis Episcopis et capto ipso imperatore Constantio,

statur, dicens:[9] « Ingemuit totus orbis, et se arianum esse miratus est! » Et Vincentius Lirinensis de eadem ait,[10] quod « Arianorum venenum non iam particulam quandam, sed pene orbem totum contaminaverat, adeo ut, cunctis latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quaedam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret », et quod[11] « veluti quaedam Bellona[12] et furia,[13] capto prius imperatore, non destitit postea universa miscere atque vexare privata publica, sacra profanaque omnia », subiungitque:[14] « Tunc temeratae coniuges, depopulatae viduae, profanatae virgines, monasteria demolita, disturbati clerici, verberati levitae, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla; quorum pars, interdictis urbibus, protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, contriti et tabefacti sunt ».

qui acerbissimam persecutionem in Ecclesiam catholicam movit.

Bene ait: « Capto prius imperatore ». Nam cum post mortem Constantini Magni, Constantius filius, qui ei in romano imperio successit, veneno arianae haereseos infectus fuisset a suis eunuchis et aulicis,[15] acerbissimam in Catholicos persecutionem movit, adeo ut D. Hilarius, Pictaviensis episcopus, in *Invectiva* adversus ipsum summa sane et vere apostolica libertate scripta, dixerit[16] non minorem a Constantio quam a Nerone, Decio, Maximiniano persecutionem passam fuisse Ecclesiam, eumque suis coloribus pulcre depingens, tyrannum appellat, lupum rapacem,[17] antichristum,[18] qui nihil aliud ageret, quam ut orbem terrarum, pro quo Christus passus est, diabolo condonaret.[19] De acerbitate eiusdem persecutionis Ecclesiae ab ariano imperatore Constantio multa etiam D. Athanasius scripsit,[20] ab exordio tragoediam repetens, remque longe luctuosam ostendit.

Nec minus infensa fuit

Nec minorem persecutionem passa fuit Ecclesia a Valente imperatore, qui a Dominica Augusta coniuge sua[21] in arianam haeresim

9) P. L. 23, 172. 10) *Commonit. 1*, ibid. 50, 642. 11) Ibid. col. 642-643. 12) Dea Romanorum, a bello sic dicta. Translate de haeresi dicitur, ut Vincentius hoc loco. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub hoc nomine. 13) Furia singulari numero pro peste et scelere accipitur, et dicitur de iis, qui furoris impetu et mala cupiditate acti, aliis perniciem afferunt. Cf. Cicero *Orat. pro Sextio*, vol. 5, cp. 14, pag. 2441. 14) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 642-643). 15) Cf. S. Athanasius *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 703-706); Socrates *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 2, ibid. 67, 187; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 29, (P. L. 31, 1138). 16) Ibid. 10, 583-585. 17) Ibid. col. 587. 18) Ibid. col. 581. 589. 19) Ibid. col. 587-589. 20) *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 727. 738-739. 747. 770-786). 21) Valens imperator, an. 364-378, uxorem habuit nomine *Dominicam* vel *Domnicam Augustam* (ms. habet: *Iustinam*), a

pellectus et tractus,[22] Catholicis omnibus luctuosissimam excitavit tragoediam. Catholicae enim Ecclesiae infensissimus hostis, catholicae tantum fidei cultores ludibriis et contumeliis vexatos, minis, terroribus, omni armorum genere, exiliis suppliciisque mirum in modum impugnavit, arietavit.

persecutio Valentis in Catholicos omnes,

Monachos vero iniquis legibus ad tributi pensitationem capitationemque et ad militiam, deposito monachatu, coegit, eorumque multa millia in Aegypti solitudine, ad Persicum bellum profecturus, per tribunos militesque suos ad militiam ire nolentes, mactari iussit.[23] Eadem autem impietate et persecutione simili in Palaestina, in Syria et ubique terrarum monachos crudelis tyrannus vexavit;[24] et in bello, quod adversus Gothos habuit, multa monachorum millia barbaris illis trucidanda obiectasse dicitur.[25] Ubique terrarum autem sub Valente, cum omnes Catholici, tum maxime omnium monachi diras gravissimasque ab Arianis passi sunt persecutiones.

maxime vero in monachos,

qui ab Arianis ubique vexati sunt.

II. Mirabile est quam longe aliud semper fuit Catholicorum de monasticae vitae instituto ac haereticorum iudicium atque sententia. Catholici omnes semper monachos propter vitae sanctimoniam et evangelicam perfectionem mira pietate coluerunt et in honore habuerunt, Patresque sanctissimi atque doctissimi iustis voluminibus editis monasticam vitam eximiis laudibus celebrarunt Athanasius,

Longe aliud fuit iudicium Catholicorum de monastica vita; omnes enim semper monachos mira pietate coluerunt, et

qua revera pellectus in arianam haeresim, Baptismum suscepit ab Eudoxio Arianorum episcopo. Cf. Socrates *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 27, (P. G. 67, 534); lib. 5, cp. 1, ibid. col. 566; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 1, ibid. col. 1418; Io. Zonaras *Annales*, lib. 13, cp. 16, ibid. 134, 1162-1163; Nicephorus *Hist. Eccles.* lib. 11, cp. 18, ibid. 146, 623; Le Beau *Storia del Basso Impero*, vol. 4, lib. 17, pag. 411, Venezia 1768.

22) Cf. Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11, (P. G. 82, 1146); S. Theophanes *Chronographia*, an. Chr. 360, ibid. 108, 175; Io. Zonaras *Annales*, lib. 13, cp. 16, ibid. 134, 1162-1163.

23) Cf. Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 1-5, (P. L. 21, 508-514); D. Hieronymus *Chronicon*, ibid. 27, 695-697.

24) Cf. S. Basilius epist. *ad Monachos Syriae*, (P. G. 32, 943); S. Gregorius Naz. *Orat. 43 in Laudem Basilii M.* ibid. 36, 554-555; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11-31, ibid. 82, 1146-1184; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 33, (P. L. 31, 1145); *Acta S. Eusebii* apud C. Baronium, t. 4, an. 356, pag. 582-585.

25) Apud nullum historiographum haec invenire potuimus, sed tantum legitur dira persecutio in monachos, quae sub Valente facta est an. 375-376 in Aegypto et Syria, cum data lege omnes monasticam vitam agentes ad militiam conscribi iussi sunt. Cf. S. Basilius M. epist. 243 *ad Episcopos Italos et Gallos*, (P. G. 32, 902-911); Nicephorus *Hist. Eccles.* lib. 11, cp. 28, ibid. 146, 658-670; Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 2, (P. L. 21, 509-510); P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 33, ibid. 31, 1144-1146; Cassiodorus *Hist. Tripart.* lib. 8, cp. 3-7, ibid. 69, 1111-1115. Eodem fere tempore, an. 373, apud Gothos sub Athanarico rege furebat persecutio in Catholicos, de qua cf. S. Hieronymus *Chronicon*, ibid. 27, 695; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 32, ibid. 31, 1143; S. Isidorus Hisp. *Hist. de Regibus Gothorum*, ibid. 83, 1160.

Patres laudibus celebrarunt.

Gregorius Nazianzenus, Basilius, Ioannes Chrysostomus, Epiphanius, Augustinus, Hieronymus, solentque Patres orthodoxi monasteria nuncupare Sanctorum tabernacula, poenitentiae loca, admirabilis vitae gymnasia, pietatis scholas, virtutum officinas, palaestras militum Christi, portum christianae religionis, christianae perfectionis magisteria, Angelorum castra, animarum vivaria, vitamque monasticam benedictam, sanctam, conversationem coelestem, vitam angelicam, sanctorum virorum imitationem. Monachi ipsi non modo ascetae, Nazaraei, viri religiosi, viri sancti a Patribus dicti sunt, verum etiam lux mundi, sal terrae, luminaria stellaeque coeli et Angeli paradisi.

Io. Chrysostomus eos vocat Angelorum coetus, etc.

Ioannes Chrysostomus, agens de monachis in Aegypti solitudine commorantibus, ait: [26] « Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudinem, paradiso quovis omnem illam videbit eremum digniorem, et innumerabiles Angelorum coetus in corporibus fulgere mortalibus ». Et post pauca: [27] « Non ita, ait, coelum variis astrorum choris fulget, ut Aegyptus innumeris monachorum et virginum distinguitur habitaculis ». Multaque vir sanctissimus in laudem monachorum dicit passim, praesertim vero in *Comparatione Regis et Monachi*, [28] ubi monachum dicit Angelis convictoribus utentem, cum Deo colloquentem, coelestibus bonis fruentem. Multa idem in libris *Adversus Vituperatores Vitae Monasticae*. [29]

Hieronymus dicit quod, sicut unumquodque propositum habet principes suos, sic monasticum institutum habet principes Antonium, Macarium, etc.

D. Hieronymus, *ad Paulinum* scribens de monachi institutione, ait: [30] « Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones; philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem; poetae aemulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium; oratores Lysiam, Demosthenem, Gracchos, Tullium; Episcopi et presbyteri habeant in honorem Apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Ilarionem, Macarios, et, ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri filii prophetarum, qui habitabant in agris et in solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.

26) *Hom. 8 in Matthaeum*, (P. G. 57, 87). 27) Ibid. 28) Ibid. 47, 389.
29) Ibid. lib. 2, col. 337. 341; lib. 3, ibid. col. 336. 371. 30) Epist. 58, (P. L. 22, 583).

De his sunt et filii Rechab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Ieremiam voce laudantur». [31] Et *ad Rusticum Monachum* scribens, ait [32] filios prophetarum fuisse monachos Veteris Testamenti.

D. Augustinus scribens *in Psalmum: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum,* [33] multa dicit [34] in laudem monachismi, et in Donatistas invehitur, quoniam, cum in omnes Catholicos grassarentur, praesertim in monachos debacchabantur, nec nomen monachi ferre poterant, et dicere, inquit Augustinus, consueverant: Quid sibi vult nomen monachorum? Itemque: Ostendite ubi scriptum sit nomen monachorum. Quibus ibi Augustinus: «Merito, inquit, [35] insultant nomini unitatis, qui se ab unitate praeciderunt; merito illis displicet nomen monachorum, quia illi volunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum diviserunt».

Augustinus in Donatistas, monachis insultantes, pluries invehitur.

Sed Donatistae, sicut et Catholici, in tres ordines distincti, populum, clerum et monachos; sicut ipsi falsi fideles erant, ut Augustinus ibi habet, [36] ita et falsos clericos et falsos monachos habebant, quos Catholici per contemptum Circumcelliones dicebant, eo quod instabile hominum genus circum cellas vagantes solebant hac atque illac ire ac nusquam firmas sedes habere. Ipsi autem volebant, ut sui monachi non monachi, sed agonistici dicerentur. Quibus bene Augustinus: [37] «Dicunt nobis: Ostendite nobis ubi scriptum sit nomen monachorum; ostendant ipsi nobis ubi scriptum sit nomen agonisticorum». Displicebant tamen Donatistis monachi Catholicorum, unde idem Augustinus, scribens *in Petilianum Donatistam,* ait: [38] «Deinceps Petilianus perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitae a me fuerit institutum, quod hoc genus vitae omnino quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit».

Donatistae in tres ordines distincti erant: populum, clerum et monachos agonisticos; sed, sicut falsi erant fideles; ita falsi etiam monachi et clerici,

Vigilantius etiam a monachatu homines dehortabatur, ut D. Hieronymus ait, [39] scribens in ipsum. Iconomachi fuerunt monachis valde infensi. Constantinus enim Copronymus statim atque

Vigilantius etiam, Iconomachi, Constantinus

31) Cf. Ier 35, 6-15. 32) Epist. 125, (P. L. 22, 1076). 33) Ps 132, 1. 34) P. L. 37, 1730. 35) Ibid. col. 1733. 36) Ibid. col. 1730. 37) Ibid. col. 1732. 38) Lib 3, cp. 40, ibid. 43, 372. 39) Ibid. 23, 351.

Copronymus et Theophilus imperator monachis valde infensi fuerunt;

regnare coepit, in hoc fere totus incubuit, ut monachismum penitus deleret; monachos enim, ut scribit Theophanes,[40] appellabat ipse σκοτίας ἔνδυμα,[41] hoc est, tenebricosum indumentum, et infami nomine ἀμνημονέυτους,[42] hoc est, nefandos, innominandos, non memorandos. Postea a Theophilo imperatore monachi graves persecutiones sustulerunt.[43] Et sic semper omnibus omnium saeculorum haereticis longe invisi fuerunt monachi; posterioribus saeculis Waldensibus,[44] Wicleffitis,[45] Hussitis, duce Ziska;[46] licet maximam omnium toto orbe terrarum ab Arianis passi sint persecutionem, primum sub Constantio, deinde sub Valente, arianis imperatoribus. Sub his enim principibus factum est, quod Vincentius ait: «Tunc temeratae coniuges, depopulatae viduae, profanatae virgines, demolita monasteria, disturbati clerici, verberati levitae, in exilium missi sacerdotes, hoc est, Episcopi». Constantius enim in Episcopos cum primis persecutionem longe dirissimam excitavit, sicut testes locupletissimi sunt S. Athanasius *ad Solitariam Vitam Agentes*[47] et S. Hilarius Pictaviensis episcopus, *Invectiva ad* ipsum *Constantium* scripta;[48] plerosque enim[48a] catholicos Episcopos, qui alicuius essent nominis, coegit, ut vel in arianas partes transirent, vel in exilium relegati a suis ecclesiis recederent.[49]

sed maxime Ariani sub Constantio et Valente,

40) Stephanus, ecclesiae Constantinopolitanae diaconus, *Vita et Martyrium Beat.mi et Sancti Martyris Stephani Iunioris*, qui martyrium subiit sub impio iconoclasta imperatore Constantino Copronymo, (P. G. 100, 1111-1112). S. Laurentius hoc opus Theophani attribuit, secutus sententiam sui temporis. Cf. C. Baronius *Annales Eccles.* t. 12, pag. 559. Vita eiusdem S. Stephani a Metaphraste composita ab hac dependet, (P. G. 100, 1067-1068). 41) Ms.: Σκοτιας ενδυμα. In textu Migne a nobis citato, loco: ῎Ενδυμα, habetur: Σχῆμα. 42) Ms.: Αμνημονευτους. 43) Anonymi *Continuatio Theophanis*, lib. 3, (P. G. 109, 114). 44) Cf. Nat. Alxander Ord. Praed. *Hist. Eccles.* t. 7, cp. 4, tit. 13, pag. 84, Ferrariae 1758-1761. 45) Liquet ex ipsorum erroribus circa monasticen, damnatis in concilio Constantiensi: « Si quis ingreditur in religionem privatam qualemcumque... redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei », Denzinger n. 601. « Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt », ibid. n. 602. « Religiosi, viventes in religionibus privatis, non sunt de religione christiana », ibid. n. 603. « Ingredientes in religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum in regnum coelorum, nisi apostataverint ab iisdem », ibid. n. 615 et n. 614. 624-625. 46) Manifestum est ex eo quod omnes errores Io. Wicleffi approbarint: « Condemnatio 45 articulorum Io. Wicleffi per doctores facta est irrationabilis, et iniqua et male facta; ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus », ibid. n. 651. Eruitur etiam ex interrogatione 30 Wicleffitis et Hussitis proponenda: « Utrum credat religiones ab Ecclesia approbatas, a Sanctis Patribus rite et rationabiliter introductas », ibid. n. 680. Cf. etiam Nat. Alexander Ord. Praed. *Hist. Eccles.* t. 9, cp. 2, tit. 1, pag. 66, ed. cit. 47) P. G. 25, 691 sqq. 48) P. L. 10, 577 sqq. 48a) Ms. addit: *Omnes.* 49) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11-31, (P. G. 82, 1146-1184).

Sic optimi quique Episcopi in exilium pulsi et extorres facti fuerunt, et in orthodoxorum Episcoporum locum Ariani, invitis populis, subrogati et substituti per summam vim fuerunt, minis, terroribus, edictis, militum grassationibus usus impius tyrannus, qui, ut Athanasius ait, [50] sceleribus vicit omnes, qui ante ipsum fuerant, Catholicorum ecclesias devastabat, et in sanctos Episcopos tanquam lupus rapax in oves grassabatur. Sic Episcopi catholici longe maxime invisi semper fuerunt Arianis omnibus et post ipsos Iconoclastis [51] haereticisque omnibus, sicut lupis odio sunt boni pastores.

cum etiam optimi Episcopi in exilium pulsi fuerunt.

III. Super omnes autem Episcopos Romanus Pontifex, qui est Episcoporum Episcopus, fuit omnibus semper haereticis supra quam dici potest invisus. Notissimae sunt vel ex S. Cypriano [52] Novatianorum machinae in S. Cornelium Romanum Pontificem, et ex S. Augustino [53] manifestum est odium Donatistarum, in Romanam Sedem, quam ore sacrilego cathedram pestilentiae [appellabant], maxime vero omnium Ariani in Romanum Pontificem infensi infestique fuerunt. A quibus Liberius Papa longe indignissime pulsus in exilium fuit, pessimeque susceptus [54] et in locum ipsius Felix subrogatus, sed non longe post et ipse perquam male et indigne tractatus. [55] Ante Liberium vero ariani episcopi Iulium Papam mirum in modum vexarunt. Ex Antiocheno nanque conciliabulo ad ipsum scripserunt indignissimas litteras, eo quod lata sententia S. Athanasium in concilio Romano absolverat vereque catholicum et orthodoxum declaraverat, ut S. Athanasius in *Altero* suo *Apologetico* scribit. [56] Quin etiam in Sardicensi conventiculo ausi fuerunt excommunicare dirisque devovere propter eandem Athanasii causam una cum multis aliis sanctis Episcopis et Patribus orthodoxis, ut auctor est Sozome-

Super omnes autem Romanus Pontifex haereticis omnibus praesertim Novatianis, Donatistis et Arianis invisus fuit.

50) *Hist. Arianorum ad Monachos*, ibid. 25, 782-783. 51) S. Theodorus Studita epist. lib. 2, epist. 12, ibid. 99, 1151; epist. 14-16, ibid. col. 1162-1166; epist. 21, ibid. col. 1179; epist. 154, ibid. col. 1482; epist. 204, ibid. col. 1622; Georg. Hamartolus *Chronicon*, lib. 4, ibid. 110, 983.1014.
52) Epist. 10, (P. L. 3, 768-779). 53) *Contra Litteras Petiliani*, lib. 2, cp. 41, ibid. 43, 300.
54) S. Athanasius *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 735); Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 14, ibid. 82, 1039; Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 22, (P. L. 21, 495); S. Hieronymus *De Viris Illustribus*, cp. 97, ibid. 23, 697. 55) S. Athanasius *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 783); Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11, ibid. 67, 1138-1139; Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 22, (P. L. 21, 495). 56) P. G. 25, 279-282; C. Baronius *Annales Eccles.* an. 431, t. 4, pag. 383; Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 481-483.

n u s ; [57] nefas ad ea usque tempora inauditum et a nulla alia haereticorum [secta], longe licet factiosorum sceleratorumque, attentatum. Ariani enim impietate haereseos alios omnes haereticos, licet maxime impios, superare voluerunt.

Omnes vero in hoc a Lutheranis superati sunt, sicut Arius a Luthero.

IV. At vero infelicissimo hoc nostro saeculo a Lutheranis longe victi redditi et multis gradibus superati, sicut etiam auctor ipsorum Arius a Lutheranorum fundatore Luthero. Et quidem si Arius Lutherusque simul componantur, invenientur fratres simillimi, sed Lutherus in haereseos impietate multo praestantior.

Arius, ambitione episcopatus, doctrinae Apostolicae obsistere coepit suasque haereses disseminare per dulces sermones,

Fuit Arius in numerum presbyterorum adscriptus, eique Sacrarum Litterarum interpretatio concredita fuit ab Alexandro episcopo Alexandrino. [58] Ambitione autem episcopatus et invidia, cum videret Alexandrum ad episcopatus gubernacula designatum, coepit apostolicae doctrinae obsistere et contraria praedicare, Christum Dei filium divinitate vera expolians et sacrilego ore blasphemans. « Atque ista, inquit T h e o d o r e t u s , [59] non in ecclesia solum, verum etiam extra in circulis, in hominum congressionibus disserere coepit, ut quos posset, in errorum laqueos induceret ».

ut Epiphanius et Theodoretus testantur;

S. E p i p h a n i u s agnoscit Arium presbyterum, aitque [60] quod « dulcis erat in colloquio, persuadens semper animas ac blandiens. Quapropter, inquit, valde cito septingentas virginitatem professas in unum contraxit, et fama est ipsum etiam presbyteros septem et diaconos duodecim abstraxisse. Sed et venenum ipsius statim usque ad Episcopos pervenit ». T h e o d o r e t u s , referens epistolam Alexandri episcopi, meminit [61] muliercularum, quas perditissimus iste haeresiarcha secum circumducebat ad pelliciendas perdendasque animas. His autem et quidem virginibus professis et tam multis usus est maxime ad capiendos pertrahendosque in suam sententiam ecclesiasticos viros, diaconos, presbyteros, Episcopos.

deinde Christo et Episcopis maledicere;

Praeter haec autem qualis fuerit Arii vita cum suis, enarrat S. A l e x a n d e r in sua epistola apud T h e o d o r e t u m , dicens: [62] « Non amplius Ecclesiae legibus subiecti esse sustinuerunt, sed spe-

57) *Hist. Eccles.* lib. 3, cp. 11, (P. G. 67, 1062). 58) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 1, ibid. 82, 886. 59) Ibid. 60) *Adversus Haereses, Haeres. 69*, ibid 42, 207. 61) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 3, ibid. 82, 890. 62) Ibid.

luncis latronum sibi constructis, conventus in illis sine intermissione agere noctes diesque, Christo et nobis maledicere, obtrectare, omnem apostolicam et piam doctrinam criminari, simulatione iudaica officinam ad Christum impugnandum instruere, divinitatem Salvatoris nostri inficiari, eum ceteris hominibus nihilo praestantiorem praedicare, vocibus omnibus, quae pro eius salutari in carne oeconomia et abiectione sui nostra causa suscepta, ex Sacris Litteris selectis, eisdem impiam praedicationem suam corroborare », etc. Itemque : [63] « Seditiones in nos quotidie concitare et persecutiones ciere, christianam religionem per tenellas suas meretriculas gravissimis contumeliis afficere, inconsutam et indissolubilem Christi tunicam discerpere non dubitarunt ».

divinitatem Salvatoris inficiari, errorem suum ex Sacris Litteris corroborare et seditiones concitare;

In eadem epistola multa locutus de Arianorum artibus in citandis Sacris Scripturis ostendit, qualis quantaque esset ipsorum arrogantia : « Neminem, inquit, [64] volunt ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illis, quibus nos ab ineunte aetate usi sumus praeceptoribus, se pares existimari sinunt ; imo vero ne unum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent, sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectantes, solos dogmatum inventores et sibi solis ea doctrinae patefacta esse mysteria, quae in nullius unquam sub sole cogitationem in mentem venerint arbitrantur ». Ubi exclamat vir sanctissimus, dicens : [65] « O impiam arrogantiam, o insaniam immensam, o inanem gloriam cum furore coniunctam, o spiritus plane satanicos, qui impiis eorum animis velut callum malitiae obduxere ! »

Patres omnes parvipendere et seipsum omnibus praeferre.

V. Sed quid, si Lutherum et Lutherani, hac de re gloriose iactantes seipsos, audisset, dixisset Pater hic orthodoxus vereque sanctissimus ? Hac enim in re Lutherus fuit Ario longe gloriosior, in his omnibus simillimus fuit Ario Lutherus, sed et multo praestantior. [66] Tam malus fuit Arius, tam pestilens haereticus, ut non solum ab Alexandro patriarcha Alexandrino post multas monitiones et exhortationes damnatus et excommunicatus fuerit, verum etiam a sacrosancta Nicaena synodo generali [67] et a Constantino Magno pientissimo imperatore dictus sit

In hoc Lutherus fuit Ario multo praestantior.

Arius damnatus fuit ab Alexandro, a Nicaena synodo, a Constantino Magno;

63) Ibid. 64) Ibid. col. 902. 65) Ibid. col. 902-903. 66) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 4*, pag. 240-244. 67) S. Epiphanius *Adversus Haereses*, *Haeres. 69*, (P. G. 42, 218).

Lutherus a Romano Pontifice, a concilio Trid., a Carolo V; Arius unam haeresim docuit; Lutherus multas; Arius suum Episcopum tantum incessit;

« malus interpres, effigies et imago diaboli », ut D. Epiphanius scriptum reliquit. [68] Martinus autem Lutherus damnatus fuit a Summo Pontifice, [69] itemque a Tridentino concilio, [70] et a Carolo V imperatore augusto dictus fuit diabolus in carne. [71]

Arius unam tantum haeresim docuit, Lutherus multas, adeo ut ipsemet dixerit scripseritque se decies magis haereticum esse quam Ioannes Hussus. [72] Arius excitavit quidem persecutionem et maledictis incessit Episcopum Alexandrinum, a quo fuerat damnatus; sed non in omnes Episcopos scriptis invectus fuit, nec Episcopum illum excommunicavit, aut ecclesiasticam auctoritatem inficiatus fuit. Quod si Ariani catholicos Episcopos dira persecutione insectati fuerunt, non fecerunt hoc ex doctrina Arii, sed in vindictam, quoniam in Nicaena synodo doctrina Arii ab Episcopis damnata et anathemate mulctata fuerat, et quoniam Episcopi erant primi catholicae doctrinae propugnatores, arianae autem perfidiae strenui et indefessi oppugnatores. Iras etiam et odia sua in Romanum Pontificem exacuerunt non ex doctrina Arii, sed propter eandem causam, maxime vero propter Athanasium Arianorum hostem acerrimum a Romano Pontifice non damnatum, quin etiam absolutum.

Lutherus Romanum Pontificem dictis et scriptis vehementissime insectatus est, in omnes Episcopos odio exarsit, et contra eos fideles ad sanguinem excitavit;

At vero Lutherus damnatus haereticus, Romanum Pontificem, a quo damnatus fuerat, non solum maledictis incessit, verum etiam scriptis in Christi Vicarium Summumque Sacerdotem Dei, famosis libellis sane infamissimis debacchatus fuit in ipsum omni contumeliarum genere longe furiosissime, ipsumque excommunicavit et diris devovit, [73] dicens ore supra modum blasphemo Romanum Pontificem ipsissimum esse antichristum, [74] Romanamque Sedem babylonicam meretricem, antichristi sedem, [75] et ad Romanum pontificatum funditus evertendum nullum non movit lapidem. Librum etiam scripsit [76] irarum et odii plenissimum in omnes Episcopos, in quo nervos omnes intendit ad concitandos principes saeculares populosque in Episcopos ad eos perdendos, episcopatusque demoliendos, bonaque omnia ecclesiastica in communem fiscum profanosque usus convertenda, beatos

68) Ibid. 69) Denzinger n. 844 sqq. 70) Ibid. n. 782 sqq. 71) *Duo Contraria et inter se Pugnantia Edicta*, W. L. t. 2, f. 447ᵃ. 72) *Assertiones Articulorum*, etc. ibid. f. 115ᵃ. 73) *Adversus Execrabilem Antichristi Bullam*, ibid. f. 98ᵇ. 74) Ibid. f. 93 et passim. 75) *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 357ᵃ-358ᵇ. 76) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 342ᵇ sqq.

fore dicens, veros christianos et filios Dei eos, qui conatus omnes contulerint ad perdendum regnum Episcoporum, quin etiam manus suas in Episcoporum sanguine lavarint; adeo ut hac in re Arius Luthero comparatus videri possit homo pius sanctusque.

Arius multas virgines subvertit, sed nulli nupsit, nec virginitatem nec monasticam vitam damnavit;

Quod si Arius grande facinus commisit, cum septingentas virgines professas subvertit et in meretriculas convertit, non tamen tam proiecta impudentia, ut illarum aliquam nuptiis publice celebratis duxerit in uxorem, presbyter virginem professam, horrendoque stupro et incesta libidine seipsum, omni verecundia posita, publice foedaret. Non damnavit virginitatis professionem, aut impossibilem praedicavit, nec docuit venerem esse necessariam magis quam cibus et potus, [77] non improbavit vitam monasticam, nec in monachos persecutionem concitavit, non eos in populum traduxit, non conflavit invidiam eis, nec libellos famosos in eos scripsit. [78]

Lutherus pestilentes libros in monachos scripsit

VI. Lutherus autem, monachorum hostis acerrimus effectus librum in eos titulo *De Votis Monasticis* longe pestilentissimum scripsit, [79] cuius rei gratia cum primis monachi universi a Lutheranis pessime audiunt, adeo quod illud D. Basilii, epistola *adversus Monachorum Calumniatores* dici potest: [80] « Quae hactenus mendacii pater satanas non est ausus dicere, ea temeraria corda iam et nullo retento moderationis freno ora indesinenter et cum summa licentia loquuntur ».

et virulentiores calumnias quam Eunapius Sardius.

Eunapius Sardius, ethnicus philosophus et christianorum, maxime vero monachorum hostis infensissimus, ira percitus quod, demolitis deorum gentilium templis sublatisque sacerdotibus et sacrificiis una cum idolis, erectae essent christianorum ecclesiae, in quibus pro idolorum sacerdotibus [81] erant ad Deum colendum monachi praesertim constituti, opere *De Vitis Philosophorum*, in *Aedesio* invidiosissime scripsit [82] in monachos, quos dixit specie quidem homines, sed turpem vitam more pecorum agentes, qui in propatulo infinita et infanda scelera committebant et sacri loci reverentiam proculcabant. Sed virulentae calumniae quas impius homo daemone afflatus blas-

77) Ibid. f. 352ᵃ; *Sermo de Matrimonio*, ibid. t. 5, f. 119ᵃ. 78) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 7*, pag. 278-279. 79) W. L. t. 2, f. 286ᵇ-295ᵃ. 80) Epist. 207, (P. G. 32, 762). 81) Ms.: *Epist. 137*. 82) In *Vita Aedesii*, pag. 472, ed. rursus graece et latine a I. F. Boissonade, Parisiis, Didot 1849.

phemo ore in monachos evomuit, nihil sunt, si conferantur iis, quas Lutherus in universam monasticen eructavit; ita ut Sardianus quidem malo daemone agitatus, male affectus in monachos, idolorum cultor in Christi cultores multa furiose iecit convicia; Lutherus autem septem multo nequioribus daemonibus agitatus [83] in eosdem Dei et Christi cultores longe pessime affectus, multo furiosius, multo plura, graviora, atrociora iaculatus fuit.

Ariani quidem monachos insectati sunt, sed non ex Arii doctrina;

Ariani quidem monachos persecutionibus gravissimis vexarunt et monasteria demoliti fuerunt. At vero non ex Arii doctrina, sed quoniam stabant a partibus orthodoxorum Patrum, qui magna virtute imperterritaque animi constantia errori et perfidiae Arianorum se opposuerunt, et in Catholicorum castris adversus haereticos ipsi Episcopos sanctissimos, maxime vero Athanasium, adamantina virtute virum, secuti sunt in hoc bello, tanquam milites strenui ac sane primipili, duces promachosque suos. Ariani itaque monachos persequebantur tanquam adversarios in causa religionis, hoc est, tanquam haeretici Catholicos, omnium praestantissimos acerrimosque catholicae veritatis propugnatores et haereseos arianae oppugnatores validissimos, non quod Arius docuerit monachos esse acerbis odiis et dira persecutione vexandos.

Lutherus autem monasticae vitae osor infestissimus,

Lutherus autem monachus excucullatus, hoc est, in diaboli conflatoria officina ex monacho in haereticum pessimum hominum transfusus, factus fuit monasticae vitae osor maximus et monachorum hostis infestissimus.

D. Augustinus aurea plane sententia dixit se non expertum fuisse, ex quo Deo servire coeperat, meliores iis, qui in monasteriis profecerunt, nec peiores iis, qui in monasteriis reciderunt. « Simpliciter, inquit, [84] fateor caritati vestrae coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire coepi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus peiores quam qui in monasteriis reciderunt ». Quare proculdubio, si D. Augustinus Lutherum excucullatum monachum vidisset, nonnisi unum ex pessimis hominibus pronunciasset.

e monasterio egressus pessimus hominum evasit,

Lutherus itaque, ut Ario non modo similis esset aut aequalis, sed longe multo praestantior, non contentus multas virgines professas

et Ario multo praestantior;

83) Cf. Mt 12, 45. 84) Epist. 78, (P. L. 33, 272).

Deoque sacratas et Christo desponsatas e monasteriis educere, verum etiam unam ex ipsis, Catharinam Borram, eleganti forma et nobili loco natam puellam, nuptiis celebratis ducere voluit in uxorem vitaeque monasticae institutum tanquam diabolicum inventum damnavit, votaque monastica et coram et scriptis acerbissime improbavit tanquam contraria christianae libertati, praeceptis divinae legis, Evangelio, fidei, caritati, ipsi etiam rationi, ac propterea naturali divino et evangelico iure, non obstantibus votis Deo factis, tanquam de re penitus impossibili, omnibus prorsus monachis et monialibus liberum esse matrimonium contrahere et veneri liberisque strenue operam dare. [85]

nam Deo sponsatae virgini nupsit, monasticam vitam improbavit,

virginitatem impossibilem,

Et de monasteriis quidem in libro *De Votis Monasticis* ita pronunciavit : [86] « Cupio eradicata et extincta et abolita esse universa monasteria, quae utinam Dominus ad exemplum Sodomae et Gomorrhae igne et sulphure coelesti demergat, adeo ut ne memoria quidem illorum supersit, neque satis fuerit illis anathema imprecari », etc. De votis vero in hunc modum : [87] « Vota monastica sunt impia, gentilia, iudaica, sacrilega, mendacia, erronea, daemoniaca, hypocritica, apostatica, etiam Sanctorum exemplis adversaria ». Ita sane, si Arianos Iovinianosque sanctos dicat Lutherus.

et vota monastica impia, daemoniaca, sacrilega dixit.

VII. Alioquin D. Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus aliique viri sanctissimi et una doctissimi fuerunt monachi et monasticam vitam coluerunt. Quin D. Chrysostomus Ioannem Baptistam dicit monachorum principem : « Sicut, inquit, [88] sacerdotum principes sunt Apostoli, ita et monachorum princeps Ioannes Baptista ». Et alibi : « Considerate, inquit, [89] monachi, dignitatem vestram, Ioannes princeps vestri est dogmatis ». Et B. Hieronymus, *ad Eustochium* scribens et de monastica vita verba faciens, ait : [90] « Huius vitae auctor Paulus, illustrator Antonius, et, ut ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista ».

Sancti Patres e contra monachos et monasticam vitam laudarunt.

Io. Chrysostomus et Hieronymus dicunt Io. Baptistam fuisse monasticae vitae principem.

85) *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 292ª sqq. 86) Ibid. f. 304ᵇ. 87) Ibid. f. 296ª. 88) *Hom. 1 in Marcum*, pag. 46, ed. Basileensis 1530. Hoc opus est incerti auctoris. Cf. O. Bardenhewer *Manuale di Patrologia*, vol. 2, pag. 121. 89) *Hom. de Ioanne Baptista*, ibid. pag. 54. 90) Epist. 22, (P. L. 22, 421).

Post Christum S. Antonius monastici ordinis institutor fuit,

Post Christum autem summus monachorum coenobitarum auctor fuit S. Antonius, ut Athanasius in *Vita* ipsius scribit,[91] multa enim monasteria fundavit sanctissimis institutis. De quibus Athanasius ait[92] quod « erant in monte monasteria tanquam tabernacula plena divinis choris psallentium, legentium, orantium »; itemque quod[93] « infinitam regionem, ut oppidum a mundana conversatione seiunctum, plenum pietatis et iustitiae videbantur incolere ».

qui postea longe lateque diffusus est in Oriente,

Sicque auctore viro sanctissimo famaque sanctitatis per universum christianum orbem clarissimo, statim propagatus ac fere in immensum auctus et dilatatus fuit monasticus ordo, extra Aegyptum in Palaestinam, Syriam, Asiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam aliasque regiones longe lateque diffusus.

et a S. Athanasio in Occidentem invectus, a populo christiano obviis manibus exceptus fuit; quem etiam Martinus Turonensis in Galliam et Augustinus in Africam intulerunt.

S. Athanasius ex Aegypto invexit Romam monachorum, iuxta S. Antonii disciplinam, institutionem, ut D. Hieronymus *ad Principiam* scribit.[94] Postquam vero, Athanasio propalante, Romana Ecclesia in urbe monasticae vitae institutum, quod in Oriente Antonio auctore et moderatore florebat, [excepit], tunc christianus orbis in Occidente minime detrectavit sublime summumque vitae genus, instar Eliae et Ioannis Baptistae institutum, obviis manibus suscipere. Nam, ut S. Ambrosius scribit,[95] S. Eusebius Vercellensis episcopus primus in Occidente studuit monasticum institutum clericali vitae coniungere; paulo post S. Martinus Turonensis episcopus in Gallias monachismum intulit[96] et S. Augustinus in Africam.[97]

S. Basilius, auctor et regulator monachismi, moniales et monachos beatos vocat, ad Evangelii normam vitam ducentes.

S. Basilius monachorum et auctor fuit, ut scribit D. Gregorius Nazianzenus in *Monodia*,[98] et magnus reformator ac veluti regulator monastici instituti iam pene antiquati. Accusabatur hac de re ab haereticis, ut ipse *ad Neocaesarienses* scribit; sed ita respondit:[99] « Accusamur, inquit, et huius, quod monachos habeamus homines pietatis studiosos, qui mundo renunciarint et universis saeculi istius curis, quas Dominus comparat spinis, fertilitatem verbi impedientibus.[100] Qui huiusmodi sunt, *mortificationem Iesu in corpore... circumferunt*,[101] ac, cruce sua quisque accepta, Deum sequuntur. Ego

91) P. G. 26, 863-866. 92) Ibid. col. 907. Versio Evagrii in calce Migne. 93) Ibid. 94) Epist. 127, (P. L. 22, 1089-1090). 95) Epist. 63, ibid. 16, 1207. 96) Sulpicius Severus *Vita B. Martini*, ibid. 20, 166. 97) Possidius *Vita S. Augustini*, cp. 5, ibid. 32, 37. 98) *Opera D. Basilii M.* t. 1, pag. 22, Basileae 1540. 99) Epist. 207, (P. G. 32, 762). 100) Mt 13, 7. 22. 101) 2 Cor 4, 10. Vulg.: *Circumferentes.*

autem omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent talia impingi delicta haberemque apud me viros qui, me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint ». Tunc loquitur [102] de monachis Aegypti et Mesopotamiae, quos appellat viros perfectos atque beatos, qui ad Evangelii normam vitae suae conversationem perfectam reddunt. Et de virginibus, [103] quae « virginitatem nuptiis praetulerant et evangelicam vitam fuerant amplexatae, sensumque carnis subiicientes servituti et beato luctui immorantes, beatae sunt, inquit, ex proposito, ubicumque terrarum degant ».

Falso igitur Lutherus monasticam vitam Scripturis adversari affirmat.

Qui ergo dicit L u t h e r u s vitam monasticam adversari Sanctorum exemplis, cum multi viri sanctissimi fuerint monachi et monasticorum ordinum fundatores et institutores? Arius nunquam fuit tam impudenter absque ullo ore mentitus.

Lutherus non septingentas virgines tantum, ut Arius, sed innumeras moniales, etc., seduxit, et causa fuit cur multa monasteria in Germania solo aequata et monachi magis invisi sint quam apud Turcas;

VIII. Insigni autem impostura Lutherus milleartifex non ut Arius tantum septingentas professas virgines paucosque diaconos, presbyteros et Episcopos veneno pestilentis doctrinae infectos seduxit, sed innumeros et clericos et monachos monialesque a Christo ad diabolum perduxit, [104] et in causa fuit ut Lutherani, et doctrina ipsius instructi et exemplo permoti, per universam Germaniam longe plurima cum virorum tum etiam sacrarum virginum monasteria vel funditus diruta et solo aequata vel direpta et profanata fuerint, [105] et Lutheranis suis monachos omnes reddidit tam exosos quam maxime, adeo ut ne Turcis quidem christiani monachi eatenus sint invisi.

a Turcis enim multis in locis habitare permittuntur, non autem in lutheranis regionibus.

A Turcis enim in Graecia, in Asia, in Arabia ad montem usque Sinai permittuntur monachi ex instituto D. Basilii, habentque multa monasteria et quidem valde numerosa cum multis monachorum et copiosis gregibus, in multis etiam locis permittuntur habitare fratres ex instituto S. Francisci, qui de Observantia nuncupantur. [106] A

102) Epist. 207, (P. G. 32, 762). 103) Ibid. 104) H. Denifle Ord. Praed. *Lutero e Luteranesimo*, pag. 1-28. Vers. ital. A. Mercati, Roma 1905; L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 4, part. 1, pag. 196. 105) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 3, pag. 63-65; Laiseri libellus, pag. 20-25; O. Raynaldi *Annales Eccles.* an. 1523, t. 12, pag. 434; an. 1525, ibid. pag. 518; an. 1526, ibid. pag. 592; an. 1546, ibid. t. 14, pag. 194. 106) Cf. Th. Chr. Tychsen *Commentatio quatenus Muhammedes Aliarum Religionum Sectatores toleraverit*, apud *Commentationes Societ. Reg. Scientiarum Gottingensis*, t. 15, part. 3, pag. 154-157. 162. 166. 168. 184, Gottingae 1804; P. G. Golubovich Ord. Fr. Min. *Biblioteca Bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente Francescano*, an. 1258, t. 1, pag. 235; an. 1364, ibid. t. 2, pag. 151. 338-340. Quaracchi presso Firenze 1906.

Lutheranis autem in lutheranorum principum ditionibus minime feruntur non dicam habitare, sed ne transire quidem per regiones et provincias nec iter facere, factique sunt per novum evangelium Lutherani erga religiosos viros cuiuscumque ordinis et instituti Turcis ipsis inhumaniores.[107]

Sed Lutherani carnaliores Turcis et ipsis gentibus sunt, apud quos magni habita fuit castitatis professio,

Sed et carnaliores, et, ut ita dicam, animaliores, nam turcismus quidem habet aliquam professionem castitatis, sicut olim gentilismus habuit Vestales virgines, quae sanctis religionibus ad castitatem erant devinctae. Violatae enim, ut Livius scribit,[108] horribili mortis genere vivae sub terram defossae extinguebantur, eo quod fidem diis immortalibus datam fregissent, suaque incontinentia aliis virginibus ad prostituendam virginitatem matronisque ad polluendos maritales thoros valde nocerent; quapropter rarissime auditum Romae fuit Vestalem virginem esse violatam. M. Tullius in suis *Legibus* scriptum reliquit[109] fuisse Romanis Vestales virgines, ut « sentirent mulieres, in natura feminarum omnium posse castitatem existere ».

sicut nunc apud Turcas.

Sicut igitur in gentilismo fuit olim aliqua castitatis professio; ita nunc in turcismo reperiuntur viri, et quidem non pauci numero, qui ut plenius et expeditius iuxta mahumetici *Alchorani* ritus Deo inserviant, sine uxoribus viventes, castam caelibemque vitam profitentur, et, ut D. Ambrosius ait,[110] ipsis gentilibus inter aras et focos venerabilis solet esse virginitas, et in quibus nulla meritorum est pietas, nulla mentis integritas, in iis tantum carnis virginitas praedicatur. Et ab Ecclesia Dei, inquit, virginitas arcebitur? »

Lutherus Ioviniano iniquior fuit; nam Iovinianus quidem e monachismo exivit et virginitatem coniugio aequavit, ipse tamen minime nupsit;

IX. Lutherus autem novus apostolus, totus sanctus sicut totus castus, ecclesiam in Germania fundavit sane aeque sanctam atque castam, turcica secta, inquam, inhonestiorem, ecclesiam non christianam, sed iovinianam. Visus est enim Iovinianus in Luthero ab inferis revocatus rediisse in mundum; nam, ut D. Augustinus in libro *De Haeresibus ad Quodvultdeum* scribit,[111] monachus fuit, et monachatum deposuit, haeresesque multas docuit. Cum primis autem dogma tradidit, a D. Hieronymo duobus libris optime confuta-

107) S. Laurentius *Comment. De Rebus Austriae*, etc. pag. 5 sqq. et 18-19. 108) *Hist.* lib. 8, vol. 1, cp. 15, pag. 468; lib. 2, vol. 2, cp. 57, pag. 122, Neapoli 1857. 109) Vol. 9, pag. 3357. 110) *De Virginibus*, cp. 3, (P. L. 16, 279). 111) *Haeres.* 82, ibid. 42, 45-46

tum,[112] quod virginitas apud Deum coniugio non praestaret, nuptiasque virginitati pares fecit, ipse tamen uxorem habere minime voluit. Eius autem insania vel haeresis, ut Augustinus loquitur,[113] cito oppressa extinctaque fuit, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire, tantum lascivientes quaedam virgines sacrae istis carni plausibilibus vocibus illectae viris nupserunt.

Lutherus autem verbo et exemplo clericis, monachis et virginibus laxavit habenas,

Lutherus autem non doctrina tantum, verum et exemplo clericis, monachis et monialibus Deo sacratis ad omnem turpitudinem laxavit habenas, nec quicquam voluit non licere, quod animo collibuisset; facto Lutherus doctrinam suam confirmavit. Excusso enim cucullo, proculcato solemni continentiae voto, fracta fide Deo immortali data, spreto omni divino humanoque iure et omni naturali pudore posito, publice sibi iunxit puellam Deo dicatam sacratamque, sed valde fecundam. Post paucos enim dies a nuptiis, Luthero peperit, sicut Erasmus Roterodamus amico suo *Danieli Mauchio Ulmanno* scripsit tanquam rei laetae nuncium, dicens:[114] « Lutherus, quod felix faustumque sit, deposito philosophi pallio, duxit uxorem ex clara familia Borrae puellam, elegante forma, natam annos viginti sex, sed indotatam, et quae pridem desierat esse vestalis. Atque, ut scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum hymenaeum nova nupta peperit ». Sic bonus Lutherus, in studium continentiae Ioviniano iniquior, exemplo suo spurcissimae libidini laxans habenas, omnes Deo dicatos homines sacratasque virgines ad coniugium invitavit.

et ex Scripturis perperam intellectis ecclesiam sine professione castitatis fundavit, contra Christi et Pauli doctrinam;

Cumque paradoxum istud dogma, temulenti insanique cerebri sui figmentum, sicut Iovinianus,[115] Scripturis nonnullis haereticorum more perperam intellectis, depravatis, detortis, astruxisset, ecclesiam constituit novorum Iovinianorum, hoc est, Lutheranorum, absque ulla prorsus professione castitatis, quae penitus nullos habet, de quibus Christus dicere possit: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter*

112) *Adversus Iovinianum*, lib. 1, ibid. 23, 212 sqq. 113) *De Haeresibus, Haeres. 82*, ibid. 42, 45-46. 114) Opus epistolarum Des. Erasmi Rot. ed. Allen, Oxonii, t. 6, n. 1633, pag. 197 sqq. Epistola haec primitus, omisso de Luthero loco, ab Erasmo edita, ex Ms. integra a I. Baronio publici iuris facta est. *Praescriptiones adversus Haereticos Perpetuae*, Mainz 1602. 1605. Erasmus de eadem re adhuc scribit *Francisco Craneveldio*, ibid. n. 1655; *Th. Ludselo*, ibid. n. 1624; *Nic. Everardo*, ibid. n. 1653. In epist. vero *ad Fr. Sylvium*, postea scribit: « De partu maturo vanus erat rumor »; ibid. n. 1677. Cf. de hac re H. Grisar *Luther*, B. 1, S. 480-482.
115) S. Hieronymus *Adversus Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 215 sqq.).

regnum coelorum;[116] de quibus Isaias ait: *Haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea et elegerint quae ego volui et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod* in aeternum *non peribit;*[117] quae nullam habet feminam, de qua Paulus ait: *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta* et *corpore et spiritu.*[118]

ac Germaniam, quae post Bonifacium plurimas et nobilissimas virgines habuerat, in pristinum statum reduxit.

Germanos suos Lutherus in statum reducere voluit pristinum ante fidem Christi susceptam, cum absque ulla castitatis, virginitatis angelicaeque puritatis professione cultuque vivebant, ita ut universa Germania a creatione mundi usque ad tempus, quo divino munere per S. Bonifacium christiana religione imbuta fuit, ne unam quidem ciere possit virginem, quae se Deo totam dediderit; post susceptum autem Christi Evangelium quamplurimas habuit etiam nobilissimas sanctitudinis admirabundae.[119]

Lutherus etiam haereticum Nicolaum, immunditiarum repertorem, superavit,

X. Parum autem dixi quod Lutherus ecclesiam constituit Iovinianorum, addendum est et Nicolaitarum, ipse enim veluti novus fuit Nicolaus Antiochenus, de quo Hieronymus *ad Ctesiphontem* ait,[120] quod « omnium immunditiarum repertor choros duxit feminarum ». Sed in eo Lutherus Nicolai incontinentiam excessit, quod ille quidem continentiam Deo minime voverat.

et Manichaeo, Marcione, Ario, Tatiano impudentior fuit;

Scribit D. Hieronymus[121] quod « raro haereticus diligit castitatem, et quicumque amare pudicitiam se simulant, ut Manichaeus et Marcion et Arius et Tatianus et instauratores veteris haereseos, venenato ore mella promittunt. Ceterum iuxta Apostolum *quae... secreto agunt, turpe est et dicere* ».[122] At vero Lutherus multo fuit Manichaeo, Marcione, Ario et Tatiano impudentior; illi enim, vel naturalis pudoris et publicae honestatis apud homines nonnullam rationem habentes, simulabant se pudicitiam diligere et colere, et quandam prae se ferebant morum honestatem vitaeque sanctimoniam. Lutherus autem cynica impudentia omnes naturalis pudoris [leges]

116) Mt 19, 12. 117) 56, 4-5. 118) 1 Cor 7, 34. 119) Cf. *Monumenta Germaniae Historica* inde ab an. Chr. 500 usque ad 1500, ed. Georg. Hein. Pertz, vol. 1-32, Hannoverae 1826-1913, in quibus plurium virginum etiam nobilissimarum, quae sanctitatis fama claruerunt, vita texitur. 120) Epist. 133, (P. L. 22, 1153). 121) *Comment. in Oseam*, lib. 2, cp. 7, ibid. 25, 880. 122) Eph 5, 12. Vulg.: *In occulto fiunt.*

praerupit, ac instar suis immundissimi in coeno turpissimarum libidinum cubans, usque ad extremum spiritum spurcissime vixit.

Quare nil mirum si lutherana secta tanquam mare quoddam libidinum est, et Lutherani plerique omnes, piscium instar, in hoc libidinum mari perpetuo natant. Scribit Ioannes Wigandus, egregius lutheranus, in libro *De Bonis et Malis Germaniae* post revelatum Lutheri evangelium, ponitque octavum malum politicum effrenem luxuriam, quae, ut ipse ait,[123] iam « omnes verecundiae fines praerupit atque excessit et iuventus in dies fit deterior et intractabilior ». Ubi etiam ait,[124] « scortationes et ebrietates multo magis quam unquam ante in Germania invalescere, et luxuriam inter summos, mediocres et infimos impune excrescere ».[125]

quare lutherana ecclesia libidinum mare evasit.

XI. Sed nil mirum, inquam, quoniam Lutherus ad blandissimum suum evangelium longe lateque propagandum mortalibus omnibus ad omnem turpitudinem supra modum laxavit habenas, quin potius doctrina sua prorsus sardanapalica et sacrilegae libidinis suo exemplo foedissimo omnem verecundiam levans, invitavit, provocavit, incitavit, coegit. Cum enim ex corruptione naturae nostrae *sensus... et cogitatio cordis humani tantum ad malum prona sint omni tempore,*[126] unde et vidit *Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum,*[127] unde acerrimae semper et validissimae sunt carnis in spiritum pugnae, *caro enim concupiscit adversus spiritum,*[128] adeo ut vel minimus rei turpis aspectus vel cogitatio magnum et longe magnum excitet in homine carnis incendium; quaenam libidinum non excitavit incendia Lutheri doctrina, maxime omnium epicurea, qua docuit hominem multo minus abstinere posse a venere quam a cibo, a potu, a somno?

Nec mirum; Lutherus enim doctrina et exemplo humanae naturae ad libidinem propensionem acuens, ad luxuriam omnes excitavit;

Hoc novi istius evangelii aculeo semel ad naturae longe maximam propensionem adiuncto, quam facile, quinimo necesse fuit libidinibus, scortationibus, adulteriis, stupris milleque aliis turpitudinibus redundare. Et, ubi iuxta Lutheri normam de hoc necessario veneris

123) Pag. 93, ed. 1566. 124) Ibid. pag. 73-74. 125) Ibid. pag. 94. 126) Gn 8, 21. Vulg.: *Humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* 127) Ibid. 6, 5. 128) Gal 5, 17.

usu conciones auribus vulgi insonare coeperunt, quam multos homines oportuit quasi lege devinctos ad venerem exercendam ruere!

maxime cum populi viderent sacerdotes et monachos veneri operam dare, omnique castitatis professione exterminata, incestuosos monachos a nobis ad eos transfugientes honoribus exceptos,

Maxime vero cum viderent sacerdotes et monachos, quorum exemplo prius ad castitatem colendam promovebantur homines, viri atque mulieres et ad caste vivendum doctrina instruebantur, incestis libidinibus vinctos, strenue operam veneri dare, nuptiis publice absque ullo pudore celebratis. Et praeterea cum apud eos stupra et sacrilegia venerea nullis debitis, Romanorum more, suppliciis castigentur, quin omnis castitatis monasticae et clericalis e suis provinciis [professione] exterminata, omnes sacerdotes et monachi, qui a nobis ad eos incesta venere victi transfugiunt, obviis manibus excipiunt, nihilque morati quod homines periuri sint, qui fidem omnipotenti Deo datam fregerint, sacrilegi etiam, qui rem Deo dicatam, corpora, inquam, per continentiae votum Deo oblata in *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,* [129] furantur et turpi libidine polluunt, cum sciant quod corpora nostra templum sint Spiritus Sancti, et *qui... templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* [130] Tam perditis hominibus dant uxores, et quae nonnisi foedissima sunt sacrilegia, periuria, incestus et stupra, ipsi extollunt tanquam sanctissima matrimonia, hominesque infames et perditissimos vita indignos flagrisque ad mortem usque longe dignissimos, habent in pretio et duplici honore dignos arbitrantur.

quod in antiquis haereticis advenisse Tertullianus adnotavit.

Quod quidem in antiquis haereticis Tertullianus adnotavit in suis *Praescriptionibus,* dicens: [131] « Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quos veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Hodie presbyter, qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt ». Ita sane Lutherani apostatas nostros, maxime vero monachos, non gloria tantum obligant, quos statim praedicantes pastoresque constituunt, verum etiam uxoribus, ut si forte ab errore revocentur, dicat eorum quisque: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* [132]

Lutherana

Et ut tractatum hunc finiam, tanta in impietatis pravitate a

129) Rom 12, 1. 130) 1 Cor 3, 16-17. 131) *Praescript.* 9, cp. 41, (P. L. 2, 56-57).
132) Lc 14, 20.

Luthero fundata mihi videtur Lutheranorum ecclesia, ut ante Lutherum quidem nulla unquam extiterit deterior. Deum testor, non pro affectu loquor, sed dico quod rei veritas est. Ideo eam cum ariana omnium pessima praesertim composuimus, et longe deteriorem reperimus. Non de doctrina fidei, de qua postea suo loco, sed de moribus verba facio.

ergo ecclesia omnibus haereticis ecclesiis etiam ariana deterior fuit.

Omnis haeresis mala est, quoniam omnis haeresis a diabolo est; ipse enim seminator zizaniorum est, haeresum omnium inventor, author et auctor unicus summusque haereticorum magister.[133] Sed nonnisi Lutherum novimus, qui palam fassus sit a diabolo se doctum fuisse et accepisse doctrinam de abroganda Missa.[134] Quare etiam quoad mores doctrinam tradidit daemoniorum. Quapropter mirum non est si tam mala arbor tam malos fructus protulerit.

Licet autem omnis haeresis a diabolo sit, solus tamen Lutherus fassus est se a diabolo edoctum fuisse; igitur nil mirum si doctrinam tradidit daemoniorum.

Recapitulatio et connexio.

Ariana haeresis tanquam pessima arbor pessimos fructus visa est produxisse, quos superius ex Vincentio Lirinensi retulimus;[135] revera autem non tantum malorum atque lutherana invexit in orbem. Licet fuerit potentia et auctoritate principum Romanorumque imperatorum Constantii et Valentis multo potentior, non induxit tantam vitae laxitatem, morum corruptionem, disciplinae christianae dissolutionem, virtutum neglectum, bonorum operum contemptum, non adeo ad omnem vitae licentiam, ad vitia quaeque, ad quamlibet turpitudinem laxavit habenas; non ita omnem ecclesiasticam disciplinam, ritus, observationes, decreta legesque pessumdedit[135a] evertitque, sacrosancta concilia, orthodoxos Patres, venerandam antiquitatem, totius christianismi consensum forte non tanto stomacho tantoque contemptu nec tam superbe reiecit ac nihili fecit. Nec ipsa Ecclesiae sacramenta pro suo libito et arbitratu suis e sedibus deturbavit, nec sacrosanctum Missae sacrificium pro summa summeque abominanda idololatria habuit, nec de medio abstulit; nec tandem Summum Pontificem, Christi Vicarium, Petri successorem, pro antichristo habuit habendumque docuit, nec Episcopos aliosque praelatos ecclesiasticos, sacerdotes, clericos, monachos ita explosit, invisit, exsibilavit, conviciis, contumeliis, calumniis vituperavit; nec ita cum suis Arius eos, quos *Spiritus Sanctus* in Ecclesia *posuit Episcopos regere*

133) Cf. S. Cyprianus *De Unitate Ecclesiae*, (P. L. 4, 497). 134) *De Missa Privata et Unctione Sacerdotum*, W. L. t. 7, f. 228a-229b. 135) Cf. not. 10. 135a) Ms.: *Pessumdavit*.

Ecclesiam,[136] *pastores et doctores... in opus ministerii in aedificationem corporis Christi,*[137] tanto odio execratus, abominatus, insectatus et persecutus fuit, ut episcopatus omnes voluerit una cum monasteriis funditus evertere et ad nihilum prorsus redigere, atque Lutherus cum suis.

Sed de his satis; progrediamur ad alia.

DISSERTATIO TERTIA

APUD LUTHERANOS NON ESSE VERAM CHRISTI ECCLESIAM SICUT NEC OLIM APUD ARIANOS FUIT NEC MINUS DAMNANDAM ESSE LUTHERANAM ECCLESIAM QUAM ARIANA SECTA FUERIT AB ORTHODOXIS PATRIBUS DAMNATA ET PRO SATANAE SYNAGOGA DECLARATA IUDICATAQUE[1]

Ariana haeresis a Patribus statim impugnata, in Nicaena synodo damnata fuit.

I. Ariana haeresis statim atque exorta fuit impugnari coepit a Sanctis Patribus orthodoxis.[2] In sacrosancto autem concilio Nicaeno damnata fuit; etsi non extincta, mirum tamen in modum compressa mortificata fuit,[3] sicut in primordiis nascentis Ecclesiae Christi Pharisaeorum haeresis in Ierosolymitano concilio auctoritate Apostolorum et maxime Petri fuit interempta.[4]

Plane mirabilis fuit semper in Ecclesia providentia, qua novae haereses Romani Pontificis opera in conciliis damnatae fuerunt.

Et quidem mirabilis fuit semper providentia Dei in Ecclesia Christi per Spiritum Sanctum. Ad novas enim haereses, hoc est, catholicae Ecclesiae, religionis, fidei pestes extinguendas perdendasque magno et mirabili zelo catholicae fidei sane perquam ardenti Romani Pontificis opera, coactis Episcoporum et orthodoxorum Patrum conciliis perniciosi errores, purissimae fidei et pietatis nostrae veritati repugnantes, statim damnati, radicitus evulsi funditusque eversi Sancti

136) Act 20, 28. 137) Eph 4, 11-12.

1) Cod. 2, f. 295a-304b. 2) S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres.* 69, (P. G. 42, 202–203); Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 1, ibid. 82, 886; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 28, (P. L. 31, 1136). 3) S. Athanasius *Apologia contra Arianos*, (P. G. 25, 335); *De Decretis Nicaenae Synodi*, ibid. col. 467; epist. *De Synodis*, ibid. 26, 687; *ad Iovianum*, ibid. col. 818; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 6, ibid. 82, 915–919; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 28, (P. L. 31, 1116); Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 3 sqq. 4) Cf. Act 15, 1 sqq.

Spiritus Sanctorumque Patrum auctoritate fuerunt. Ita ariana haeresis in Nicaeno, macedoniana in Constantinopolitano [5], nestoriana in Ephesino, [6] eutychiana in Chalcedonensi [7] conciliis confossa protritaque fuit. Sic novissimis hisce temporibus haeresis lutherana in sacrosancta Tridentina synodo confutata damnataque fuit; [8] damnata autem cuiusvis sectae auctoris et principis haereseosque et impietatis contra Deum et fidem notata confutataque doctrina.

Declaratum in conciliis semper fuit omnes eos, qui ab universali Ecclesia seipsos segregantes sectam aliquam constituerunt, ad Ecclesiam Dei minime pertinere; sed extra Ecclesiam veluti extra arcam Noe, regnante diluvio, perire omnes versarique in statu damnationis aeternae. [9] Sicut enim D. Cyprianus ait in libro *De Unitate Ecclesiae,* [10] « cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt ». Post quem Lactantius Firmianus hac de re ita scripsit, dicens: [11] « Sola catholica Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc domicilium verae fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intraverit vel a quo si quis exierit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est ».

In quibus declaratum fuit eos, qui ab universali Ecclesia se separant, extra Ecclesiam esse; sicut etiam Cyprianus et Lactantius docent.

II. At vero quoniam longe verum est id, quod eodem loco statim Firmianus subiungit, inquiens: [12] « Sed tamen singuli quique haereticorum coetus suos potissimum christianos et suam esse catholicam Ecclesiam putant »; a Sanctis Patribus plurimum laboratum fuit in assignandis stigmatibus, signis notisque veris et evidentibus, quibus vera Christi Ecclesia a quavis satanae synagoga distincta internosceretur. Sicut legimus quod oves Iacob separatae erant a gregibus Laban et signis quibusdam distinctae ab illis internoscebantur, [13] et sicut voluit Deus Hebraeos signa tum in carne [14] tum etiam in vestibus ipsis gestarent, quibus a gentilibus, inter quos habitabant, discerni facile possent. [15]

Quoniam vero haeretici coetus suos catholicam ecclesiam vocant, Patres multum adlaborarunt in assignandis verae Ecclesiae notis.

5) Phil. Labbeu *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 911 sqq.; Denzinger n. 85. 6) Phil. Labbeus op. cit. t. 3, col. 1 sqq.; Denzinger n. 112 sqq. Quoad *Anathematismos* S. Cyrilli Alex. cf. ibid. not. 1, pag. 52. 7) Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 4, col. 1 sqq.; Denzinger n. 148. 8) Denzinger n. 782-992. 9) S. Cyprianus *De Unitate Ecclesiae*, (P. L. 4, 503); S. Hieronymus epist. 15, ibid. 22, 335. 10) P. L. 4, 511. 11) *De Divinis Institutionibus*, lib. 4, cp. 30, ibid. 6, 542-543. 12) Ibid. col. 543. 13) Cf. Gn 30, 40. 14) Cf. Gn 17, 10-14; Ex 12, 48; Rom 2, 25. 15) S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 4, cp. 23, (P. L. 26, 168); Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus, Comment.*

Vincentius Lirinensis, ex sententia omnium Patrum, catholicum dicit quod ab omnibus, semper et ubique creditum est.

Vincentius Lirinensis toto suo *Commentario* hoc tantum satagit,[16] ut ostendat a quibus signis dignoscatur doctrina fidei catholicae ab haeretica, et per consequens qui sint revera catholici, qui haeretici, quaenam vera Ecclesia catholica, quae haeretica. Ex sententia autem omnium Sanctorum Patrum id esse catholicum, «quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est»,[17] hoc est, illud dogma revera esse dogma fidei christianae, vere catholicum, quod antiquissimum est, ab Apostolis et viris apostolicis creditum ac posteris per traducem fidei traditum, ab omnibusque christianis semper et ubique terrarum firmissime creditum. Quare illam Ecclesiam statuit esse catholicam, quae fidem hanc habet fovetque antiquissimam, universalem, semper et ubique ab omnibus christianis, maxime vero orthodoxis Patribus creditam.

Idem argumentum saepius urget Augustinus,

D. Augustinus integro libro *De Unitate Ecclesiae contra Donatistas*, praesertim vero *Contra Petilianum*, Constantiensem episcopum donatistam, hoc argumentum urget, et e vestigio statim post exordium ita loquitur, dicens:[18] «Quaestio certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos an apud illos, quae utique una est, quam maiores nostri catholicam nominarunt». Et in hoc quidem libro *De Unitate Ecclesiae* Augustinus tria in primis investigare videtur, quae ad perfectam verae Ecclesiae demonstrationem maxime faciunt, videlicet, ubi sit, quae sit et quibus veluti signis cognoscatur. Et de hoc quidem argumento, quod sane multo maximi ponderis et momenti est, cum alibi multa scripserit Augustinus,[19] in libro tamen, quem diximus, multis Divinarum Scripturarum testimoniis longe indubitatis, apertis clarisque ostendit[20] non apud Donatistas, sed apud Catholicos esse veram Christi Ecclesiam, nonnullis assignatis catholicae Ecclesiae infallibilibus notis.

in Numeros, t. 6, col. 1016; Bl. Ugolinus *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, t. 4, cp. 11 *De Phylacteriis et Fimbriis Iudaeorum*, col. 1235-1236; t. 21, cp. *De Decisionibus Peniculamenti Hebraeorum*, col. 684-686, Venetiis 1745-1758. 16) *Commonit. 1* et *2*, (P. L. 50, 637 sqq.). 17) *Commonit. 1*, ibid. col. 640. 18) Cp. 2, ibid. 43, 391. Quoad inscriptionem huius operis, cf. ibid. col. 389-390. 19) Epist. 49, ibid. 33, 189; epist. 52, ibid. col. 194; epist. 76, ibid. col. 264; epist. 105, ibid. col. 396 sqq.; epist. 142, ibid. col. 583; epist. 185, ibid. col. 794; *Enarrat. in Ps. 30*, ibid. 36, 244; *Enarrat. in Ps. 49*, ibid. col. 566; *Enarrat. in Ps. 54*, ibid. col. 640; *Enarrat. in Ps. 56*, ibid. col. 669; *Enarrat. in Ps. 66*, ibid. col. 807; *Sermo 86*, cp. 12-17, ibid. 38, 285-295; *Sermo 106*, cp. 5-7, ibid. col. 659-661; *Sermo 129*, cp. 3-8, ibid. col. 721-725; *Contra Faustum Manichaeum*, lib. 13, cp. 13, ibid. 42, 289. 20) Cp. 5 sqq. ibid. 43, 398 sqq.

III. Licet autem post Augustinum Doctores catholici quam plures assignaverint indubitatas atque certissimas Ecclesiae notas, hi quidem plures illi pauciores quam Augustinus, qui *Contra Epistolam Fundamenti* sex visus est assignasse;[21] omnes tamen Sancti Patres in conciliis vel maxime ex notis, quae sunt in symbolo Constantinopolitano :[22] Unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, praesertim vero ex postrema, veram Christi Ecclesiam a quibuscumque haereticorum sectis, hoc est, satanae synagogis, discreverunt.

Quamvis Patres plures notas Ecclesiae assignarint, tamen ex notis praesertim symboli Const. unam, sanctam, catholicam, apostolicam, veram Ecclesiam discreverunt.

Unitatem cum primis orthodoxi Patres in vera Christi Ecclesia a satanae synagoga decernenda considerarunt, attenderuntque; de hac enim saepe saepius Divinae Litterae loquuntur. Hoc Christus optavit et petiit a Patre: *Rogo, Pater..., ut sint unum sicut et nos unum sumus.*[23] Hoc Deus ipse per Prophetas suos promiserat : per Ieremiam, dicens : *Dabo eis cor unum et viam unam, ut timeant me universis diebus ;*[24] per Ezechielem : *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum ;*[25] et per Sophoniam : *Reddam eis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.*[26] Ad hoc Christus mortuus est, ut omnes *qui erant dispersi congregaret in unum.*[27] Hoc ipse praedixit : *Fiet unum ovile et unus pastor ;*[28] et hoc per Spiritum Sanctum praestitit, nam accepto Spiritu Sancto, ut Lucas habet in *Actis*, discipuli erant *omnes... unanimiter ;*[29] *et multitudinis... credentium erat cor unum et anima una,*[30] iuxta illud : *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*[31]

Unitatem imprimis urgent, multis ex Scriptura adductis textubus.

Hanc Paulus praedicavit *ad Romanos*, dum ait : *Sicut... in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo ;*[32] et *ad Corinthios : Sicut... corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt ; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... et omnes in uno Spiritu potati sumus ;*[33] et *ad Ephesios : Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis : unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae ; unus Dominus, una*

21) Cp. 4, ibid. 42, 175. 22) Denzinger n. 86. 23) Io 17, 11. 22. 24) 32, 39. 25) 11, 19. 26) 3, 9. Vulg.: *Reddam populis.* 27) Io 11, 52. 28) Ibid. 10, 16. 29) 1, 14. 30) Ibid. 4, 32. 31) Ps 132, 1. 32) 12, 4-5. 33) 1 Cor 12, 12–13.

fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium;[34] sicut una *mater... omnium viventium* Eva,[35] una arca Noe,[36] unum Moysi tabernaculum,[36] unum templum Salomonis,[38] una civitas Ierusalem, unum regnum et populus Israel, de quo legimus: *Quis est... alius ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret et faceret populum sibi?*[39]

S. Cyprianus integro libro docet unitatem consistere in una origine, una doctrina et praecipue in uno capite.

De Unitate Ecclesiae integrum librum scripsit D. Augustinus[40] et ante ipsum D. Cyprianus, qui multis Divinarum Scripturarum argumentis probat[41] Ecclesiae unitatem, propositumque ipsius est ostendere, in quo consistat Ecclesiae unitas. Docere autem videtur quod consistat in una origine, in uno capite et in una coelestis magistri doctrina, dum ait quod inde oritur divisio et haeresis, « dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur ». Sed praecipue in capite et radice insistit,[42] ostendens Petrum caput Ecclesiae ipsamque Ecclesiam unam esse in capite et radice, datque tria exempla lucis, fontis et arboris, unde multi radii, rivuli et rami propagantur, sed in radice et capite.[43]

Paulus Ecclesiae unitati plura capita assignat;

Sacrosanctae autem et ad divinam similitudinem efformatae unitatis huius Paulus *ad Ephesios* visus est assignasse multa veluti capita, in quibus consistit, dum ait: *Unum corpus et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum Baptisma; unus Deus et Pater omnium.* Ponit nanque unitatem corporis, unitatem spiritus, unitatem spei, ad quam vocati sumus,[44] unitatem Domini, a quo redempti sumus et cui soli servire debemus, unitatem fidei, unitatem Baptismi, per quem regenerati sumus,[45] et tandem unitatem Dei, a quo creati, et unitatem Patris nostri coelestis, a quo in filios adoptati sumus.[46]

imprimis unitatem fidei et Baptismi,

In his rebus unitas Ecclesiae consistit, maxime vero in unitate fidei et Baptismi, hoc est, in una eademque doctrina fidei, una eademque communicatione sacramentorum per unum eundemque Spiritum Sanctum, qui, sicut D. Augustinus docet,[47] anima est Ecclesiae et

34) 4, 3-6. 35) Gn 3, 20. Vulg.: *Cunctorum.* 36) Cf. Ibid. 6, 14 sqq. 37) Cf. Ex 35, 20 sqq. 38) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 39) 1 Par 17, 21. 40) P. L. 43, 391 sqq. 41) *De Unitate Ecclesiae*, ibid. 4, 498. 42) Ibid. col. 498-500. 43) Ibid. col. 501-502. 44) Cf. Eph 4, 4. 45) Cf. Tit 3, 5. 46) Cf. Gal 4, 5; Eph 1, 5. 47) *Sermo 267*, cp. 4, (P. L. 38, 1231).

ea agit in Ecclesia Christi, *quae est corpus Christi,* [48] quae agit anima hominis in corpore ipsius. Et super omnia ab unitate capitis, principatus et magistratus supremi. Hinc ait: *Unus Dominus*, Christum intelligens, quem Deus, ut alibi Paulus docet, *dedit caput super omnem Ecclesiam;* [49] hinc Dominus ait: *Fiet unum ovile et unus pastor*. Oves autem suas Petro concredidit, ter dicens: *Pasce oves meas.* [50] Sic enim supra petram Petri aedificavit Ecclesiam suam; [51] idem enim est, fundamentum et caput esse Ecclesiae. [52] Non est autem, ut D. Cyprianus ait *ad Pupianum,* [53] aliud Ecclesia quam «plebs suo sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens». Ita Petrum *Dominus constituit super familiam suam.* [54]

et maxime capitis, seu supremi Pastoris,

Ex hoc autem capite vel maxime obortae sunt haereses et schismata, ut D. Cyprianus *ad Cornelium Papam* scribit, [55] «quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus collegium sacerdotum quicquam moveret». In epistola *ad Pompeium:* «Qui, inquit, [56] ab Ecclesiae unitate discedit, cum haereticis necesse est inveniatur, quos dum contra Ecclesiam vindicat, sacramentum divinae traditionis impugnat».

ex cuius negatione obortae sunt haereses et schismata, ut Cyprianus docet.

Cum itaque tam multis rationibus Ecclesia Dei una dicatur, profecto quaecumque hominum secta huiuscemodi unitate destituta est, nullo modo Ecclesia Christi esse aut dici et nominari potest. Domus enim, quae in seipsam divisa est, in qua divisiones et schismata sunt, domus Dei esse non potest; *non enim* Deus *dissensionis Deus est,* sed Deus *pacis.* [57] *Deus in loco sancto suo, Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo.* [58]

Igitur quaecumque secta, hac unitate destituta, non potest esse vera Ecclesia.

IV. *Non sic* autem *impii* haeretici, *non sic;* [58a] tanquam Cadmei fratres [59] invicem semper pugnant, et sicut aedificantes turrim Babel

Et sane haeretici,

48) Eph 1, 23. Vulg.: *Corpus ipsius.* 49) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Supra.* 50) Io 21, 15-18. 51) Cf. Mt 16, 18. 52) Cf. lib. 1, sect. 1, *Dissert. 2*, huius vol. 53) Epist. 69, (P. L. 4, 406). 54) Lc 12, 42. Vulg.: *Constituit Dominus supra.* 55) Epist. 12, (P. L. 3, 802-803). 56) Ibid. col. 1136. 57) 1 Cor 14, 33. Vulg.: *Non enim est dissensionis Deus.*

58) Ps 67, 6-7. Vulg.: *Unius moris in domo.* 58a) Ps 1, 4. 59) Cadmei fratres sunt Eteocles et Polynices, qui inter se pacti fuerunt, ut Thebis alternis annis regnarent. Cum vero Eteocles fidem fregisset, bellum Thebanum ortum fuit, in quo post varias caedes ipsi fratres mutuis vulneribus conciderunt. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Eteocles* et *Polynices* nominibus.

a Deo confusi, ab invicem dividuntur, ut a Hieronymo

a Deo confusi ab invicem dividuntur.[60] D. Hieronymus *in Oseam* scribens, de haereticis interpretatur[61] illud eiusdem Vatis: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*[62] « Haereticorum, inquit, inter se corda divisa et contrariis repugnare sententiis etiam ipsi non negant, dum diversa sentiunt ».

et Tertulliano notatur.

Tertullianus in *Praescriptionibus* suis *adversus Haereticos* notavit haereticorum intestina dissidia mutuamque discordiam : « Mentior, inquit,[63] si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur ».

Sicut Iudaeorum haeresis ante Christum in quattuor sectas dividebatur; sic post Christum Simonis Magi, Donatistarum et Arii haereses in multas alias sectas conscissae sunt.

Sic Iudaeorum haeresim ante Christum in quattuor sectas divisam : Samaritanorum, duce Dositheo quodam, Sadducaeorum, Pharisaeorum et Herodianorum idem auctor recenset ;[64] et post Christum ab haeresi prima Simonis Magi ortos Menandrianos, Saturnianos, Basilidianos aliosque haereticos, quos secuti fuerunt Carpocratiani, Cerinthiani, Ebionitae, Nicolaitae, Cerdoniani, Marcionitae et Valentiniani[65] cum aliis quampluribus sectariis, de quibus S. Irenaeus libro primo *Adversus Haereticos* copiose scripsit.[66] De secta Donatistarum D. Augustinus refert,[67] quod in minutissima multa frusta conscissa fuit.

Quod evidentius in Arianis manifestum est.

De Arianis notius est, quam ut commemorari debeat ; ex una enim Arii radice multa prava germina haereseon atque sectarum propagata fuerunt, et luxuriose nimis pullularunt Eusebiani, Aetiani, Photiniani, Eudoxiani, Acaciani, Eunomiani, Macedoniani, Psatiriani, Cirtiani, Duliani, Anomiani, Exucontii aliique permulti sectariorum impii coetus exorti fuerunt.[68]

Hae haereticorum varie-

D. Hilarius scribens *in Constantium Augustum*, graphice descripsit multiplicem istam fidei varietatem ac in multas partes dis-

60) Cf. Gn 11, 1-10. 61) Lib. 2, cp. 10, (P. L. 25, 903). 62) 10, 2. 63) *Praescript.* 9, cp. 42, (P. L. 2, 58). 64) Cp. 45-52, ibid. col. 60 sqq. Sub nomine: *Adversus omnes Haereses*, Tertulliani non esse hoc opus hodie constat. Cf. Bardenhewer op. cit. vol. 1, pag. 234. 65) Cp. 46-51, ibid. col. 61-71. 66) P. G. 7, 445 sqq. 67) *De Baptismo contra Donatistas*, lib. 11, cp. 6, (P. L. 43, 114). 68) Cf. Io. Cassianus *De Incarnatione*, lib. 1, cp. 2, ibid. 50, 14-20.

sensionem, dicens: [69] « Periculosum nobis atque admodum miserabile est tot nunc fides existere quot voluntates, et tot nobis doctrinas esse quot mores, et tot causas blasphemiarum pullulare quot vitia sunt; dum ita fides describuntur ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur. Et cum secundum *unum Deum et unum Dominum et unum Baptisma* etiam *fides una* sit; excidimus ab ea fide, quae sola est, et, dum plures fiunt, ad id coeperunt esse, ut nulla sit ». tates a D. Hilario describuntur.

Lutheri autem secta, praeter quam ipso adhuc vivente dissecta fuit in Antinomos, Sacramentarios, Carolostadianos et Zwinglianos et Anabaptistas, postea qui Lutherani dicti sunt et in *Augustanam Confessionem* iurarunt, divisi ad invicem in plures factiones fuerunt, ad instar aedificatorum turris Babel, in varias partes distracti: in Lutheranos rigidos et molles, in Ubiquistas, Adiaphoristas, Synergistas, Substantiarios, Accidentarios, Osiandrinos, Stancarianos, Maioristas, Flaccianos, Musculanos, Amsdorfianos, Pfeffingeros aliosque sectarios, qui invicem pugnant non de rebus leviculis, sed de praecipuis fidei capitibus. [70] Quare in Lutheranis cernitur id, quod legimus apud Isaiam: *Concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum;* [71] et quod in *Regum Historia* de Philistaeis dicitur: *Versus fuerat gladius uniuscuiusque ad proximum suum.* [72]

Lutheri autem secta, ipso auctore vivente, in Antinomos, Sacramentarios, etc. in seipsos de praecipuis fidei capitibus pugnantes, divisa est;

Quare vel ex hoc capite et ex hac praescriptione renunciata fuisset lutherana secta a Sanctis Patribus sicut olim ariana nil minus quam Christi Ecclesia esse, cum nullam prorsus habeat fidei unitatem, sed unusquisque ex Scriptura fidem sibi pro libitu fabricatur. Ex hoc autem capite Sanctissimi doctissimique Patres Cyprianus et Augustinus, qui de Ecclesiae unitate adversus haereticos scripserunt, Patresque concilii Constantinopolitani Lutheranos proscripsissent et a Christi Ecclesia extorres pronunciassent.

quare a Patribus, quia unitate destituta, damnata fuisset.

Non est autem quod hic dicam de sanctitate, quae Ecclesiae Dei in mundo nota praecipua est, cum vera apud Deum sanctitas sine fide vera nullatenus reperiri possit; *sine fide* enim *impossibile est placere Deo;* [73] cumque nonnisi in Ecclesia reperiatur fides non ficta, [74] tantum in Ecclesia sanctitas ex Christi virtute ac merito et Spiri-

Ex carentia unitatis fidei argui potest carentia sanctitatis, de qua satis dictum est.

69) Lib. 2, ibid. 10, 566. 70) I. Döllinger *Die Reformation*, B. 3, S. 334-391, Regensburg 1848. 71) 19, 2. 72) 1 Rg 14, 20. 73) Hebr 11, 6. 74) Cf. 1 Tim 1, 5.

tus Sancti gratia reperitur, cum in sanctis legibus ritibusque, tum etiam in hominibus, qui *de manu inimicorum* suorum *liberati* Domino servierunt *in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus,* [75] sicut de parentibus Ioannis Baptistae, Zacharia et Elisabeth, in Evangelio apud Lucam legimus. [76] Sed de nota hac sanctitatis an in Lutheri secta reperiatur, satis dictum superius est. [77]

Ad veram Ecclesiam ostendendam Patres maximopere insistunt in perpetua et non interrupta ab Apostolis successione et praecipue in continuata a B. Petro successione Romanorum Pontificum.

V. Reperio autem Sanctos Patres ad demonstrandam veram Ecclesiam magnum praesidium posuisse in ordinaria et perpetua minimeque interrupta successione ab Apostolis et originariis ecclesiis, quae ab Apostolis fundatae fuerunt. Maxime vero continuatam a temporibus S. Petri successionem Romanorum Pontificum statuerunt verae Christi Ecclesiae indubitatum, infallibile, certissimum signum. Sicut enim ad probandam nobilitatem alicuius prosapiae sufficit probare ex authenticis et indubitatae fidei tabulis legitimam et minime interruptam successionem a protoparente illius familiae; ita, cum vera Ecclesia sit vera et legitima Christi per Apostolos virosque apostolicos propagata Christi familia, illa proculdubio censenda erit vera Ecclesia, quae legitimam successionem neutiquam interruptam habet a Christo et Apostolis, sicut illa fuit vera sub Veteri Testamento Ecclesia, quae ab Abraham per Isaac, Iacob et duodecim patriarchas propagata legitime descendit, et illi veri sacerdotes, qui ab Aaron sacerdote trahebant per lineam masculinam originem, quam ex genealogiae tabulis ostendere tenebantur. [78] Hinc in libro *Esdrae* legimus, quod post reditum a captivitate babylonica sacerdotes, qui *quaesierunt scripturam genealogiae suae et non invenerunt, eiecti...* fuerunt de sacerdotio; [79] quod etiam in libro *Nehemiae* litteris consignatum legimus. [80]

Quod mirifice probat et illustrat Irenaeus,

S. Irenaeus vicinus Apostolorum temporibus, qui in prima sua aetate vidit S. Polycarpum, Ioannis apostoli discipulum, [81] hac potissimum ratione aetatis suae pestes profligavit Valentinianos, Basilidianos, Marcionitas haereticos. «Traditionem, inquit, [82] Apostolorum in toto mundo manifestam in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire, et habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis et successores eorum us-

75) Lc 1, 74-75. 76) Cf. ibid. vrr. 5-6. 77) Cf. *Dissert. 1,* sect. 2, pag. 81 sqq. Cf. etiam *Dissert. Praeambula,* pag. 3 sqq. 78) Cf. Nm 1, 51; 3, 10. 38; 18, 7. 79) 1 Esr 2, 62. Vulg.: *Hi... eiecti sunt.* 80) 7, 64. 81) S. Hieronymus *De Viris Illustribus,* cp. 35, (P. L. 23, 649). 82) *Adversus Haereses,* lib. 3, cp. 3, (P. G. 7, 848).

que ad nos ». Et postea : [83] « Sed, quoniam valde longum est omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum usque ad nos pervenientem, indicantes, confundimus omnes eos [haereticos] qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeter quam oportet, colligunt ». Deinde, enumeratis Romanis Pontificibus a Petro usque ad Eleutherium, qui « nunc, inquit, [84] duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet », subdit : « Hac ordinatione et successione ea, quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos, et est plenissima haec ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate ». Et paulo ante dixerat : [85] « Ad eam traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in Ecclesia custoditur, provocamus eos, qui adversantur traditioni ».

Cum D. autem Irenaeo mirum in modum conspirat Origenes Adamantius: « Quia multi, inquit, [86] ex his, qui in Christo se credere profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis ; propter hoc necessarium videtur de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere ». Sed inquam : Quaenam ista certa linea et manifesta regula ? Ait paulo inferius : [87] « Cum multi sint, qui se putent sentire, quae Christi sunt, et nonnulli diversa a prioribus sentiant, servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica discordat traditione ».

cui perfecte concinit Origenes;

D. Irenaeus alibi : « Quapropter, inquit, [88] eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis acceperunt ; reliquos vero, qui absistunt a principali

Apostolorum enim successores, ut Irenaeus scribit, cum episcopatus succes-

83) Ibid. col. 848-849. 84) Ibid. col. 851. 85) Ibid. col. 847. 86) Περὶ Ἀρχῶν, lb. 1, ibid. 11, 115-116. 87) Ibid. col. 116. 88) *Adversus Haereses*, lib. 4, cp. 26, ibid. 7, 1053.

sione charisma veritatis acceperunt.

successione et quocumque loco colliguntur, suspectos habere quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes, elatos, et sibi placentes ».

Tertullianus provocat omnes haereticos, ut suam apostolicam originem producant;

VI. Tertullianus, et ipse Apostolorum temporibus vicinissimus, hoc eodem argumento ac veluti inexpugnabili epicheremate aggressus haereticos omnes in suis *Praescriptionibus* fuit : « Edant, inquit, [89] origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit ; proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant ». Et post pauca : [90] « Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis, vel apostolicis viris auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur ; tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses, ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatae, probent se quaqua putant apostolicas ».

docet insuper eas esse veras ecclesias, quae apostolicarum et praecipue Romanae Ecclesiae fidem sequuntur.

In *octava* autem *Praescriptione* docet quod illae solae ecclesiae verae sint, quae apostolicarum ecclesiarum, praesertim vero Romanae, fidem sequuntur. « Percurre, inquit, [91] ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident ». Et post pauca : « Si, inquit, [92] Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Statu felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli Petrus et Paulus cum sanguine suo fuderunt ! » Hoc insigni epiphonemate Tertullianus Romanam Ecclesiam illustravit, et beatam praedicavit, propterea quod a sanctissimis apostolis Petro et Paulo fundata fuerit.

Romanam Sedem magnis

Quod et alibi *adversus Marcionem* scribens, testatus fuit : [93] « Videamus, inquit, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Petrus

89) *Praescript. 6*, cp. 32, (P. L. 2, 44-45). 90) Ibid. col. 45. 91) Cp. 36, ibid. col. 49. 92) Ibid. 93) Lib. 4, cp. 5, ibid. col. 366.

et Paulus Evangelium sanguine quoque suo signatum reliquerunt ». Et adversus eundem haereticum carmine scribens :

laudibus extollit, quia a Petro et Paulo fundata;

« Constabat, inquit, [94] pietate vigens Ecclesia Romae,
Composita a Petro, cuius successor et ipse
Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus ».

Et paulo ante : [95]

« Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere iussit,
Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis ».

Quo loco vir doctissimus Marcionem oppugnans, tutissimum ratus in Romanorum Pontificum successione collatum praesidium continuae successioni a Petro usque ad Anicetum, sub cuius praesulatu impius haereticus venena suae sparsit haereseos, Romanos Pontifices numeravit, et ex successione ista veram Ecclesiam ab Apostolorum principibus fundatam demonstravit.

Acatholicorum sectas a posteritate proscribit;

Priusquam autem hinc gradum alium ineamus, sciendum est Tertullianum a posteritate doctrinae omnes haereticorum sectas proscripsisse omnesque haereticos exemplo Marcionis, Valentini, Apellis, Nigidii et Hermogenis vera catholicaque doctrina posteriores ostendit, et ex parabola zizaniorum [96] demonstrat, quoniam prius seminatum fuit bonum semen, postea vero ab inimico diabolo superseminata zizania. « Ita ex ipso, inquit, [97] ordine manifestum est, id esse dominicum et verum quod sit prius traditum, id autem extraneum et falsum quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses » ; nam [98] « in omnibus veritas antecedit imaginem, postremo similitudo succedit. Ceterum satis ineptum habetur, ut prior in doctrina haeresis habeatur ». Profecto quoniam haeresis doctrina corrupta est, sicut acetum corruptum vinum ; necesse autem est, ut prius sit vinum quam acetum, corpus vivum quam cadaver.

haereticos vero irridet, quasi ante eos perperam Evangelium praedicatum fuerit.

Quare, haereticos veluti irridens, ait : [99] « Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas expectabat, interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata

94) Lib. 3, cp. 9, ibid. col. 1078. Hoc carmen non est Tertulliani. Cf. Bardenhewer op. cit. vol. 1, pag. 234. 95) Ibid. col. 1077. 96) Cf. Mt 13, 24-25. 97) *De Praescriptionibus, Praescript. 5*, cp. 31, (P. L. 2, 44). 98) *Praescript. 4*, cp. 29, ibid. col. 41. 99) Ibid.

perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata ». Et alibi per ironiam :[100] « His solis et his primis, loquitur de Marcionitis et Valentinianis, quod quadrat etiam Lutheranis, revelata est veritas divinitatis, maiorem scilicet dignationem et pleniorem gratiam a diabolo consecutis ». Docet itaque Tertullianus illam esse veram Ecclesiam, quae antiquissima est, et ab Apostolis secundum Christum fundata continuam habet per traducem fidei successionem, et per hanc praescriptionem quamcumque posteriorem sectam a vera Christi Ecclesia proscribit.

Simili modo argumentatur Cyprianus, qui affirmat veram Ecclesiam esse apud Cornelium, qui legitime Fabiano successit, non apud Novatianum.

VII. Post Tertullianum autem D. Cyprianus, illustrissimus martyr et episcopus sanctissimus atque doctissimus, eodem nititur argumento. Scribens enim *ad Magnum*, ostendit[101] quod Ecclesia Dei apud Cornelium Papam fuit, qui Fabiano Episcopo Romano legitima ordinatione successit, non apud Novatianum, qui, evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est : « Habere autem, inquit, et tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est ». Et post nonnulla :[102] « Pastor haberi quomodo potest, qui, manente vero pastore et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea praesidente, nemini succedens, a seipso incipiens alienus fit et profanus, dominicae pacis atque unitatis inimicus ? » Ita Cyprianus manifeste docet non posse esse veram Ecclesiam absque legitima successione maxime Romanorum Pontificum.

ac revertendum dicit ad apostolicam traditionem, ut error in fide praecaveatur.

Et *ad Pompeium* scribens, gravissime atque verissime dixit, veritatis inveniendae facillimam esse viam, si ad originem recurratur : « In compendio, inquit,[103] est apud religiosas et simplices mentes et errorem deponere, et invenire atque eruere veritatem. Nam, si ad divinae traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus et, sacramentorum coelestium ratione perspecta, quidquid sub caligine ac nube tenebrarum obscuritate latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat subito deficiat, ratione ad fontem pergitur, ut illius defectionis ratio no-

100) *Praescript. 6*, cp. 34, ibid. col. 47. 101) Ibid. 3, 1140. 102) Ibid. col. 1141-1142. 103) Ibid. col. 1135-1136.

scatur, utrum arescentibus venis in capite unda siccaverit, an vero integra inde et plena procurrens in medio itinere destiterit. Ut, si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quominus aqua continua perseveranter ac iugiter flueret, refecto et confirmato canali, ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repraesentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes, praecepta divina servantes, ut si in aliquo mutaverit et vacillaverit veritas, ad originem dominicam et evangelicam et apostolicam traditionem revertamur, ut inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit ». Illam igitur statuit veram esse fidei doctrinam, quae a Domino tanquam fonte originem habens, per apostolicam traditionem tanquam per canalem ad nos usque pervenit, sacerdotibus Dei hac via et ratione inquirendam esse fidei veritatem, si quando insurgentibus haereticis mutaverit, aut quoquo modo vacillaverit.

Idem affirmat Lactantius.

Lactantius Firmianus, notans [104] varias haereticorum synagogas, quae novam sibi doctrinam sine ulla radice composuerant et se potissimum christianos et suam esse catholicam Ecclesiam putabant; illam dicit esse veram Ecclesiam, in qua est [105] Confessio et Poenitentia, quae peccata et vulnera, quibus subiecta est imbecillitas naturae, curat; nimirum contrario ritu quam haereticorum synagogae et Novatianorum lustra, quae nunc novam sequuntur doctrinam.

Gregorius Nazianzenus Apollinarem a novitate doctrinae proscribit;

VIII. S. Gregorius cognomento theologus epistola altera *ad Cledonium* invectus in ridiculam Apollinaris antistrophen, qua aiebat in Christo adorari debere non carnem deificatam, sed Deum carniferum: « O miram, inquit, [106] absurditatem! Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant. Res lacrimis digna! Si enim triginta his annis fides originem habuit, cum quadringenti fere anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est; inane tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, et martyres quidem frustra martyrium subierunt. Frustra etiam tales tantique antistites populo praefuerunt ». Ita theologus sane eminentissimus Apollinaris haeresim sectamque a novitate proscribit antiquamque

104) *De Divinis Institutionibus*, lib. 4, cp. 30, ibid. 6, 543-544. 105) Ms.: *Et*, loco: *Est*, et infra: *Non*, loco: *Nunc*. 100) Epist. 102, (P. G. 37, 199).

Ecclesiam, quae a Christo incoepit et per martyres et Episcopos ad nos pervenit, tenendam dicit.

Hieronymus affirmat in illa Ecclesia esse permanendum, quae ab Apostolis laudata, etiam nunc durat,

Simili ratione D. Hieronymus, tanti theologi optimus discipulus, *ad Pammachium et Oceanum* scribens ait: [107] « Quisquis es assertor novorum dogmatum, quaeso te, ut parcas romanis auribus, parcas fidei, quae Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum ».

ab eaque extorres, esse antichristi synagogam,

Et in *Dialogo adversus Luciferianos:* « Brevem tibi, inquit, [108] apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur christiani, non a Domino Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito non ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenunciavit. [109] Nec sibi blandiantur si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, [110] et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo ». Patet autem ex his quidnam vir sanctissimus aeque atque doctissimus de Lutheranorum secta pronunciaturus fuisset, quamque sententiam laturus de Lutheranis, si suo tempore exorti fuissent. Semper enim Sancti Patres in vera Ecclesia demonstranda antiquissimam originem et perpetuam successionem veluti certissimas notas attenderunt, maximeque attendenda docuerunt.

Augustinus dicit veram esse Ecclesiam, quae a radice christianae societatis per Episcoporum successionem propagata est,

IX. D. Augustinus, scribens *ad Madaurenses:* « Videtis, inquit, [111] certe multos praecisos a radice christianae societatis, quae per sedes Apostolorum et successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, quas haereses et schismata nominamus ». Ecclesiam dicit christianam societatem, quae a sua ori-

107) Epist. 84, (P. L. 22, 750). 108) Ibid. 23, 181-182. 109) Cf. 1 Tim 4, 1-3; 2 Tim 3, 1 sqq. 110) Cf. Mt 4, 3-11. 111) Epist. 232, (P. L. 33, 1028).

gine per sedes Apostolorum et successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur; haereses autem arescentia sarmenta praecisa a radice christianae societatis, radicem autem Christum intelligit, nam: *Ego*, ait, *sum vitis..., vos palmites.*[112] Statuit itaque Augustinus certam Ecclesiae per orbem propagationem per successionem Episcoporum et originem a radice christianae societatis.

Qua de re etiam alibi idem Augustinus, *in Epistolam Fundamenti* scribens, ait:[113] « In catholica Ecclesia [multa sunt], quae in eius gremio me iustissime tenent; tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia solum obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta christiani nominis carissima vincula recte hominem credentem tenent in catholica Ecclesia, etc. Apud vos autem, ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio ». Ita Augustinus inter praecipuas notas catholicae Ecclesiae ponit auctoritatem vetustate firmatam, et successionem Episcoporum a Petro usque ad praesentem episcopatum.

seque in catholica Ecclesia eo vel maxime teneri, quod in ea continuata esset successio sacerdotum a Sede Petri,

Et *ad Honoratum* manichaeum *De Utilitate Credendi* scribens, postquam Ecclesiae catholicae veritatem auctoritatemque multis argumentis probavit, et postremo a pietate, quae inter Catholicos reperitur, dicens[114] « quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetua ieiunia, quod castitas usque ad coniugii prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huius mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur; pauci haec faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi, populi suam

112) Io 15, 5. 113) Cp. 4, (P. L. 42, 175). 114) Cp. 9-16, ibid. col. 79-90.

imbecillitatem quod ista non possunt nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant », post pauca sic intulit :[115] « Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit ? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae ». Frustra, inquit, haereticos circumlatrare Ecclesiae, quae ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum culmen auctoritatis obtinuit.

quae firma semper mansit, haereticis undequaque circumlatrantibus; et culmen auctoritatis obtinuit.

Lutheranis autem proculdubio dixisset Augustinus quod dixit Donatistis,[116] qui sibi solis ecclesiam arrogabant : « Vos dicitis remansisse Ecclesiam Christi in sola Africa partis Donati ; quod non de lege, non de Propheta, non de Psalmo, non de Apostolo, non de Evangelio, sed de corde vestro et de parentum vestrorum calumniis recitatis ».

Unde Augustinus Lutheranos calumniae certe arguisset, sicut arguit Donatistas, sibi solis ecclesiam arrogantes.

X. D. Hilarius, *in Arianos* scribens, tanquam novos doctores respuit : « Tarde, inquit,[117] mihi hos piissimos doctores aetas nunc huius saeculi protulit ; sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti magistros. Inauditis ego his omnibus in te credidi ». Atque hac ratione ariana haeresis in concilio Nicaeno de novitate a Sanctissimis illis Patribus proscripta fuit.

Hilarius uti haereticos habet, qui nova proferunt.

Lucifer, episcopus Calaritanus, in libro quem *adversus Constantium Augustum* arianum scripsit titulo *Moriendum pro Dei Filio*, hac de re ita loquitur :[118] « non esse novum, quod nos legati asseverabamus in tuo palatio, et confirmando non desumus, semper sic fuisse et esse creditum a christianis, sicuti apud Nicaeam contra haeresim tuam arianam et omnes errores videtur esse sacra fides conscripta. Si tandem oculos, serpentinis morsibus confossos, cordis tui aperias, invenias quod hanc habet, hanc defendit Ecclesia fidem, quam sibi traditam cognoscit per Beatos Apostolos, etc. At tua novella prae-

Lucifer Calaritanus eam dicit veram fidem, quae semper tradita est, recentem vero

115) Cp. 17, ibid. col. 90-91. 116) Epist. 105, cp. 1, ibid. 33, 306. 117) *De Trinitate*, lib. 6, ibid. 10, 173. 118) Ibid. 13, 1015.

dicatio et recens religio sub praetextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuae per te prolata », etc. praedicationem esse blasphemiam.

Et Sozomenus, agens de Patribus Nicaeni concilii, cum Arii causam tractarent, ait,[119] quod, cum disputatio in varias distraheretur quaestiones, alii eorum, iique potissimum quos morum simplicitas induxit ad fidem in Deum sine curiosa inquisitione amplexandam, nihil novi contra fidem initio temporis Apostolorum traditam moliendum censuerunt. Idem affirmant Sozomenus,

S. Epiphanius libro *De Haeresibus* inquit[120] quod trecenti decem et octo Episcopi Arii fidem in Nicaena urbe reprobant et execrantur; confitentur autem Patrum fidem orthodoxam et invariabilem, ab Apostolis et Prophetis traditam. Et D. Athanasius *Oratione contra Arianos:* « Quomodo, inquit,[121] de numero catholicae Ecclesiae habeantur, qui apostolicam fidem excusserunt et novarum pestium inventores se praebent ? » Et in epistola, cui titulus est *Nicaenae Synodi contra Arianam Haeresim Decreta*, ostendens quod Eusebius Caesariensis, qui magnus fuit Arianorum promachus, cum, palinodiam canens, subscripsisset sententiae Nicaeni concilii, quam ante contra veritatem temere pugnans negaverat, ait,[122] quod subscriptam sententiam Ecclesiae legendam misit, dicens eam esse Ecclesiae fidem et Patrum traditionem. Epiphanius et Athanasius.

XI. Sic, ut concludamus, omnes orthodoxi Patres eam dixerunt semper Ecclesiam catholicam et apostolicam, hoc est, veram Christi Ecclesiam, quae habet fidem Patrum; nam, ut Augustinus sapienter aliquando dixit,[123] Sancti Patres « quod invenerunt in Ecclesia, retinuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a parentibus acceperunt, hoc filiis tradiderunt ». Concludamus ergo eam esse veram Christi Ecclesiam, quae habet fidem Patrum.

Hinc Vincentius Lirinensis docet[124] a Sanctis Patribus omnes haereses coniectas fuisse in *profanas vocum novitates*, quas Paulus evitandas praecepit,[125] et in concilio Ephesino a sanctissimis illis viris Nestorii haeresim nonnisi ex antiqua fide et Sanctorum Patrum sententia damnatam fuisse: « Omnibus, inquit,[126] catholi- Hinc Lirinensis docet a Patribus semper reprobatas fuisse profanas vocum novitates.

119) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 17, (P. G. 67, 911–914). 120) *Haeres. 69*, ibid. 42, 218-219. 121) *Oratio 1 contra Arianos*, ibid. 26, 18-19. 122) *De Decretis Nicaenae Synodi*, ibid. 25, 427-430. 123) *Contra Iulianum*, lib. 2, cp. 10, (P. L. 44, 698). 124) *Commonit. 2*, ibid. 50, 678. 125) 1 Tim 6, 20. 126) *Commonit. 2*, (P. L. 50, 678-679).

cissimum, felicissimum et optimum visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiae proferrentur, ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et profanae novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoque ille Nestorius catholicae veritati contrarius, B. vero Cyrillus sacrosanctae antiquitati consentaneus iudicatus fuit ». Et :[127] « Cum in concilio lecta fuisset epistola Capreoli Carthaginensis episcopi, qua postulabat antiquae fidei dogmata confirmari, novitia vero et superflue adinventa impie promulgata reprobari atque damnari, omnes Episcopi adclamaverunt : « Hae omnium voces sunt, haec omnes dicimus, hoc omnium votum est », nempe[128] « ut quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur ».

et iure Nestorium damnatum fuisse;

Ut autem idem auctor verissime dixit, *profanas vocum novitates* recipere atque sectari nunquam Catholicorum, semper vero haereticorum fuit : « Et revera, inquit,[129] quaenam unquam haeresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit ? Quis unquam haereses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiae catholicae universitatis et antiquitatis consensione secrevit ? Quod ita esse luce clarius exempla demonstrant ». Sic[130] affert exempla Pelagii, Coelestii, Arii, Sabellii, Novatiani et Simonis Magi.

profanas autem vocum novitates recipere proprium esse haereticorum,

et affert exempla Pelagii, Coelestii, etc., quibus addendus est Lutherus,

Addamus nos exemplum etiam Lutheri, qui sub certo, nempe suiipsius, nomine, sub certo loco, Wittembergae in Saxonia, sub certo tempore, anno 1517, sub Leone X Romano Pontifice, novam Lutheranorum haeresim excitavit. Quique haereticorum omnium maxime novitatibus delectatus, vetustam catholicae Ecclesiae antiquitatem supra modum fastidivit et nova dogmata, novam fidem, novam religionem in mundum invexit, qui etiam de suo nomine novam ecclesiam fundavit, in qua, ipsius quidem et suorum sententia, reperiatur vera fides et purum putum evangelium. Sed hac in re similis mihi videtur Lutherus homini, qui cum ex vili scorto susceptus sit, summam tamen antiquissimamque parentum et generis iactat nobilitatem a regibus et caesaribus ; ita tamen ut ex nullis indubitatae fidei tabulis suam genealogiam ostendat, aut quoquo modo probet.

qui nova dogmata et novam fidem invexit;

127) Ibid. col. 682. 128) Ibid. 129) *Commonit. I*, ibid. col. 670. 130) Ibid. col. 671.

Voluit Lutherus haberi homo apostolicus suamque ecclesiam ob purum putum evangelium ipsissimam esse Apostolorum Ecclesiam vere evangelicam, quare Lutherani nonnisi evangelici nominari volunt. Similes sunt Samaritanis, qui se dicebant filios patriarcharum Abraham, Isaac et Iacob ; unde mulier illa samaritana a Domino conversa dixit Salvatori : *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob?* [131] Et meliores se existimabant Iudaeis, putantes colere se meliorem fidem et religionem, ac illam ipsam qua Sancti Patres coluerant, cum revera tamen idololatrae essent et ad Patriarchas nullatenus pertinerent. Eatenus autem Lutherani ad Apostolos patres fidei et religionis christianae, hoc est, catholicae Ecclesiae, spectant ; vel probent evidenter successionem suam ab Apostolis.

et tamen suam ecclesiam evangelicam nuncupavit.

XII. Multa Martinus Lutherus scripsit de notis Ecclesiae, praesertim in libro *De Conciliis et Ecclesia,* ubi in ea parte libri, quae ad calcem est, septem notas assignat. [132] Sunt autem: prima, vera et incorrupta praedicatio Evangelii ; secunda, legitima administratio Baptismi ; tertia, legitimus usus Eucharistiae ; quarta, legitimus usus clavium ; quinta, legitima electio ministrorum, qui doceant et sacramenta ministrent ; sexta, oratio, publica psalmodia, catechismus, sed lingua quae ab omnibus intelligatur ; septima tandem, mysterium crucis, hoc est, perpessio tribulationum ac persecutionum intus et foris, ut ab hominibus contemptui habeantur tanquam haeretici, cacodaemones, cathasmata, purgamenta.

De notis Ecclesiae multa scripsit Lutherus; aliquando septem notas assignat;

Aliis autem locis septem istas notas ad duas tantum redegit, docens ibi esse veram Ecclesiam, ubi est verum Evangelium et vera sunt sacramenta, sive sincera praedicatio Evangelii et sincerus sacramentorum usus. Ita habet in *Epistola ad Galatas,* [133] ubi dicit propter haec duo Romanam Ecclesiam sanctam esse, et ubicumque duo haec reperiuntur ibi esse veram Dei Ecclesiam, quoniam per verbum Dei et sacramenta sanctificamur.

aliquando duas, idest verum Evangelium et vera sacramenta;

Et ita *Augustana Confessio,* lutheranae doctrinae lapis lydius, has duas verae Ecclesiae notas statuit, [134] et ita fere omnes Lutherani : Philippus Melanchthon in *Locis,* [135] Ioannes

has duas statuit etiam *Confessio Augustana.*

131) Cf. Io 4, 7 sqq. 132) I. G. t. 7, f. 281ª-293ª. 133) W. L. t. 5, f. 278ª.
134) I. L. t. 4, f. 162ᵇ. 135) *Loci Communes Theologici,* cp. *De Ecclesia,* in initio, Witebergae 1535; *Corpus Reform.* vol. 21, col. 41 et passim, ed. Bretschneider.

Brentius in *Confessione Wirtembergensi*[136] et in *Catechismo Magno;*[137] nisi quod Georgius Maior tertiam addidit;[138] nam, praeter doctrinae evangelicae incorruptam professionem et usum sacramentorum convenientem divinae institutioni, statuit obedientiam debitam ministerio iuxta evangelium, aitque prorsus necesse esse omnes salvandos iunctos esse cum vera Ecclesia, fide, confessione, invocatione Dei et voluntate servandae Ecclesiae, seu coniunctionis in Ecclesia, cum extra Ecclesiam non sit salus. Matthias Illyricus aliam quandam duabus illis prioribus ex *Actibus Apostolorum* attexuit,[139] nempe invocationem Dei et caritatem.

Georgius Maior adiecit obedientiam ministerio, et Matthias Illyricus invocationem Dei et caritatem.

Ioannes Wigandus[140] cum Matthaeo Iudice[141] in corpore doctrinae duabus illis ab omnibus sectariis receptis addidit duas alias, ita quod quattuor dedit nobis Ecclesiae indubitatas notas: verbum sincerum prout a Christo est revelatum, verus et legitimus usus sacramentorum et clavium, confessio una cum constantia et perseverantia et obedientia erga ministerium in iis rebus, quas Christus docuit et sanxit. Et Victorinus Strigelius, scribens *in Psalmum 109,*[142] cum dixisset[143] quod Ecclesia sit visibilis coetus alligatus ad sceptrum rectum, idest, ad ministerium evangelii incorruptum, ait:[144] «Hunc coetum signa minime fallentia monstrant: vox ministerii evangelici incorrupti, ritus divinitus traditi, qui oculos incurrunt, confessio et invocatio.

Io. Wigandus et Matt. Iudex quattuor notas admittunt; item Vict. Strigelius; sed inter se diversas.

XIII. Omnes autem boni viri una cum Luthero valde sibi caverunt ne ullam Ecclesiae notam reciperent earum, quae sunt in symbolo Constantinopolitano,[145] quas D. Epiphanius in suo *Anco-*

Lutherus et Lutherani valde caverunt, ne admitterent

136) *Confessio Piae Doctrinae*, quae nomine illustrissimi principis ac domini Christophori ducis Wirtembergensis, etc. per legatos eius die 24 Ianuarii an. 1552 Congregationi concilii Tridentini proposita est, cp. *De Ordine* E. 5 et speciatim, cp. *De Ecclesia* H. 5, Tubingae sine anno.

137) *Catechismus*, pia et utili explicatione illustratus, pag. 229-230, an. 1551 sine loco. Hic *Catechismus* a S. Laurentio *Magnus* nuncupatur; *Minor* initio voluminis invenitur. 138) *De Origine et Authoritate Verbi Dei*, pag. 17 sqq. Witebergae 1565. 139) *Confessio Ministrorum Iesu Christi* in ecclesia Antuerpiensi, quae *Augustanae Confessioni* adsentitur, cp. 10 *De Ecclesia* E. 2, E. 3; cp. 11 *De Sacramentis* E. 4. 140) Cf. op. cit. pag. 18-19. 141) *Das Kleine Corpus Doctrinae*, das ist: *Heuptstücke und Summa Christliche Lehre*, cp. 17 *Von den Christlichen Kirchen*, B. 5, et cp. 18 *Von Predigtampt*, C. 1, Regenspurg 1573; *Synopsis Doctrinae Christianae ad Sancti Lutheri Catechismum Minorem Attemperata*, cp. 17-18, c. 5, an. 1580 sine loco.

142) Ps 109, iuxta numerationem Hebraeorum. 143) Ὑπομνήματα *in omnes Psalmos Davidis*, In explicatione versus 2 Auctor pluries et acriter defendit visibilitatem Ecclesiae contra eos, qui de Ecclesia *ideam platonicam* habent, Lipsiae 1563 (?). 144) Ibid. pag. 55.

145) Denzinger n. 86.

rato prope ad finem recenset [146] in symbolo Nicaeno, cum tamen per eas omnia etiam antiqua concilia veram Ecclesiam ab omnibus aliis sectis discreverint, maxime vero, uti ostendimus, a nota apostolicae successionis. Tam apte autem Ecclesiae notas assignant, quam si quis ad Romam indicandam diceret urbem esse quandam in orbe ex lapidibus aedificatam, multa aedificia complectentem multosque incolas, qui civitatem faciunt, continentem. Ineptum! Cui enim civitati ista non competunt? Describenda et notificanda est ab origine, a conditore, a loco, a situ, ab antiquitate, a dignitate, a potentia, ab imperio, quo non modo urbium omnium regina, sed totius propemodum orbis caput olim fuit, et nunc secundum Deum est. His enim indiciis signisque evidentibus distinguitur ab aliis orbis urbibus.

notas in concilio Const. recensitas; earum loco ineptas posuerunt,

Nunc autem quaenam, quaeso, haereticorum secta non usurpat sibi notas istas a sectariis positas? Dicam amplius quod tam apposite ex notis istis probant se esse de Ecclesia Christi, quam qui probarent esse se ex nobilissima regis alicuius familia ex eo quod homines sint habentes duos oculos, duas manus, duos pedes, sicut omnes qui sunt ex illa familia. Ridiculum! Num illi tantum sunt homines tales? Magis ridiculum, si ab ingenio et magnitudine animi hoc probarent.

quae ab omnibus aliis sectis usurpari possunt.

Ita hi a veritate doctrinae et veritate fidei, quod vere pureque credatur Evangelium, quasi a nota et signo infallibili probare volunt veram Ecclesiam. Sed quis praeter Deum videre potest corda hominum et scire, an vere credant? Ut mittam quod potest esse aliqua particularis ecclesia, quae sit revera ecclesia, et tamen nonnullo circa doctrinam fidei errore laboret, sicut ecclesia Corinthiorum a Paulo redarguta fuit de errore circa resurrectionem mortuorum, [147] et ecclesia Galatarum quod crederent una cum Evangelio servandam esse legem Moysi ad salutem consequendam. [148] Et tamen erant ecclesiae verae, non haereticorum, sed christianorum; haeresis enim, quae fidem destruit, non in simplici errore, sed in obstinata erroris defensione, in pertinaci perfidia consistit.

Sic inepte ponitur ut nota, quod pure credatur Evangelium; nam solus Deus potest hoc scire; et aliunde aliqua particularis ecclesia vera esse potest, etiamsi in aliquo erret; cum haeresis in pertinaci defensione erroris consistat;

Quod quidem etiam Lutherus docet in *Priori Commentario Epistolae ad Galatas*, exponens illud: *Ecclesiis Galatiae gratia... et pax:* [149] «Notabis, inquit, [150] hic ecclesias dici, quae tamen errore fidei pe-

quod ipse Lutherus docuit.

146) P. G. 43, 231. 147) Cf. 1 Cor 15, 12. 148) Cf. Gal 1, 6 sqq. 149) Cf. ibid. vrr. 2-3. 150) W. L. t. 5, f. 215a.

riclitabantur. Sed quia verbum et Baptismum habebant, recte ecclesiae vocantur ». Et hoc ipsum docet etiam in *Posteriori Commentario,*[151] ubi Romanam Ecclesiam sanctam dicit propter haec duo praesertim, cum aliis omnibus, quae ad veram Ecclesiam constituendam requiruntur.

Ergo falsa est haec nota, a Lutheranis ut maxime necessaria habita.

Nunc dico : Si potest esse vera Ecclesia, quae etiam in errore fidei periclitatur, sicut ecclesia Galatiae ; quomodo nota maxime necessaria est purum sincerumque evangelium, hoc est, fidei doctrina? Sufficit ut universalis Ecclesia sit absque ullo errore, cui dicitur : *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te,*[152] et quam Paulus dixit *gloriosam Ecclesiam non habentem maculam,*[153] hoc est, nullo circa doctrinam fidei errore notatam esse. Falsas notas dant nobis haeretici, quoniam veram Ecclesiam non habent, quam veris notis demonstrare possint.

Cum non possint Novatores ostendere legitimam ab Apostolis successionem, diverticula quaerunt, ut de Novatianis notat Cyprianus.

XIV. Ad probandam nobilitatem familiae sufficit ex tabulis incorruptae et indubitatae fidei genealogiam probare et originem a capite illius familiae per legitimam successionem demonstrare. Cum autem non possint Novatores nostri originem suam ab Apostolis per legitimam successionem, nisi more omnium haereticorum ostendere, diverticula quaerunt. De Lutheranis autem affirmare possumus quod D. Cyprianus in aureo libro *De Unitate Ecclesiae* asseruit de Novatianis : « Constat, inquit,[154] Novatianos cum corpore Ecclesiae non convenire, non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Et cum haereses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi adversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Rami[155] arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice firmatum ; sic Ecclesia ramos suos in universam terram extendit, unum tamen caput est et origo una ».

Iuxta Cypriani doctrinam Lutherus fidem non tenet, quia unitatem Ecclesiae inficiatur; et

In Lutherum autem, novae istius ecclesiae ex schismate et haeresi fundatorem, illud eiusdem Cypriani quadrat :[156] « Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit ? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit ? » Et illud :[157] « An

151) Ibid. f. 278ª. 152) Ct 4, 7. 153) Eph 5, 27. 154) P. L. 4, 509.
155) Ibid. col. 501-502. 156) Ibid. col. 500. 157) Ibid. col. 513.

esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit? Qui se a cleri eius et plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicae hostiae veritatem per falsa sacrificia profanare ».

est extra Ecclesiam, quia ipsi renititur.

Luthero autem et Lutheranis simul dicendum est quod Paulus *ad Corinthios ait: An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solos pervenit?*[158] Sic enim ex verbo Dei ad Lutheri mentem fabricaverunt sibi ecclesiam, sed sane ita, ut Vincentius Lirinensis de haereticis generatim ait,[159] « ut contenti non sint tradita semel et accepta antiquitus credendi regula, sed novam ac novam in diem quaerant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere ».

Luthero et Lutheranis dicendum est cum Paulo: *An a vobis verbum Dei processit?*

Igitur, ut concludamus, cum iuxta orthodoxorum Patrum communem sententiam illa tantum sit vera Ecclesia, quae una est ab unitate fidei et unanimi consensu circa dogmata et doctrinam fidei, quae sancta est ex fide, ex sacramentis et sanctis legibus et sanctitate vitae morumque multorum Christi in ea fidelium, « quae catholica est et catholica nominatur », ut Augustinus loquitur in libro *De Vera Religione*,[160] et tandem quae apostolica est, habens ab Apostolis legitimam ac minime interruptam successionem; manifestum est quod lutherana ecclesia, cum nec una, nec sancta, nec catholica sit, aut dicatur, nec ab Apostolis legitimam successionem habeat, ab omnibus Sanctis Patribus reiecta haereseosque damnata, et non Christi Ecclesia, sed satanae synagoga una cum aliis haereticorum sectis pronunciata fuisset.

Manifestum igitur est, quod lutherana ecclesia non est vera Christi Ecclesia, et ab omnibus Patribus ut haeretica damnata fuisset.

158) 1 Cor 14, 36. 159) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 666). 160) Cp. 7, ibid. 37, 128.

DISSERTATIO QUARTA

DISQUIRITUR AN LUTHERANA SECTA VERAM HABEAT CHRISTI FIDEM SINE QUA NON POTEST ECCLESIA ESSE VERA ECCLESIA [1]

Ecclesia non potest esse vera, nisi habeat veram Christi fidem;

I. Cum Ecclesia non sit aliud quam multitudo credentium, quorum sit *cor unum et anima una,* [2] manifestum est quod, sicut non potest esse verus homo secundum naturam nisi habeat veram animam rationalem, per quam corpori humano unitam constituitur homo, ita non potest esse vera Christi Ecclesia sine vera in Christum fide, per quam constituitur Ecclesia.

fides autem debet esse non *ficta*, sed sincera, *ex corde puro*;

Fides autem, quae Ecclesiam constituit facitque ut sit vera Ecclesia, non potest esse fides ficta, sed vera, quam Paulus *ad Timotheum* semel et iterum dicit fidem non fictam : *Finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [3] Et iterum : *Ut gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quae est in te non ficta.* [4] Quae utique illa est, quam Philippus ab eunucho requivisit, dicens : *Si credis ex toto corde,* licet te baptizari, [5] quam Petrus cum primis confessus fuit, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi,* et Dominus tantopere commendavit, dicens : *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* [6]

debet insuper esse *una*, idest, omnibus communis, ut requirit Paulus.

Vera autem fides nonnisi una tantum est, sicut unus tantum est verus Deus, unus Christus, sicut Paulus ait : *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma ; unus Deus et Pater omnium ;* [7] eademque communis est omnibus, qui revera christiani sunt, nec falsi sunt fratres. A Paulo nanque dicta est communis fides : *Tito,* inquit, *dilecto filio secundum communem fidem.* [8] Et *ad Romanos* ait : *Per eam, quae invicem est fidem vestram atque meam.* [9] Unam enim eandemque fidem Apostoli a Christo edocti et per Spiritum Sanctum instructi unanimi consensu, uno ore, universum per mundum praedicaverunt et in Apostolico symbolo tradiderunt.

1) Cod. 2, f. 305ᵃ-312ᵃ. 2) Act 4, 32. 3) 1 Tim 1, 5. 4) 2 Tim 1, 4-5. 5) Act 8, 37. 6) Mt 16, 16-17. 7) Eph 4, 5-6. 8) Tit 1, 4. 9) 1, 12.

Non consistit autem haec fides in cognitione Scripturarum; Christo enim et Apostolis praedicantibus multi crediderunt in Christum, cum Evangelium nondum esset scriptum. In die Pentecostes, praedicante Petro, tria millia hominum conversi fuerunt ad Christum Christique fidem susceperunt,[10] et paulo post alio die alia quinque hominum millia.[11] Et Paulus non scriptum, sed quod per revelationem acceperat,[12] Evangelium praedicavit *ab Ierusalem... usque Illyrium;*[13] et tam notum est quam quod notissimum innumeros esse utriusque sexus fideles, qui absque ulla Scripturarum cognitione ex animo et vero corde credunt in Christum.

Haec fides non consistit in cognitione Scripturarum, cum multi absque ea crediderint et credant vero corde;

Neque consistit in fide Scripturarum; multi enim credunt Scripturis Divinis, qui in Christum minime credunt. Rex Agrippa credebat Scripturis, sicut Paulus dixit ei: *Credis, rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis.* Nec tamen credebat in Christum; unde ad Paulum ait: *In modico suades me christianum fieri.*[14] Iudaei credunt Scripturis Veteris Testamenti; haeretici plerique omnes etiam Novi Testamenti Scripturas longe sacrosanctas habent; et tamen illi nec sunt, nec dicuntur christiani, hi autem licet dicantur, revera tamen non sunt christiani. Si enim christiani essent, veri non essent haeretici; haeresis nanque species infidelitatis est, et corruptio[15] ac privatio fidei est.[16] Quare tam vere haereticus christianus est quam vere homo mortuus, hoc est, cadaver, verus homo est; sicut enim rationalis anima forma est hominis naturalis, ita et fides forma est christiani.

nec consistit in fide Scripturarum, cum multi credant Scripturis et tamen non sint christiani;

II. Hinc a Sanctis et orthodoxis Patribus haeretici dicti sunt solo nomine christiani. Tertullianus in suis *Praescriptionibus* non semel aut iterum scribit haereticos non esse christianos.[17] S. Cyprianus *ad Iubaianum* ait:[18] «Haereticos, cum sint extra Ecclesiam Christi, vindicare sibi ecclesiam agereque more simiarum, quae cum homines non sint, homines tamen imitari volunt». Lactantius Firmianus ait[19] quod «haeretici christiani esse desierunt, qui, Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt».

et si dicantur, ut haeretici, sunt solo nomine, ut aiunt Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus

10) Cf. 2, 14-41. 11) Cf. ibid. 3, 11; 4, 4. 12) Cf. Gal 1, 12; 2, 2; Eph 3, 3.
13) Rom 15, 18. Vulg.: *Illyricum.* 14) Act 26, 27-28. 15) Cf. 2 Tim 3, 8.
16) Cf. 1 Tim 6, 5. 17) *Propositio 1*, cp. 14, (P. L. 2, 28); *Praescript. 7*, cp. 37, ibid. col. 51.
18) Ibid. 3, 1111. 19) *De Divinis Institutionibus*, lib. 4, cp. 30, ibid. 6, 542.

D. Hieronymus *in Luciferianos* ait[20] haereticos non esse Ecclesiam Christi, sed antichristi synagogam.

et Augustinus;

D. Augustinus in libro *De Fide et Symbolo* ait, quod haereticus non spectat ad Ecclesiam catholicam : « Credimus, inquit,[21] sanctam Ecclesiam utique catholicam ; nam et haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant, sed haeretici falsa de Deo credendo fidem violant. Quapropter haereticus ad Ecclesiam catholicam non pertinet ». Et *Adversus Cresconium Grammaticum* ait,[22] quod « haereticus nonnisi contrariae vel aliter interpretatae religionis cultor est, ut sunt Manichaei, Ariani, Marcionitae, Novatiani, ceterique, quorum inter se contra fidem christianam diversa sententia est ». Omnis itaque haereticorum quarumcumque sectarum sententia contra fidem christianam est. *Contra Epistolam Parmeniani* haereticos dicit christiano nomine dealbatos ;[23] et alibi scribit,[24] quod « diabolus movit haereticos, qui sub vocabulo christiano doctrinae resisterent christianae ». Et *super Epistolam Ioannis* ad illud :[25] *Nunc* autem *antichristi multi... sunt*, ait[26] omnes haereticos esse antichristos, tantum abest ut haeretici sint revera christiani.

qui insuper docet haereticum regnum Dei non possessurum, etsi aliunde bonus videatur.

Docet etiam alicubi Augustinus quod propter hoc unum quod haereticus homo sit, damnandus sit in aeternum, licet aliquando optimis moribus praeditus sit. Scribens enim *De Baptismo contra Donatistas*, ait :[27] « Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum aemulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed haereticum ; nulli utique dubium est, propter hoc solum quod haereticus est regnum Dei non possessurum ».

Accidit enim circa fidem quod circa legem Dei; *si quis offendat in uno, factus est omnium reus.*

Accidit autem circa fidem Christi id quod circa legem Dei, de qua ait Iacobus apostolus, quod *si quis... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ;*[28] ita si quis omnes Apostolici symboli praeter unum aliquem credat articulos, fidem amisit, haereticus est, si adest obstinata perfidia. Ita Au-

20) Ibid. 23, 182. 21) Cp. 10, ibid. 40, 193. 22) Lib. 2, cp. 3, ibid. 43, 469. 23) Lib. 1, cp. 9, ibid. col. 44. 24) *De Civitate Dei,* lib. 18, cp. 51, ibid. 41, 612-613. 25) 1 Io 2, 18. 26) *Tract.* 3, ibid. 35, 1998-1999. 27) Lib. 4, cp. 18, ibid. 33, 170. 28) 2, 10. Vulg.: *Quicumque.*

gustinus:[29] « Si quis falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinae, quae ad fidei pertinet aedificationem, ita ut non quaerentis cunctatione tentatus sit, sed inconcusse credentis; haereticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intus esse videatur ». Et D. Hieronymus, *in Rufinum* scribens, ait[30] quod « propter unum verbum aut duo, quae fidei contraria sunt, multae haereses abiectae sunt ab Ecclesia ».

Hinc Sadducaei ut haeretici habiti sunt;

Sadducaei in Sacris Litteris damnati sunt haereseos, quibus Dominus ait: *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei,*[31] quoniam dicebant [non] esse resurrectionem mortuorum: *Sadducaei* inquit Matthaeus, *dicunt resurrectionem mortuorum non esse,*[32] et Lucas *in Actis* ait: *Sadducaei... dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum neque spiritum;*[33] sane quia in lege Moyses aperte nihil dixerat de resurrectione mortuorum, de animae immortalitate et spirituali substantia post mortem, neque de creatione Angelorum.

sicut etiam Pharisaei; contra quos concilium Ierosolymitanum coactum fuit, ubi eorum haeresis iugulata est, licet contra apertas Scripturas aut symbolum Apostolicum nihil docerent.

Pharisaei autem, cum haec omnia crederent, dicti sunt haeretici *evertentes animas*, quoniam dicebant docebantque quod, nisi christiani ex gentibus conversi circumciderentur et servarent legem Moysi, non possent salvari. Contra quos coactum fuit ab Apostolis concilium Ierosolymitanum, ibique haeresis tunc primum exorta iugulata peremptaque fuit,[34] cum tamen in hac haeresi nihil esset contra expressum tunc temporis Dei verbum, neque quod articulis fidei in Apostolico symbolo contentis quidquam obstaret.[35] Hinc autem manifeste patet quantopere hallucinentur illi, qui autumant asseruntque non posse esse aut dici haereticos eos, qui Evangelio Divinisque Scripturis credunt, et nullum articulum symboli Apostolici inficiantur.

Lutherani non se existimant haereticos, quod symbolum Apostolicum

Et quidem hac de causa Lutherani existimant se minime omnium esse haereticos, quoniam ex symbolo Apostolico nullum unquam articulum expunxerunt,[36] et Evangelium Scripturasque Divinas maxime sacrosanctas habeant.[37] At vero, si hanc sequamur regulam, neque

29) *Quaest. in Matthaeum, Quaest. 11*, (P. L. 35, 1367). Migne loco: *Tentatus sit*, quae extant in editionibus antiquis, Venetiis 1550, t. 4, pag. 83, habet: *Temperatus sit*. 30) Lib. 3, ibid. 23, 474. 31) Mt 2, 29. 32) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Non esse resurrectionem*.
33) 23, 8. Cf. etiam Io. Flavius *Antiquitates Iudaicae*, lib. 18, cp. 2, pag. 514, Basileae Io. Frobenius. 1534. 34) Cf. Act 15, 24. 35) Cf. ibid. vrr. 1-21. 36) Phil. Melanchthon *Loci Communes*, part. 1, f. 149a, Witebergae 1580; *Confessio Augustana*, I. L. t. 4, f. 164b.
37) P. Balan *Acta Comparitionis Lutheri in Diaeta Wormatiensi*: « Quando ergo sacratissima Maiestas vestra, dominationesque vestrae simplex responsum petunt, dabo illud neque cornutum,

et Scripturas recipiunt; sed hoc pacto, nec Ariani, Nestoriani, etc. essent haeretici.

Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Donatistae, Pelagiani, aliarumque antiquarum haereseon dogmatistae et sectarii, neque neotericarum sectarum homines Calvinistae, Anabaptistae, Zwingliani, quos Lutherus damnavit,[38] erunt haeretici. Nam et hi quam maxime, Anabaptistas excipio,[38a] Sacras Litteras aeque ac Lutherani, vel magis etiam profitentur, easque exploratissimas habere se gloriantur.[39] Omnes enim, si verba tantum spectemus, Evangelium et symbolum Apostolorum integrum habent; etiam tamen ipsis, etiam Lutheranis haeretici sunt, a Luthero cum primis damnati cum omnibus suis Scripturis.

Haeretici semper in Scripturis fidem quaerunt; ideo, ut ait Tertullianus, semper sunt sine fide.

III. Haereticorum proprium est semper fidem in Scripturis quaerere, tanquam praeceptum Domini sit: *Scrutamini Scripturas, quia... ipsae testimonium perhibent de me.*[40] *Quaerite et invenietis.*[41] Sed cum semper in Scripturis quaerunt fidem, semper sunt sine fide. Quis enim sanae mentis homo thesaurum amplius quaerit, quem iam invenit et domi repositum habet? Ita Tertullianus in suis *Praescriptionibus* perstringit haereticos semper fidem in Scripturis quaerentes, dicens:[42] « Ut non inimici essent veritatis haeretici, ut de refugiendis eis non praemoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui et ipsi adhuc se quaerere confitentur? Si enim adhuc vere quaerunt, nihil adhuc certi deprehenderunt ». Et iterum:[43] « Cum enim adhuc quaerunt, nondum tenent; cum autem non tenent, nondum credide-

neque dentatum in hunc modum: Nisi convictus fuero testimoniis Scripturarum..., et victus sim Scripturis a me edoctis et capta conscientia in verbis Dei, revocare neque possum, neque volo quicquid ». *Monumenta Reformationis Lutheranae* ex tabulis S. Sedis secretis, fasc. 1, pag. 183, Ratisbonae, Fr. Pustet 1883. Cf. etiam Laiseri libellus, pag. 115; *Assert. Art. a Leone X Damnatorum*, W. L. t. 2, f. 94-95; *Comment. Post.* in *Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 288a-290b; Bucerus in epist. data die 19 Martii 1527 *ad bibliopolam B. Heerwagen* haec habet: « Utinam propius cognitus tibi esset Zwinglius et ecclesia cui ministrat; item Occolampadius... Scitote quamquam egregie vos suspiciamus, attamen tanto exactiore nos iudicio ad Scripturas Dei vestra exigere, quanto celebriore vos nomine mundus celebrat ». Schuler-Schulthess *Huldreich Zwinglis Werke*, B. 2, S. 92, not. c. Erste vollst. Ausgabe, Zürich 1830. 38) *Defensio Verborum Coenae Domini Contra Phanaticos Sacramentariorum Spiritus*, W. L. t. 7, f. 381 sqq.; Schuler-Schulthess *Huldreich Zwinglis Werke*, B. 2, S. 16-93; *Ultima Admonitio ad Io. Westphalum*, *Corp. Reform.* vol. 36, *Opera Calvini*, vol. 8, col. 9; *Kurtz Bekenntnis vom Heiligen Sacrament*, I. G. t. 8, f. 192 sqq.; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* W. L. t. 5, f. 409-410. 38a) I. Monius *Der Widerteuffer Lere aus Heiligen Schrift widerlegt*. In W. G. t. 2, f. 364. Cf. I. A. Möhler *Symbolik*, S. 461. 474-475, Mainz 1890. 39) Io. Calvinus *Institution de la Religion Chrestienne*, liv. 16, cp. 6-9, pag. 16-25; Schuler-Schulthess *Huldreich Zwinglis Werke*, B. 2, S. 16-93; Bolsecus *Vita Calvini*, cp. 13, pag. 39-41. Ex Gallico exemplari latine reddita, Coloniae, I. St. Soteris 1582. 40) Io 5, 39. Vulg.: *Illae sunt quae.* 41) Mt 7, 7. 42) *Propositio 6*, cp. 14, (P. L. 2, 27). 43) Ibid. col. 28.

runt; cum autem nondum crediderunt, non sunt christiani». Quod sane verissimum est; si enim fidem invenissent, non amplius quaererent. Nam «quid est invenire, inquit Augustinus,[44] nisi in id venire quod quaeritur?»

Sicut Iudaei in Scripturis Christum quaerentes nunquam inveniunt, quia non quaerunt qualem Deus promisit;

Dum autem fidem in Scripturis quaerentes haeretici eas negotiosissimo studio legunt, tractant, vertunt, interpretantur, exponunt, multisque commentariis, postillis, scholiis, adnotationibus illustrare satagunt, clamitantque et scriptitant ex solis Scripturis petendam esse veritatem; similes mihi esse videntur Iudaeis Sacras Litteras die nocteque versantibus et in eis Messiam frustra quaerentibus, nunquam autem invenientibus, sane quia Messiam quaerunt, non qualem Deus illis promisit, et qualem Divinae Scripturae secundum veritatem describunt et praedicant, sed qualem ipsi sibi confinxerunt et vellent, ac iuxta carnales affectus suos desiderant expectantque, et ita quidem nunquam invenient, sed tandem pro Christo antichristum recipient.

sic haeretici in Sacris Litteris fidem quaerentes non inveniunt, quia non quaerunt eam, quam Christus et Apostoli docuerunt;

Ita haeretici, cum iugiter fidem in Scripturis quaerant, nunquam invenire aliud quam haeresim possunt, quoniam non veram fidem, quam Christus docuit et Apostoli praedicarunt universum per orbem, quaerunt, sed quam ipsi sibi confinxerunt, et hoc tantum satagunt, ut Scripturas per vim ad suum ipsi sensum pertrahant et pervertant. Et ita sunt *semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes,*[45] iugiter illud in ore [habentes]: *Omnia probate, quod bonum est tenete.*[46] Ita semper Divinis Scripturis abutuntur, non attendentes ad illud quod Apostolus ait, *ad Timotheum* scribens: *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.*[47] Ita Lutherani semper sunt in exercitatione et perscrutatione Scripturarum, semper in fidei inquisitione infinita.

unius enim et certi non potest esse infinita inquisitio, ut ait Tertullianus.

«Unius autem et certi, inquit Tertullianus,[48] infinita inquisitio non potest esse; quaerendum est donec invenias, credendum ubi inveneris». Et item:[49] «Ubi erit finis quaerendi? Ubi statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit: *Quaerite et invenietis.* Apud Valentinum? Sed et Apelles hac me provocatione pulsabit».

44) *De Trinitate*, lib. 10, cp. 7, ibid. 42, 976. 45) 2 Tim 3, 7. 46) 1 Thess 5, 21.
47) 1 Tim 1, 8. 48) *De Praescriptionibus, Propositio 4*, cp. 9, (P. L. 2, 23).
49) Cp. 10, ibid. col. 24.

Ita haeretici semper in inquisitione versantur, nihil certi habentes;

Ita nunc ubi erit statio credendi? Ubi invenietur illud, quod a Christo institutum est ad credendum? Apud Lutheranos? Negabunt Zwingliani et Calviniani omnesque Sacramentarii. Apud Sacramentarios? Negabunt Lutherani aliique sectarii. Sic certitudinem fidei non habentes, semper in inquisitione versantur, infinitis dubitationum fluctibus agitati instar hominum, qui temere in navicula sine remige e portu solventes in medios scopulos syrtesque ad certissimum naufragium seipsos dedunt. Ubi Catholici veluti in portu secure degunt, dum in maiorum placitis firmiter acquiescunt. Certissime enim persuasi sunt, quod prudens antiquitas iam olim purissimam divinae fidei veritatem vel accurata inquisitione summaque indagine, uti in sacrosanctis conciliis, investigarunt, inveneruntque, vel antiquorum Patrum fideli traditione ab Apostolis acceptam per traducem doctrinae summa fide et integritate quod acceperant, nobis tradiderunt.

dum Catholici firmiter in placitis maiorum acquiescunt.

Ceterum Lutherus ipse damnavit Sacramentarios, qui negabant Christi praesentiam in coena, quamvis Scripturas et symbolum Apostolicum admitterent,

IV. Sed, ut sciant Lutherani religionem suam sane arundineo niti fundamento, dum ex eo contendunt se non esse haereticos, quod Divinas Scripturas habent et nullum Apostolici symboli articulum inficiantur; audiant Lutherum suum, isto ipso argumento nil prorsus obstante, Sacramentarios tanquam veros haereticos damnantem. In *Commentario Posteriori super Epistolam ad Galatas*, ad illud: *Modicum fermenti totam massam corrumpit:* [50] «Estque, inquit, [51] cautela, quam Paulus magnifacit. Debemus et nos eam magnifacere hac nostra aetate. Nam Sacramentarii, qui negant corporalem praesentiam Christi in coena, obiiciunt quoque hodie nobis, quod contentiosi, duri et intractabiles sumus, qui propter unum articulum de Sacramento scindamus christianam caritatem et concordiam ecclesiarum; non debere nos tanti facere hunc articulum exiguum, eumque incertum, neque satis ab Apostolis declaratum, praesertim cum alioqui de aliis christianae doctrinae articulis, qui magis necessarii sunt et maioris momenti, idem nobiscum sentiant, ut propter illum solum neque totius christianae doctrinae neque generalis omnium ecclesiarum concordiae rationem habeamus. Isto valde plausibili argumento non solum onerant nos apud suos, sed etiam multos bonos subvertunt, qui iudicant nos ex mera pertinacia, seu aliquo quodam privato affectu

50) Gal 5, 9. 51) W. L. t. 5, f. 409b-410a.

dissentire ab ipsis. Sed hae diaboli sunt invidiae, quibus non solum illum articulum, sed totam christianam doctrinam conatur evertere. Ad hoc ipsorum argumentum respondemus cum P a u l o : *Modicum fermenti totam massam corrumpit.* In philosophia modicus error in principio fit maximus in fine ; sic in theologia modicus error totam doctrinam evertit. Quare longissime discernenda sunt doctrina et vita. Doctrina non est nostra, sed Dei, cuius nos tantum sumus vocati ministri. Ideo ne apiculum quidem de ea remittere aut mutare possumus ».

dicens quod modicus error in theologia totam fidem evertit,

Multaque alia ad hanc rem ibi L u t h e r u s ; ubi etiam docet[52] quod « doctrina fidei instar puncti mathematici non potest dividi, hoc est, neque ademptionem neque additionem ferre potest » ; quod sit sicut oculus, de quo Dominus ait : *Lucerna corporis tui est oculus tuus ; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* [53] Additque quod I a c o b u s non ex suo spiritu, sed proculdubio ex auditu Apostolorum pulcherrime dixit : *Qui offenderit... in uno, factus est omnium reus.* Addit quod doctrina fidei debeat esse sicut circulus aureus omni ex parte integer, sine aliqua ruptura ; quae si accedat, non est amplius circulus. « Et quid prodest, inquit, [54] Iudaeis credere Deum unum eumque creatorem omnium, credere alios articulos et totam Scripturam Sanctam recipere, cum Christum negent ? *Qui* igitur *in uno offendit, factus est omnium reus* ».

et quod doctrina fidei est ad instar puncti mathematici.

V. Multo fusius autem argumentum istud L u t h e r u s tractat in libro, quem inscripsit : *Brevis Confessio de Sacramento adversus Schwermeros*, idest, *Sacramentarios*, ubi cum primis docet [55] « quod qui unum articulum fidei non bene credit, nullum prorsus bene credit, modo sit admonitus et instructus seria et vera fide. Et quisquis tam audax est, ut audeat Deum negare vel mendacii arguere in uno verbo, et facit hoc quidem proterve contra vel super illud, de quo semel aut bis fuerit admonitus aut instructus ; audebit etiam, facit etiam certe Deum in omnibus suis verbis negare et mendacii arguere. Propterea rotunde et clare ita est, quod vel totum creditur, vel nihil creditur.

Docet etiam quod qui unum articulum bene non credit, nullum credit,

et qui Deum in uno verbo mendacem facit, in omnibus mendacem facit.

« Spiritus Sanctus non patitur se dividi et disiungi, ut in unam

52) Ibid. f. 410ª. 53) Mt 6, 22. 54) W. L. t. 5, f. 410ª. 55) W. G. t. 2, f. 224ᵇ-225ª.

partem vere, in aliam vero falso doceat aut credere permittat, excepto ubi infirmi sunt, qui parati sint instrui et non pertinaciter contradicere. Alioquin si valere deberet, ut unicuique integrum esset unum articulum negare, alios autem veros existimare, cum tamen in fundamento sit impossibile, tunc nullus haereticus damnari posset, et nemo posset esse haereticus super terram. Omnes enim haeretici eius naturae sunt quod ipsi primo quidem ab uno tantum articulo incipiunt, postea vero oporteat eos omnes postliminio pernegare, quemadmodum anulus, si rupturam aut fissuram habeat, prorsus nihil valet, et veluti cymbalum, si uno in loco perrumpatur, sonare amplius non potest et est omnino inutilis.

Affert de hoc exemplum Arii, qui unum articulum de divinitate Christi negavit;

« Hoc autem exempla te doceant. Arius hunc tantum articulum suscepit quod Christus non Deus, sed creatura aliqua esset; omnes alios articulos et praesertim, quod Deus Pater unicus esset Deus creator coeli et terrae, quod Christus pro peccatis nostris mortuus esset, quod esset Baptismus, sacramentum clavis, resurrectio mortuorum et vita aeterna, devotius credebat, sicut verba sonant, atque alii veri christiani credunt. Sed perstat Sacra Scriptura, et testatur quod nullum articulum credidit; quoniam ita S. Ioannes ait: *Qui Filium negat, hic Patrem non habet; qui* autem *confitetur Filium*, hic *habet et Patrem.*[56] Quod si Arius nec Filium, nec Patrem habet, profecto nullum Deum habet, neque creatorem coeli et terrae, eique prodest nihil quod Deum Patrem creatorem coeli et terrae ore quidem fatetur et glorificat, licet non sit alius Deus creator coeli et terrae quam is, quem Arius suo mendaci ore nominat, quandoquidem ipsi Ario non est Deus, et unigenitum Filium eius negat blasphematque, quod non sit Deus. Et ita Baptismus non est ei amplius Baptismus, remissio peccatorum non est amplius ei peccatorum remissio, et Sacramentum non est amplius Sacramentum, hoc est, nil ei prodest amplius, licet prius recte baptizatus fuerit, et remissionem peccatorum ac Sacramentum recte perceperit. Et ita omnes articulos fidei amisit, dum verum Deum fidei, Christum negavit ».

sed negans Filium negavit et Patrem; hinc et Baptismum et sacramenta, etc.

Simili modo Lutherus

Simili modo Lutherus dat exemplum [57] de Macedonio Constantinopolitano episcopo, qui tantum Spiritus Sancti divinitatem

56) 1 Io 2, 23. Vulg.: *Qui negat Filium, nec Patrem habet..., et Patrem habet.* 57) W. G. t. 2, f. 225ᵃ.

negavit, omnes vero alios fidei articulos tenuit credidítque. Itemque de Nestorio, [58] eiusdem civitatis episcopo, qui in uno tantum articulo haereticus fuit, quod Christus Filius Dei non esset filius Virginis Mariae, et quod Virgo Maria nec esset, nec dici posset mater Dei. Et tandem concludit Lutherus [59] quod Sacramentarii et Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum et omnes articulos fidei amiserunt, quamvis falso et blasphemo ore nominent et fateantur, propter unicum istum articulum, quo Christum in Sacramento negant.

affert exempla Macedonii et Nestorii, concludens Sacramentarios esse haereticos, quamvis unum articulum negent;

Et ita quidem Lutherus perquam severe propter unum istum articulum tantum omnes Sacramentarios notavit haereseos, et pronunciavit haereticos, damnavitque. Ad hoc autem adducit [60] illud Pauli *ad Galatas: Testificor... omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae. Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis.* [61] Alludit ad haeresim Pharisaeorum, qui dicebant necessarium esse servare legem Moysi in Ecclesia Christi. Propter hunc autem errorem inquit Paulus, quod Galatae evacuati erant a Christo et a gratia exciderant, atque ita *modicum fermenti totam massam* fidei christianae in ipsis corruperat. Nec tamen error iste est expresse contra aliquem articulum Apostolici symboli.

citans ad hoc testimonium Pauli *ad Galatas* de haeresi Pharisaeorum.

Nunc, si Luthero etiam teste, propter unum tantum errorem damnati sunt et pronunciati haeretici Ariani, Macedoniani, Nestoriani et per ipsum etiam Zwingliani et Sacramentarii omnes, quia unus tantum error contra fidem totam fidem interimit, et *modicum fermenti totam massam corrumpit;* quomodo potest Lutheranorum secta, quae synopsis errorum et lerna [62] haeresum est, veram fidem habere?

Nunc, si isti, teste Luthero, sunt haeretici, magis haeretici erunt Lutherani, quorum secta est synopsis errorum;

VI. Cum de Lutheri doctrina agemus, ostendemus, [63] Deo dante, quam multas haereses foveat lutherana secta. Unum tantum urgendum in praesentiarum nobis est; inter articulos fidei non postremum locum tenet articulus de Ecclesia, quo dicitur: [64] «Credo sanctam

quod alibi ostendendum erit. Nunc hoc unum urgetur: Lutherani ad-

58) Ibid. 59) Ibid. f. 225^b. 60) Ibid. 61) 5, 3-4. 62) Idest, ingens malorum cumulus. Quod proverbium natum est ex eo quod Lernam, lacum Argivis ac Mycenis finitimum, ab omnibus purgamenta deferebantur. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 184. 63) Cf. *Dissert. 1-2*, lib. 2, sect. 3, *Dissert. 1-2, 5*, sect. 4; generatim in toto lib. 2. Cf. etiam *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 3*, pag. 224-237. 64) Denzinger n. 6.

mittunt articulum maximi momenti: Credo sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem.

Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem ». Non est, inquam, articulus hic de Ecclesia postremus, quoniam Dominus ait: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* [65] Et Paulus *ad Timotheum* tradit, quod *Ecclesia* sit *columna et firmamentum veritatis.* [66]

Sed quamnam Ecclesiam initio crediderunt?

Nunc dico: Creduntne Lutherani articulum istum? Credere se dicunt; alioquin ex Lutheri doctrina, si articulum hunc non crederent, nullum crederent nullamque prorsus fidem haberent. Sed quamnam ipsi Ecclesiam credunt? Profecto illam, quam Lutherus et primi Lutherani sectae istius auctores crediderunt; nam et ipsos oportuit hunc articulum credere, si non prorsus haeretici fuerunt et fidem penitus abnegaverunt. Sed quamnam, quaeso, Lutherus et primi Lutherani Ecclesiam crediderunt? Quam coluerunt? Quam audierunt, ne essent *sicut ethnici et publicani?*

Si nullam, iam hunc articulum non credebant;

Si nullam, profecto articulum hunc a symbolo Apostolico expunxerunt, articulum istum non crediderunt; neque enim Ecclesia est res imaginaria et ficta, sicut respublica Platonis, [67] sed res vera et consistens est: *Super hanc petram* inquit, *aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* [68]

si aliquam, quaenam fuit?

Si vero aliquam crediderunt, quae revera credenda, colenda et audienda etiam tunc erat, dicant nobis: Quaenam fuit Ecclesia, quam Lutherus cum primis iuxta hunc articulum credidit, cum suorum Lutheranorum sectam excitare coepit?

Si nulla tunc erat, nulla credenda erat.

Si enim nulla tunc erat, sed prorsus defecerat, nulla credenda erat; non falsum, sed quod verum est, ex fide credendum est; hinc nanque hebraice fides אֱמוּנָה [69] a veritate dicitur, quia non creditur nisi quod verum putatur. Deus autem, qui summa veritas est, non cogit ut falsa, sed tantum quae vera omnino sunt, fide credamus.

Quare si Lutherus nullam esse ecclesiam credidit, cum novam condidit;

Quare si Lutherus, cum novam sectam excitare coepit, nullam esse Ecclesiam credidit, quam coleret et audiret, articulum istum minime credidit, et contra verbum Christi, quod *veritas est* [70] *et in aeternum manet,* [71] Ecclesiam defecisse putavit. At si articulum istum de Ecclesia minime credidit nullamque esse Ecclesiam, quam crederet et

65) Mt 18, 17. 66) 1 Tim 3, 15. 67) Ex *Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensi, Opera Platonis* recognita et critice adnotata a Io. Burnet, t. 4, pag. 327-621, Oxonii e typographeo Clarendoniano. 68) Mt 16, 18. 69) Ms.: אמונה. Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum,* in hanc vocem. 70) Io 17, 17. 71) 1 Petr 1, 25. Vulg.: *Manet in aeternum.*

audiret, existimavit, quomodo non haereticus fuit? Et si eandem cum Luthero ecclesiam, hoc est, nullam, primi Lutherani crediderunt; quam, quaeso, ecclesiam Lutherani nunc credunt, qui nonnisi credunt, quam Lutherus et primi Lutherani cum ipso crediderunt? Ergo et ipsi nullam; sed credunt quam Lutherus et primi Lutherani condiderunt; falsam ergo credunt. Qui enim nullam ecclesiam crediderunt, et articulum hunc de Ecclesia minime tenuerunt, profecto nonnisi falsi christiani fuerunt. Falsi autem christiani quomodo veram Ecclesiam constituere potuerunt? Ideo non christianam, sed lutheranam condiderunt, hoc est, ut Hieronymus loquitur,[72] non Christi Ecclesiam, sed antichristi synagogam.

Ecclesiam defecisse putavit, articulum de Ecclesia non credidit et haereticus fuit. Per consequens etiam Lutherani haeretici sunt.

Nihilo itaque veriorem ecclesiam aut fidem habent Lutherani quam habuerint olim Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani aliique aliarum sectarum haeretici Manichaei, Donatistae, Pelagiani et alii quicumque sectarii; neque enim assignare potuit Arius ecclesiam, quam credebat, cum primum coepit novam haeresim excitare, et ideo egressus a vera Christi Ecclesia catholica, extra eam nonnisi falsam haereticamque ecclesiam antichristi fundavit.

sicut Ariani, Macedoniani, etc.

VII. Sed Lutherus audiendus est quomodo articulum hunc Apostolici symboli: « Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem », in suo *Maiori Catechismo* exposuit et declaravit. Verba textus sic habent:[73] « Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem », etc. In expositione autem nunquam dicit Ecclesiam catholicam, sed semper ecclesiam christianorum,[74] quasi Catholici non essent christiani. Et ita omnes evangelici vocem hanc catholicam expunxerunt a symbolo; oderunt enim hanc vocem, quae tanquam sudes in ipsorum oculis est, nam, sicut antea ex Vincentio Lirinensi diximus,[75] « catholicum est quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est ».[76] Lutherana autem ecclesia nec semper, nec ubique, nec ab omnibus christianis credita est, cum ante Lutherum nondum esset nata, sed ab ipso excitata fuit.

Sed Lutherus vocem catholicam suo modo explicavit, et Lutherani ex symbolo expunxerunt.

72) *Dialogus contra Luciferianos*, (P. L. 23, 182). 73) W. L. t. 5, f. 627^a. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum. 74) Ibid. f. 627^b-628^a. 75) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert. 3*, pag. 168-169. 76) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 640).

Contendit Lutherus illis verbis: Sanctorum communionem, designari congregatiunculam ex meris sanctis,

Contendit autem Lutherus additum esse « Sanctorum communionem » ad declarandum quid sit ecclesia christianorum, eo quod, in ecclesia scilicet, nonnisi sancti versantur. Ita autem declarat articulum : [77] « Credo in terris esse quandam sanctorum congregatiunculam et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo per Spiritum Sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu et sententia, multiplicibus dotibus exornatam, in amore tamen unanimem et per omnia concordem sine sectis et schismatibus ». Et subiungit : [78] « Horum me quoque partem et membrum esse constanter credo, omnium bonorum quaecumque habent participem et municipem Spiritus Sancti opera eo perductum, iisdemque uno corpore unitum per hoc quod verbum Dei audierim, atque etiam audio ; quod principium est in hanc communionem ingrediendi ». Itaque Luthero ecclesia aliud non est quam sanctorum congregatiuncula, constans ex mere sanctis, cuius ipse fuit pars et membrum per verbum Dei, quod audivit.

cuius ipse sit pars et membrum.

Sed ubi et quae erat haec congregatiuncula, cum ipse nullis ex existentibus iunctus fuit?

Sed dico : Ubi erat ista congregatiuncula sanctorum, cui ipse per verbum Dei, quod audivit, aggregatus fuit ? Quando Lutherus discessit a Romana Ecclesia, in mundo sub christiano nomine non erant nisi Romanae Ecclesiae addicti in Occidente, Graeci schismatici in Oriente cum nonnullis Nestorianorum et Eutychianorum reliquiis, et Hussitae in Boihemia. Lutherus a Romana Ecclesia discessit, Graecam non adiit, neque Hussitismum suscepit. Cui ergo christianorum congregationi iunctus et aggregatus fuit, quaenam fuit ecclesia, cuius, ut ait, se participem et municipem, partem et membrum constanter credidit ?

Confinxit Lutherus ecclesiam ex meris sanctis: Ecclesia autem est arca Noe, bonos et malos continens.

Sed confinxit ecclesiam ex meris sanctis coactam, quam universa antiquitas a Christo et Apostolis ad nos usque nunquam agnovit. Ecclesia enim vera arca est Noe, continens una cum mundis etiam immunda animalia ; [79] collegium virginum est et prudentum et fatuarum. [80] Quare ecclesia, quam Lutherus credidit, nonnisi commentum et figmentum est. Cum autem Lutherani eam ecclesiam credant, quam Lutherus credidit et docuit, profecto nonnisi fictitiam et commentitiam ecclesiam credunt et colunt, sicut olim Ariani, quibus etiam alia in re similes sunt.

77) W. L. t. 5, f. 628. 78) Ibid. 79) Cf. Gn 7, 1-9. 80) Cf. Mt 25, 1-13.

VIII. Solent haeretici plerique omnes esse in fide instabiles fidemque saepe mutare, cum tamen veritas una semper et immutabilis sit, sicut punctum centri in circulo. Inter haereticos autem circa doctrinam fidei magna est varietas et inconstantia, tot sententiae sunt quot capita, et quot sensus tot fides ; et sicut mutatur hominum sensus, ita et fides. Ita D. Hilarius *ad Constantium Augustum* arianum: « Miserabile, inquit,[81] est tot nunc fides existere quot voluntates, et tot nobis doctrinas esse quot mores, et tot causas blasphemiarum pullulare quot vitia sunt, dum ita fides describuntur ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur. Et cum secundum *unum Deum et unum Dominum et unum Baptisma* etiam *fides una* sit, excidimus ab ea fide, quae sola est; et dum plures fiunt, ad id coeperunt esse, ut nulla sit ». Haeretici sunt etiam instabiles in fide, ut notavit Hilarius

D. Athanasius in libro *De Synodis* agens de Arianis, ait:[82] « Quis igitur eos posthac christianos reputaverit ? Aut quaenam denique fides apud eos, apud quos nulla nec verba aut scripta robur habent, sed omnia pro tempore mutantur et transformantur ? » Suggillat autem Arianos vir sanctissimus et catholicae fidei propugnator acerrimus, quod saepe fidei formulas mutarent. Et, recitatis tribus Arianorum fidei formulis, ait[83] quod verum quidem « arbitrati sunt satis perfecte fidem suam conscriptam esse, utpote homines turbido fluctuantique animo, aliud Scripturae genus de fide post aliquot menses conficiunt »,[84] subiungitque quartam fidei ipsorum descriptam formulam ;[85] quare in uno solo concilio Antiochiae in *Encaeniis* celebrato, quattuor fidei diversas formas habuerunt.[86] Et his non contenti post triennium iterum coacto Antiochiae concilio, aliam adhuc fidei regulam condiderunt. Quare, ut S. Hilarius *ad Constantium Augustum* ait,[87] « annuas atque menstruas fides decernebant ». Ita sane haeretici *omni vento doctrinae* circumferuntur,[88] et *similes sunt fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.*[89] Sic summa inconstantia laborant circa fidem,[90] cum *a firmitate* fidei *insipientium errore traducti* exciderint.[91] et Athanasius, et ideo circumferuntur omni vento doctrinae.

Et hinc quidem natae sunt tot religiones. Theodoretus in Unde tot

81) Lib. 2, (P. L. 10, 566).
82) P. G. 26, 759.
83) Ibid. col. 719-723.
84) Ibid. col. 726.
85) Ibid. col. 727.
86) Ibid. col. 719-727.
87) Lib. 2, (P. L. 10, 567).
88) Eph 4, 14.
89) Iac 1, 6. Vulg.: *Similis est.*
90) Ms.: *Fide.*
91) 2 Petr 3, 17.

sectae exortae sunt; libris *De Haereticorum Fabulis* recenset [92] septuaginta sex diversas haereses usque ad sua tempora exortas; S. Epiphanius confutavit octoginta haereses; [93] D. Augustinus in libro *De Haeresibus* numerat haereses octoginta octo; [94] S. Ioannes Damascenus librum scripsit *De Centum Haeresibus.* [95] Post Damascenum autem usque ad nostra tempora multo plures exortae sunt, adeo ut ex haereticorum catalogis, quos nostro saeculo Bernardus Lutzemburgius, [96] Gabriel Prateolus [97] et Nicolaus Sanderus opera *De Visibili Monarchia* [98] texuerunt, supra ducentas et quidem diversissimas haereticorum sectas numeremus, et aliquando una haereticorum secta in plures dissecta reperitur propter doctrinae instabilitatem, sicut de ariana secta in ecclesiasticis historiis legimus; sed in lutherana secta experimur et oculis cernimus. Ex ea enim non modo Lutherani, qui Confessionistae dicuntur, verum etiam Zwingliani, Anabaptistae, Calviniani et nunc etiam novi Ariani et Trinitarii exorti sunt.

et aliquando una secta in plures divisa est, ut de lutherana cernimus.

Ipsique Lutherani inter se divisi sunt.

IX. Et ipsi etiam Lutherani in plures inter se longe dissentientes sectas divisi sunt, tantaque statim a suo exortu fuit in secta ista doctrinae inconstantia, ut inclytus Saxoniae dux Georgius dixisse aliquando feratur: [99] « Quid hoc anno evangelici nostri credant scio quidem, sed quid sequenti anno credituri sint, nescio ». Ita enim sapiens et pientissimus princeps Lutheranorum annuam fidem suggillabat.

Ex *Augustana Confessione* apparet inconstantia Lutheranorum, cum saepissime mutata sit.

Ex ipsa autem *Augustana Confessione*, quae Lutheranorum veluti symbolum et regula fidei est, tam notum est quam quod notissimum, quanta fuerit novorum horum sectariorum in doctrina fidei inconstantia atque lubricitas. Non enim semel atque iterum, sed pluries cocta atque recocta recusaque et saepe mutata renovataque nunquam eadem permansit; [100] adeo ut ne tritissima quidem regula Lesbia [101] tam

92) P. G. 83, 280 sqq. 93) Ibid. 41, 173 sqq.; 42, 9 sqq. 94) P. L. 42, 20-50. 95) P. G. 94, 677-779. 96) *Catalogus Haereticorum*, lib. 2 *Catalogi Haereticorum Prologus*, an. 1526, sine loco. 97) G. Prateolus (Marcossius) *De Vitis, Sectis et Dogmatibus Omnium Haereticorum*, Coloniae 1581. 98) *De Visibili Monarchia Ecclesiae*, lib. 7, pag. 433 sqq. Lovanii 1571. 99) Cf. St. Hosius *De Traditionibus Humanis*, op. omn. t. 1, f. 193ᵇ, Antuerpiae 1566. 100) Cf. L. Surius *Comment. Brev. Rerum in Orbe Gestarum*, pag. 190-191. 765, Coloniae 1598. 101) Regula Lesbia dicitur quoties non ad rationem factum, sed ratio ad factum accommodatur, et cum lex moribus applicatur, non mores ad legem emendantur; aut quoties princeps se populi moribus accommodat, cum e contra conveniat plebem ad principis arbitrium vitam instituere, si modo princeps ad honesti regulam ac scopum respiciat. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 333-334.

mobilis unquam fuerit atque *Confessio Augustana*, regula, inquam, fidei sectae Lutheranae. Ex hoc autem quod secta ista tam inconstantem, tam variam, tam mutabilem et saepe mutatam habet regulam fidei, cum tot sectis et schismatibus, tam multisque dissentientibus circa fidei causas longe gravissimas; manifestum est quod neque secundum definitionem ecclesiae a Luthero traditam, quod sit «congregatiuncula ex meris sanctis coacta, in una fide, absque ullis sectis et schismatibus», lutherana secta dici possit vera Ecclesia. Est sane Lutheri, quam de ecclesia tradit definitio, subtilis et optima, ex intima arte dialectices profecta, cuius genus quidem est: «congregatiuncula sanctorum», differentia vero: «ex meris sanctis coacta in una fide absque ullis sectis».

Ex quo patet quod nec secundum definitionem a Luthero traditam lutherana secta vera Ecclesia dici potest;

Sed forte imaginariam quandam ecclesiam definire constituit et idealem ad instar *Reipublicae* Platonis, vel sicut Cicero suum definivit oratorem,[102] et Xenophon principem,[103] aut Aristoteles suam potissimam demonstrationem.[104] Alioquin quinam sunt, quaeso, isti mere sancti in terris? At forte loquitur de sanctitate imputata, vel putativa, quae sanctitas meretricia est, modo meretrix habeatur honesta et casta. At si ita est, tam apta est definitio et tam adamussim competit definito, ut nihil latius pateat, quam animal vocale, bipes, optima est definitio hominis. Eadem enim definitio non tantum lutheranae, verum etiam et zwinglianae et anabaptisticae et calvinianae ecclesiae aeque conveniet, omnes enim hi putative sunt sancti.

nisi definire voluerit imaginariam ecclesiam, et de sanctitate imputativa locutus sit.

Sed mittamus ineptias. Non habet lutherana congregatio unam eandemque fidem, in eodem sensu atque sententia, sine ullis sectis et schismatibus. Ergo secundum Lutheri doctrinam non est Ecclesia, quae secundum hunc articulum: «Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem», credenda firmissime et constantissime Christianis omnibus est. Et cum sint multae Lutheranorum sectae: Antinomi, Osiandrini, Synergistae, Adiaphoristae, Flacciani, Maioristae, Substantiarii, Accidentarii, Ubiquistae, sed cum primis divisi in Lutheranos rigidos et molles; quaenam sectarum erit con-

Lutherana secta non habet unam fidem, in eodem sensu, sine ullis sectis; ergo non est vera Ecclesia.

102) *De Oratore*, lib. 1, vol. 6, pag. 20 sqq. 103) *De Cyri Institutione*, lib. 8, pag. 1-185 ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot 1878. 104) *Analytica Posteriora*, lib. 2, vol. 2, pag. 121–171, ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis 1848.

gregatiuncula ista sanctorum, ex meris sanctis coacta, absque ullis dissensionibus?

Dissensionum inter ipsos Lutheranos, testes nobis sunt ipsimet Lutherani: Nicolaus Gallus, Iac. Andräae,

X. Quam magna sit autem in doctrina fidei concordia inter Lutheranos, ipsimet testatum faciunt. Nicolaus Gallus in suis *Thesibus et Hypothesibus*, ait:[105] «Sunt inter nos non de levibus rebus dissensiones, sed de lege, de evangelio, de iustificatione, de bonis operibus, de sacramentis et usu ceremoniarum, quae quidem coire aut simul stare haud possunt». Iacobus Andräae *De Maiestate Christi Hominis*, in *Praefatione* ait:[106] «Non amplius, aut certe parum de verbis coenae litigatur, sed de his ipsis fidei articulis, qui sunt de incarnatione Verbi, de sessione Christi hominis ad dexteram Dei».

Nic. Selneccerus,

Nicolaus Selneccerus: «De publica, inquit,[107] discordia in ecclesia non est, quod interroges. Loquor autem non de ea discordia, quae nobis necessario cum papistis atque aliis haereticis intercedit sed de ea quae inter nos ipsos est, qui puram Evangelii doctrinam habere gloriamur. Mota enim sunt certamina atque rixae de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iusticia coram Deo, de libero arbitrio, de praesentia et participatione Corporis et Sanguinis Christi in coena, de humanitate Christi, de eius ascensione, de sessione ad dexteram Dei, de ubiquitate, de rebus aliis, ibi rixandi atque contendendi neque finis est neque ullus modus».

et Io. Petreius.

Ioannes Petreius in *Admonitione quod Fugiendi sunt Flacciani:* «In ecclesia, inquit,[108] nostra, schismata et dissensiones non exiguae ortae sunt, adeo ut etiam Saxoniae elector tali negotio se immiscuerit et colloquium Altemburgense instituerit, ut scilicet huiusmodi medio cum tali odio, scandalo et detrimento coniunctum dissidium consopiretur. Sed nihil omnino profuit; nam universum hoc colloquium non solum sine fructu dissolutum est, sed peiorem etiam

105) *Von Irthummen und Secten, Theses und Hypotheses, Beschlus*, F. 4, penultima pagina, Iehna 1558. 106) *Brevis et Modesta Apologia Capitum Disputationis de Maiestate Hominis Iesu Christi*, etc. epist. dedicatoria *ad Phaeuserum Ioh.*, quae loco *Praefationis* habetur, pag. 3-4, Tubingae 1564. 107) *Ad Psalmum 131.* Consuluimus Selnecceri opera: *Psalmi 129* et *7 Paenitentiales, Psalterii David lib. 6;* sed verba ab Auctore citata, nec alia eiusdem Selnecceri huius generis opera invenimus. Cf. tamen op. cit. infra in not. 109. 108) *Warnung, dass man das Schreien der Flacianer meiden soll.* Ita notatur apud Iöcher-Rotermund *Gelehrten-Lexicon*, B. 5; opus tamen non invenimus. Cf. opera nota sequenti citata.

inde statum omnis causa sortita est. Enimvero, ut negari nequit, inde in hisce regionibus ecclesiae miserandum in modum turbatae sunt, doctores divisi, auditores in dubium adducti et discordia in dies singulos magis magisque increbuit ».

Notum est dissidium inter theologos principis electoris et ducis Saxoniae in colloquio Altemburgensi;

Notum est autem quam magnum dissidium et controversia fuit in Altemburgensi colloquio [109] inter theologos principis electoris et theologos ducis Saxoniae circa articulum iustificationis; illis asserentibus bona opera necessaria esse ad salutem et impossibile esse absque bonis operibus salvari, itemque bona opera necessaria esse ad salutem non consequendam in iustificatione, sed retinendam ; istis autem omnino negantibus, ita ut in unam sententiam venire nequaquam potuerint. [110]

et notissima dissensio inter rigidos et molles.

Sed longe notissima est in gravissimis fidei articulis dissensio inter Lutheranos rigidos et molles, inter Flaccianos et Maioristas, inter ipsum Flaccium et Maiorem, ipsorum libris in invicem virulentissime scriptis testatissima. Quare supervacaneum erit plura hac de re dicere. Cum autem *non sit Deus, Deus dissensionis, sed Deus pacis,* [111] non potest Deus summus pacis et concordiae amator in domo tantarum discordiarum et dissensionum habitare. Ubi autem non habitat Deus, profecto domus Dei non est, non est vera Dei Ecclesia.

Igitur Lutheri secta non est vera Christi Ecclesia.

Non habent igitur Lutherani ecclesiam, quam per istum articulum credant, praeterquam quod articulum istum depravarunt, et Apostolicum symbolum sacrilege adulterarunt, et sua quasi cynosura [112] privarunt, mutata, idest, voce c a t h o l i c a in c h r i s t i a n a m. Et insuper Ecclesiam Christi per multas annorum centurias fere a saeculo S. Gregorii usque ad Lutherum pernegarunt, [113] Christum,

Insuper Lutherani articulum de Ecclesia adulterarunt, mutata voce *catholica* in *christianam.* Et cum Ec-

109) *Colloquium Altemburgense de Articulo Iustificationis* inter electoris et ducis Saxoniae theologos a 20 Oct. 1568 usque ad 9 Mart. 1569. Adiecti sunt et reliqui duo articuli, nempe *De Libero Arbitrio* et *De Adiaphoris,* sicut eos in continuatione *Colloquii* ducis Saxoniae theologi propositurí fuissent. Ienae 1570. Cf. etiam *Acta Colloquii et Synodi Altemburgensis,* B. 5, Ienae 1569-1570. Wittenberg 1570 (?), Lipsiae 1570. H. Heppe *Geschichte des Deutschen Protestantismus, Altenburg-Gespräch,* B. 2, S. 221 sqq. Marburg 1852 sqq. 110) Cf. L. Surius *Comment. Brev. Rerum in Orbe Gestarum,* pag. 764-765. 111) 1 Cor 14, 33. Vulg.: *Non... est dissensionis Deus.* 112) Cynosura, seu Ursa Minor, est constellatio quae septem stellis tota nocte splendentibus constat, quarum postrema stella polaris vocatur et noctu navigantibus iter commonstrat:

« Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.
... Sed nautis usus in hac est,
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe ».

Cf. Cicero *De Natura Deorum,* lib. 2, vol. 9, pag. 3013-3014. Metaphorice accipitur pro norma itineris, vel cogitandi aut credendi, ut est Ecclesia in rebus fidei. 113) *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum,* W. L. t. 7, f. 455ª.

clesiam Christi a S. Gregorio ad Lutherum pernegent, profecto testificantur se non Christi, sed antichristi ecclesiae credidisse.

de quo Gabriel ait: *Regnabit in domo Iacob in aeternum,* [114] facientes regem sine regno et sine ullo populo in mundo, cum dictum a Salomone sit: *In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia principis.* [115] Et quoniam asserunt catholicam Ecclesiam per multa saecula cultum idololatricum docuisse in sacrificio Missae, in adoratione Venerabilis Sacramenti, in cultu sanctarum imaginum et invocatione Sanctorum et, Christo abnegato, hosti ipsius antichristo militasse; profecto testificantur se non Christi Ecclesiam, quae credenda est, sed antichristi credidisse.

Sed et in alium fidei articulum: Credo remissionem peccatorum, deliquerunt; tenent enim post Baptismum manere peccatum;

Nec tamen in istum solum fidei articulum deliquisse reperiuntur Lutherani, verum etiam in sequentem: [116] « Credo remissionem peccatorum », dum cum Luthero suo credunt tenentque post Baptismum et regenerationem remanere secundum naturam revera in renatis peccatum, nec nisi reatum tolli, eo quod peccatum tantum non imputatur. [117] Quare ipsorum sententia non dimittitur, non tollitur peccatum, sed tantum tegitur, sicut in renatis remanet concupiscentia, quae ipsorum iudicio peccatum verissime est, sed non imputatur. [118] Atque ita mendacem faciunt Ioannem Baptistam dicentem: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* [119] mendacem Gabrielem, qui ait: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [120]

hinc Christum faciunt non verum, sed putativum redemptorem,

Nec credunt veram, sed falsam et putativam tantum remissionem peccatorum, et Christum non verum, sed falsum et putativum faciunt redemptorem et salvatorem, medicumque sane optimum, qui infirmum nonnisi imaginarie curet, nec nisi phantasticam tribuat sanitatem, latentem autem morbum licet sonticum et internecinum, diraque vulnera tuberaque purulenta incurata relinquat. Si ita Christus infirmos sanasset, leprosos mundasset, caecos illuminasset et mortuos suscitasset, quid, quaeso, aliud effecisset, nisi quod mundum signis et prodigiis mendacibus delusisset?

qui corporibus quidem veram sanitatem donare potuit, animabus vero fictitiam tan-

At boni isti viri volunt Christum corporibus quidem veram sanitatem donasse, animabus autem putativam tantum et fictitiam sanctitatem. O homines deplorandae phreneseos et revera fanaticos! Ergone iubemur credere Christum falsum redemptorem? Falsum

114) Lc 1, 32. 115) Prv 14, 28. 116) Denzinger n. 6. 117) *Assert. Art. 2*, W. L. t. 2, f. 102ᵃ-105ᵃ. 118) Ibid. f. 105ᵃ. 119) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum.* 120) Mt 1, 21.

illud : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum ?*[121] Falsam remissionem peccatorum ? Falsam salutem ? Et quando, quaeso, ab Apostolorum aetate Ecclesia Dei articulum istum, commentitia ista imputativae remissionis intellexit ? Quod si, quia habere se putant veram Ecclesiam fidemque, quia integrum habent Apostolicum symbolum, quoad verba licet non quoad sensum atque sententiam ; profecto ad hunc modum et Ariani et alii quique damnatissimi haeretici semper habuerunt et veram fidem et veram ecclesiam, nullique fuerunt haeretici.

tum sanctitatem; quod deplorandae phreneseos homines ostendit.

DISSERTATIO QUINTA

CUM LUTHERANORUM SECTA NON SIT SUPER PETRUM FUNDATA NEC ULLOS LEGITIMOS EPISCOPOS HABEAT NULLO MODO AUT ESSE AUT DICI ECCLESIA CHRISTI PRO VERITATE POTEST[1]

I. Cum Christus Dominus noster manifeste dixerit se supra Petrum fundaturum Ecclesiam suam, proculdubio non potest esse Ecclesia Christi, quae super Petrum fundata non est : *Ego*, inquit, *dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*[2]

Ecclesia Christi fundata esse debet super Petrum iuxta illud: *Ego dico tibi*, etc.

Lutherus, qui, ut supra in iudiciis de ipso diximus,[3] infausta illa stella est, quae de coelo cecidit, cuique data fuit clavis putei abyssi, unde fumus ascendit, quasi fumus fornacis magnae, et obscuravit solem et aerem,[4] ad obscurandum hunc locum nervos omnes intendit omnesque ingenii sui fontes effudit; negat[5] Petrum esse fundamentum Ecclesiae, quoniam Paulus ait Christum esse fundamentum, praeter quod nemo aliud potest ponere,[6] et ad hoc Augustinum adducit.

Lutherus autem negat, adducens Paulum et Augustinum.

121) Ps 71, 14.

1) Cod. 2, f. 313ᵃ-320ᵇ. 2) Mt 16, 18. 3) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 1*, pag. 48-49. 4) Cf. Apc 9, 1-2. 5) Cf. *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 62ᵇ-63ᵃ. 6) Cf. 1 Cor 3, 11.

Lutherum sequuntur omnes sectarii.

Lutherum omnes sectarii in unum sunt secuti, ut negent [7] Petrum fundamentum Ecclesiae, ne inde affirmare cogantur primatum Petri in Ecclesia Christi. Et ut maxime, inquiunt, [8] Petrus fundamentum Ecclesiae dictus sit, quid hoc ad Romanum Pontificem? Ubi Scriptura, qua Christus Romanum Pontificem in hac potestate Petri successorem facit? Aut ubi [9] testamentum Petri, quo Romanis Pontificibus potestatem hereditario iure legavit?

Erasmus primus omnium miratur textum Matthaei detortum esse ad R. Ecclesiam.

E r a s m u s R o t e r o d a m u s primus aetate Patrum nostrorum hunc lapidem movit, et in hunc M a t t h a e i locum scribens, miratur [10] detortum esse ad Romanam Ecclesiam, nititurque excusare Cyprianum et Hieronymum eo quod dixerint super Petrum fundatam esse Ecclesiam quasi esset paradoxum inauditum.

Exegesis textus Mat. 16, 18. Christus metaphorice loquitur, promittens Petro mercedem confessionis.

Et quod promisit, postea dedit illis verbis: *Pasce oves meas*, etc., constituens Petrum Ecclesiae rectorem et suum Vicarium.

Sic, sub metaphoris fundamenti et clavium, promittit Petro primatum Ecclesiae.

II. Quoniam vero metaphorice, vel, ut verius dicam, parabolice hic cum primis locutus est Dominus, ut teneamus Christi mentem atque sententiam, elucidandae nobis sunt locutiones hae figuratae. Et si cum viris veritatis studiosis nulloque contentionis oestro percitis agendum nobis esset, facile expediretur negotium. Hic nanque nihil tribuit Dominus Petro, sed tantum promittit insignis fidei et confessionis suae insignem mercedem et retributionem. Quoniam autem verax est Dominus [11] et in servandis promissis fidelissimus; [12] post resurrectionem suam, cum abiturus esset in coelum, tribuit Petro quod ante promiserat, cum ovium suarum ipsum pastorem constituit, semel, iterum, tertio dicens: *Pasce oves meas;* [13] *pastorem... episcopum animarum,* [14] hoc est, principem rectoremque Ecclesiae suumque Vicarium in Ecclesia tunc Petrum effecit. Quare idem est esse fundamentum ac esse caput, principem et rectorem Ecclesiae; quod enim est in aedificio fundamentum, quod molem totam sustentat, et in humano corpore caput; hoc est in republica princeps, rex in regno, in civitate supremus magistratus. Hic itaque Dominus sub metaphora fundamenti et clavium regni coelestis promisit [15] Petro Ecclesiae primatum supremamque post se auctoritatem et potestatem.

7) Cf. *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 63; Io. Brentius *Catechismus*, etc. pag. 682 sqq. 1551, sine loco; *Confessio*, etc. H. 4 sqq. Tubingae 1552. 8) *Assert. Art. 25*, W. L. t. 2, f. 106ᵃ-107ᵇ; *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, ibid. t. 5, f. 63ᵇ. 9) Ibid. 10) *Novum Testamentum iuxta Graecorum Lectionem*, t. 6, cp. 16, col. 88, ed. cit.
11) Cf. Io 8, 26; Rom 3, 4. 12) Cf. Dt 32, 4; Ps 144, 13; 1 Cor 10, 13; 1 Thess 5, 24.
13) Io 21, 15-17. 14) 1 Petr 2, 25. 15) Ms. repetit: *Dominus*.

Et merito quidem; nam cum Petrus primus fuerit, qui ex divina revelatione cognovit et confessus fuit Dominum regem esse regni coelestis, cum ait: *Tu es Christus*, hoc est, *rex*, *Filius Dei vivi*,[16] *divinitus unctus*, *rex coelestis* atque *divinus;* Dominus, tanquam rex declarans Ecclesiam fore coeleste suum regnum in hoc mundo, promittit ipsi Petro, qui primum regiam Christi dignitatem coelestem divinamque cognovit et confessus fuit, supremam sub se in hoc regno potestatem.

Et merito; nam Petrus primus agnovit Christi divinitatem et regiam dignitatem, ideoque Christus ei promisit primam post se dignitatem; neque hoc praeiudicat Christo, primario Ecclesiae fundamento.

Et hoc quidem moderatis ingeniis hominibusque veritati minime refractariis sufficere potest; neque enim in hunc modum intellecta praeiudicat Christo, Ecclesiae summo et primario fundamento, quod Petrus fundamentum, hoc est, caput et princeps Ecclesiae sub Christo dicatur. Nam et sub rege, qui regni totius supremum caput est, sunt etiam proreges, praefecti, provinciarum capita, et sub his praetores, capita civitatum, et in exercitu sub imperatore supremam potestatem habente sunt legati, qui imperatoris potestate funguntur et fiduciariam operam obtinent; sub his sunt tribuni, centuriones et alii in potestate constituti, qui habent sub se milites, et omnes militum capita et sunt et appellantur. Nec praeiudicat Christo regi, ut multi dicantur et sint in mundo reges, nec Christo pastori et episcopo animarum, ut alii in Ecclesia sint et dicantur ab ipso constituti Episcopi et pastores ovium Dei.

Ut evidentius hoc fiat, singula verba declaranda sunt.

III. Ad maiorem tamen veritatis lucem constitui locum hunc fusius per singula verba declarare; ita ut fiat luculenter perspicuum Petrum esse fundamentum Ecclesiae, ac proinde non posse esse veram Christi Ecclesiam eam, quae super Petrum fundata positaque minime est.

Haeretici vellent verba Christi de omnibus Apostolis accipi; sed ex circumstantiis patet soli Petro dicta esse;

Vellent haeretici,[17] primatui Petri plurimum infensi, dicta esse omnibus Apostolis, quae hic a Domino luce clarius uni Petro dicta esse perspiciuntur: *Beatus es*, inquit, *Simon Bar Iona*, *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum*,[18] etc. Quaeso an pluribus circumstantiis notarius aliquis,

16) Mt 16, 16. 17) *Assert. Art. 26*, W. L. t. 2, f. 107b; *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, ibid. t. 5, f. 63b; Io. Brentius op. cit. supra not. 7. 18) Mt 16, 17-18.

publicum instrumentum conficiens, aut maiori cum diligentia notare potuisset Petri personam, atque Christus hic fecit. Et tamen boni viri haec non Petro dicta esse volunt, sed Ecclesiae, cuius personam figuramque Petrus gerebat.[19] Sed Evangelium Petro dicta esse testatur, nulla personae aut figurae Ecclesiae mentione facta, ne quae sua nobis pro Dei verbo figmenta intrudant.

nam solus Petrus afflatus dicitur a Spiritu Sancto, solus respondit, et solus audit: *Beatus es*, etc.

Solus Petrus Christum confessus fuit, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi;* aliorum nemo respondit sicut ad priorem interrogationem: *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi*, inquit, *dixerunt: Alii Ioannem Baptistam*,[20] etc. Hic solus Petrus respondit, aliis omnibus tacentibus, cum vel ignorarent, vel non eis in promptu subveniret quid potissimum responderent, vel, quod verius puto, cum nullo tunc Spiritus Sancti particulari afflatu ad hoc essent affecti, nisi solus Petrus, propterea solus ipse audit: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.*

Licet enim aliquando os Apostolorum dicatur, hic tamen solus, nulla aliorum habita ratione, respondit.

Locutus igitur fuit ex afflatu Spiritus Sancti, ex revelatione divina, ceteris suo silentio consentientibus et approbantibus. Ac propterea dictum est a quibusdam Sanctorum Patrum, praesertim Chrysostomo[21] et Augustino[22] atque Hieronymo, Petrum[23] locutum fuisse ex persona omnium, vel pro omnibus respondisse et os Apostolorum fuisse, sicut alibi Petrum apud Ioannem locutum legimus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes, et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.*[24] Apud Matthaeum autem non ita locutum legimus, quasi qui sciret mentem aliorum nossetque quid illi responsuri essent, aut ab eis hanc demandatam provinciam accepisset ut ita responderet; sed, nulla aliorum habita cura, solus respondit ardentiori fide, ferventiori spiritu tanquam os, caput et princeps ceterorum.

Singularem Petri fidem Dominus singulari promissione donavit, dicens: *Tu es Petrus*, etc.;

Singularem igitur Petri fidem Dominus singulari encomio commendavit et singularis dignitatis et gloriae promissione donavit: *Tu*, inquit, *es Petrus, et super hanc petram*, etc. Alludit ad id quod Ioannes refert, nempe quod cum primum Petrus adductus fuisset ab Andrea fratre suo ad Christum,[25] sicut Iacob ab Angelo,[26] novum

19) Lutherus *Assert. Art. 26*, W. L. t. 2, f. 107; *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, ibid. t. 5, f. 63b. 20) Mt 16, 13-14. 21) *Hom. 54 in Matthaeum*, (P. G. 58, 533). 22) *Sermo 76*, cp. 1, (P. L. 38, 479). 23) *Comment. in Matthaeum*, lib. 3, cp. 16, ibid. 26, 123. 24) Io 6, 69-70. Vulg.: *Credidimus*. 25) Cf. ibid. 1, 40-42. 26) Cf. Gn 32, 28.

nomen accepit: *Tu es*, inquit, *Simon, filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* [27] Nunc autem nominis tunc impositi rationem explicat, dum ait: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Pluries autem a Paulo in epistolis *ad Corinthios* [28] et *Galatas* [29] appellatus est Cephas.

alludens ad nomen antea impositum: *Tu vocaberis Cephas.*

IV. Est autem כֵּיפָא [30] nomen syriacum, potius quam hebraicum. Reperitur tamen hebraice in plurali numero, semel quidem in libro *Iob:* [31] לִשְׁכֹּן חֹרֵי עָפָר וְכֵפִים, [32] *ad inhabitandum in cavernis terrae et petrarum*, et iterum apud Ieremiam: [33] וּבַכֵּפִים עָלוּ, [34] *ad petras*, sive *rupes*, *ascenderunt*. In chaldaica autem Divinarum Scripturarum paraphrasi saepissime invenitur, [35] et fere ubicumque in hebraico est nomen [36] סֶלַע, quod petram, saxum significat. Quod autem syriace [37] כֵּיפָא, graece est, ἀττικῶς [38] quidem, ὁ πέτρος, [39] sed ἡ πέτρα, κοινῶς, [40] communi lingua. Sed tam ὁ πέτρος quam ἡ πέτρα nonnisi saxum, cautem, lapidem significat. Quare idem est ac dicere: *Tu es saxum, et super hoc saxum aedificabo Ecclesiam meam.* Sed, cum utrumque nomen Graecis saxum significet, noster Interpres syriacum nomen Cepha, viro impositum, potius genere masculino Petrum dicere voluit, quam petram feminino genere. Sed quoniam idem est πέτρος et πέτρα, et posterius nomen communius est; quod prius Petrum dixerat, postea dixit petram: *Et super hanc petram*, pro *super quam petram aedificabo Ecclesiam meam.* Sic proculdubio Christus ipsum Petrum dicit petram ecclesiae fundamentalem, post se primarium fundamentum.

Quod nomen significat *saxum;*

unde verba Christi sic sonant: *Tu es saxum, et super hoc saxum*, etc. Quibus verbis evidenter constituit Petrum petram Ecclesiae fundamentalem post Christum.

Nam et alii Apostoli post Christum dicti sunt fundamenta Ecclesiae, ut Paulus *ad Ephesios* ait: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* [41] Et Ioannes in *Apocalypsi* ait quod coelestis

Nam etiam alii Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesiae;

27) Io 1, 42. 28) Cf. 1 Cor 1, 12; 3, 22; 9, 5; 15, 5. 29) Cf. 2, 9. 14.
30) Ms.: כיפא. 31) 30, 6. 32) Ms.: לשכן חרי עפר וכפים. 33) 4, 29.
34) Ms.: ובכפים עלו. 35) Cf. Io. Buxtorfius *Lexicon Hebraicum*, t. 2, pag. 544, ed. cit.
36) Ms.: סלע. 37) Ms.: כיפא. 38) Ms.: Αττιχως. 39) Ms.: Ο πετρος.
40) Ms.: Η πετρα, χοινως; sic et infra. 41) 2, 19-21. Vulg. habet: *Super fundamentum*, loco: *Supra fundamentum.*

Ierusalem habet *fundamenta duodecim, et in ipsis... nomina duodecim Apostolorum Agni.* [42] Hoc autem quid est, nisi quod Paulus ait quod *Christus in Ecclesia dedit primo Apostolos?* [43] Quod Apostolos constituit fundamenta, capita, principes Ecclesiae? Nam et Christo idem est esse fundamentum et esse caput Ecclesiae: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [44] *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* [45].

etiam principes fundamenta appellantur;

Principes in Sacris Litteris fundamenta sunt appellati: *Movebuntur omnia fundamenta terrae,* [46] ait Regius Vates. Et Michaeas: *Audiant montes iudicium Domini, et fortia fundamenta terrae.* [47] Habacuc autem regem Aegypti caput et fundamentum dicit: *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum eius usque ad collum.* [48] Et propterea Christus dictus est ab Isaia lapis positus *in fundamento Sion* [49] et a Psalmista lapis, qui *factus est in caput anguli,* [50] quoniam in Christo idem est fundamentum et caput principemque Ecclesiae esse. Cur ergo Petrus, qui a Christo manifeste institutus fuit pastor rectorque et princeps Ecclesiae, fundamentum dici non possit, cum nihil aliud sit fundamentum Ecclesiae per metaphoram, quam principem et rectorem esse?

et Christus ipse, quia in eo idem est esse fundamentum et caput Ecclesiae. Cur ergo Petrus, a Christo institutus pastor Ecclesiae, non potuit dici fundamentum?

Hanc autem fuisse in verbis hisce mentem Domini manifestius sequentia verba ostendunt: *Et tibi dabo claves regni coelorum;* claves enim signum quoddam sunt principatus et potestatis supremae. Hinc enim principibus, cum intra civitates suas recipiuntur, solent offerri claves civitatis a civibus in signum, quod recognoscant penes principem esse summam civitatis potestatem. Ita apud Isaiam legimus: *Dabo clavem domus David super humerum eius...; aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat.* [51] Loquitur de potestate, nam paulo ante dixerat: *Potestatem tuam dabo in manu eius; et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda.* [52] Ita in *Apocalypsi* dicitur Christus habere *claves mortis et inferni;* [53] et item: *Qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit; claudit et nemo aperit.* [54] Clavis itaque symbolum ac veluti hieroglyphicum potestatis est. Quare

Mentem Christi sequentia verba manifestant: *Et tibi dabo claves*, etc., quia *clavis* est symbolum potestatis.

Quare sub utraque metaphora

42) 21, 14. 43) 1 Cor 12, 28. Vulg.: *Posuit Deus in Ecclesia primum*, etc. 44) Ibid. 3, 11. 45) Eph 1, 22. 46) Ps 81, 5. 47) 6, 2. 48) 3, 13. 49) 28, 16. Vulg.: *In fundamentis.* 50) Ps 117, 22. 51) 22, 22. 52) Ibid. vr. 21. 53) 1, 18. 54) Ibid. 3, 7.

utraque metaphora Dominus Petro Ecclesiae suae principatum promisit.

Christus Petro promisit Ecclesiae primatum.

V. Et quidem Petrum fundamentum Ecclesiae omnes Sancti Patres uno ore loquuntur et Doctores antiquissimi. Origenes: « Vide, inquit, [55] magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino ». Tertullianus: « Latuit, inquit, [56] Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, *claves regni coelorum* consecutum? » Est autem notandus Tertulliani locus in libro *De Pudicitia*, ubi iterum, sic ut in libro *Adversus Marcionem*, [57] Petrum agnoscit fundamentum Ecclesiae. Et singulariter dicit in libro *De Pudicitia* [58] quod in Petro extructa est Ecclesia, idest, inquit, per ipsum. Acute dictum et, ut ego quidem arbitror, non minus vere.

Patres omnes et Doctores Petrum agnoverunt fundamentum Ecclesiae.

Tertullianus dicit in Petro aedificatam esse Ecclesiam

Nam, cum aedificandi verbum in Divinis Litteris multa significet, aliquando, quae propria verbi significatio est, fabricare, construere, cuius oppositum destruere est, ut: *Tempus aedificandi et tempus destruendi*, [59] ait Salomon; *Destrues et non aedificabis eos*, [60] ait David; *Aedificabo..., non destruam*, [61] ait Ieremias; *Si... quae aedificavi iterum... destruo*, ait Paulus *ad Galatas*; [62] at vero saepe metaphorice sumitur. Aliquando idem est ac creare, sic enim *aedificavit Dominus... costam... in mulierem*; [63] aliquando procreare, unde filii hebraice dicuntur [64] בָּנִים a verbo בָּנָה, quod est aedificare, quasi sint parentum aedificia. [65] Unde etiam familiae appellari solent domus, ut: *Audite... domus David*. [66] Sic legimus aedificasse Deum domos obstetricibus Aegyptiis, [67] aedificasse domum David, [68] aedificare domum fratri; [69] est enim fundare familiam.

quod verbum *aedificare* in Scripturis aliquando proprie accipitur pro *construere*;

aliquando metaphorice pro *creare*,

Aliquando est confirmare et constabilire, ut: *In aeternum misericordia aedificabitur in coelis*; [70] saepe saepius ad pietatem dictis aut factis promovere; unde Paulus: Potestas *data est*

confirmare,

55) *Hom. 6 in Exodum*, (P. G. 12, 329). 56) *De Praescriptionibus*, *Praescript. 9*, cp. 22, (P. L. 2, 34). 57) Lib. 4, cp. 13, ibid. col. 387. 58) Cp. 21, ibid. col. 1025. 59) Eccle 3, 3. Vulg.: *Tempus destruendi*. 60) Ps 27, 5. 61) 24, 6. 62) 2, 18. Vulg.: *Si enim quae destruxi... iterum aedifico*. 63) Gn 2, 22. 64) Ms.: בנים, postea: בנה. 65) Nm 24, 3; 1 Rg 24, 17. Cf. de his Io. Buxtorfius op. cit. in verbis: בָּנָ et בֵּן. 66) Is 7, 13; Ruth 4, 11; 1 Rg 2, 35; 2 Rg 7, 11; 3 Rg 2, 24. 67) Cf. Ex 1, 21. 68) Cf. 3 Rg 11, 38. 69) Dt 23, 9. 70) Ps 88, 3.

mihi in aedificationem..., non in destructionem. [71] Sic ait: *Omnia ad aedificationem fiant;* [72] sic: *Caritas aedificat.* [73] Praeter haec autem significat praedicare; unde Ieremiam missum praedicare legimus, ut destrueret et aedificaret.[74] Sic Paulus ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat,* [75] et alibi saepe. [76] Cum enim per praedicationem Evangelii homines ad fidem convertuntur et Ecclesiae uniuntur et incorporantur, instar lapidum in aedificio apponuntur a fabricatoribus; unde ait: *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Et ipsi tanquam lapides vivi coaedificamini* [77] *in templum sanctum Domino.* [78] Tandem, ne omnia prosequamur, significat etiam regere, gubernare; hinc in Evangelio principes synagogae a Domino dicti fuerunt aedificantes: *Nunquam legistis... lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli?... Cognoverunt* autem, inquit, principes *quod ad ipsos diceret.* [79]

praedicare.

regere, gubernare.

In Petro igitur et per Petrum Christus aedificavit Ecclesiam suam, et propter praedicationem, de qua Petrus ipse in concilio Ierosolymitano ait: *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere;* [80] et propter regiminis potestatem, qua pastor ovium Christi institutus fuit. Per Petrum aliosque sub Petro constitutos convertit gentes ad fidem et conversas congregatasque in unum regere et gubernare voluit.

In Petro igitur Christus aedificavit Ecclesiam, praedicatione et regiminis potestate; per Petrum et successores gentes conversas regere et gubernare voluit.

S. Cyprianus epistola *ad Quintum* ait: [81] « Petrum Dominus primum elegit, et super eum aedificavit Ecclesiam suam ». S. Epiphanius in *Ancorato:* [82] « Dominus constituit Petrum, Apostolorum primum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei aedificata est ». S. Hieronymus *in Matthaeum:* [83] « Secundum metaphoram petrae, inquit, recte dicitur ei: *Super te aedificabo Ecclesiam meam* ». Simili plane modo D. Ioannes Chrysostomus in *Matthaeum:* « Dominus, inquit, [84] ait: *Tu es Petrus et ego super te aedificabo Ecclesiam meam* ». S. Hilarius *in Matthaeum:* « O, inquit, [85] in

Haec interpretatio mirifice confirmatur a Patribus.

71) 2 Cor 10, 8. Vulg.: *De potestate nostra, quam dedit nobis Dominus,* etc. 72) 1 Cor 14, 26. 73) Ibid. 8, 1. 74) Cf. Ier 1, 10. 75) 1 Cor 3, 10. 76) Cf. Ibid. 3, 12. 14; Col 2, 7. 77) 1 Petr 2, 5. Vulg.: *Superaedificamini.* 78) Eph 2, 21. 79) Mt 21, 42. 45. Vulg.: *De ipsis,* loco: *Ad ipsos.* 80) Act 15, 7. 81) P. L. 3, 1107. 82) P. G. 43, 34. 83) Lib. 3, cp. 16, (P. L. 26, 117). 84) *Hom. 54,* (P. G. 58, 534). 85) Cp. 16, (P. L. 9, 1010).

nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae inferorum leges dissolveret! » S. Cyrillus Alexandrinus *in Ioannem:* « Nec Simon, inquit,[86] fore illi nomen, sed Petrus praedicit, vocabulo ipso commode significans quod in eo tanquam in petra lapideque firmissimo suam esset aedificaturus Ecclesiam ».

Et ne in referendis singulis Patribus multi simus, concilium Chalcedonense 630 Patrum longe celeberrimum,[87] Petrum appellat petram et crepidinem Ecclesiae catholicae,[88] et universa Latina Ecclesia a temporibus D. Augustini ex Ambrosio canit:[89]

a synodo Chalcedonense et ab Ecclesia latina.

« Hoc ipsa petra Ecclesiae
Canente, culpam diluit ».

Ex quibus Ambrosii versibus testatur D. Augustinus[90] Petrum dictum esse fundamentum Ecclesiae. Et Petrum Ecclesiae fundamentum Ambrosius alibi etiam dicit.[91]

Unus tantum Augustinus visus est negasse Petrum esse Ecclesiae fundamentum, maxime vero ubi retractat id, quod aliquando dixerat, super Petrum fundatam esse Ecclesiam. Revera autem non negat; ita enim loquitur:[92] « Dixi in quodam loco de apostolo Petro quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait:

Unus Augustinus visus est non admittere hanc interpretationem; revera tamen non negat,

Hoc ipsa petra Ecclesiae
Canente, culpam diluit.

Sed scio me postea sic exposuisse, ut semper hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed *tu es Petrus. Petra autem erat Christus.*[93] Harum autem sententiarum quae sit probabilior eligat lector ». Non itaque blasphemum aut falsum dicit Augustinus aut reprobat tanquam Christo iniuriosum quod Petrus dicatur fundamentum Ecclesiae, imo nec improbabile quidem, sed lectori integrum facit, ut eligat probabiliorem sententiam. Quod si syriacam linguam calluisset Augustinus, et scivisset Cepham nihil aliud significare quam petram,

sed liberam relinquit.

Dubium vero Augustini procedit ex

86) Lib. 2, (P. G. 73, 219). 87) Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 4, col. 979.
88) Mansi *Sacrorum Conciliorum Collectio*, t. 6, col. 1047, ed. cit. 89) P. L. 16, 1409.
90) *Retractationum*, lib. 1, cp. 21, ibid. 32, 618. 91) *De Fide*, lib. 4, cp. 5, ibid. 16, 628.
92) *Retractationum*, lib. 1, cp. 21, ibid. 32, 618. 93) 1 Cor 10, 4.

Ignorantia linguae syriacae.

advertisset profecto Dominum nihil aliud dicere voluisse quam: *Tu es petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* nec ita anceps in sententia ista fuisset.

Insistunt dogmatistae: Esto; sed quid hoc ad R. Pontificem? Respondetur: Primatus Petri convenit R. Pontifici ex legitima successione, et hoc sufficeret; sed pro haereticis fusius agendum.

VI. Sed esto, inquiunt novi dogmatistae, dictus sit Petrus a Christo fundamentum Ecclesiae; quid hoc ad Romanum Pontificem? Ad Romanam Sedem? Quid ad papatum? Hominibus minime protervis et haud refractariis brevis est facilisque responsio. Primatus Petri in Ecclesia Dei convenit Romano Pontifici per legitimam successionem tanquam legitimo heredi, sicut in Veteri Testamento quilibet summus sacerdos Aaroni legitime succedens, eandem quam Aaron habuit potestatem. [94] Sed, quoniam haeretici logomachi sunt et *pugnas* amant *verborum*, [95] ad veritatem rei huius ostendendam agendum fusius est.

Et primo quidem apud Patres perinde est Ecclesia super Petrum et super cathedram Petri fundata; ita Cyprianus.

Et in primis ostendendum apud orthodoxos Patres perinde esse Ecclesiam dici fundatam super Petrum et super cathedram Petri. D. Cyprianus in libro *De Unitate Ecclesiae* ostendit Ecclesiam fundatam esse super Petrum, dicens: [96] « Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico,* inquit, *quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* etc. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas.* Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas ». Et post pauca subiungit, docens Ecclesiam fundatam super cathedram Petri: « Hanc, inquit, [97] Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit? » Ita Cyprianus super cathedram Petri aedificatam Ecclesiam dicit, quam paulo ante super Petrum fundatam dixerat.

Hieronymus

D. Hieronymus, *ad Damasum Papam* scribens, de nomine hypostasis ita loquitur: [98] « Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio ». Non uno in

94) Cf. Hebr 7, 11-21. 95) 1 Tim 6, 4. 96) P. L. 4, 498-499. 97) Ibid. col. 500-501.
98) Epist. 15, ibid. 22, 355.

loco docet Hieronymus[99] super petram fundatam fuisse Ecclesiam; hic autem dicit fundatam super cathedram Petri. D. Augustinus in *Psalmo contra Partem Donati:* « Numerate, inquit,[100] sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae ».

et Augustinus.

Atque hinc est quod, sicut Petrus ita etiam cathedra ipsius, hoc est, Romana Ecclesia, dicta est fundamentum, radix et caput catholicae Ecclesiae. Et propterea D. Hieronymus postquam dixit: « Beatitudini tuae, hoc est, cathedrae Petri, communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio », subiunxit:[101] « Quicumque extra hanc domum, nempe fundatam super cathedram Petri, agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio ». Et postea Damasum Romanum Pontificem alloquens, ait:[102] « Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est ». Quid igitur de Lutheranis pronunciasset Hieronymus una cum toto orthodoxorum Patrum choro? Profani sunt, antichristi sunt.

Hinc sicut Petrus vocatus est fundamentum Ecclesiae, sic et ipsius cathedra, idest, Romana Ecclesia;

sic Hieronymus.

VII. Sed, ut haec veritas ad salutem tantopere necessaria magis magisque elucescat, ostendendum nobis est Petrum principem Apostolorum fuisse, totius Ecclesiae caput principemque secundum Christum et Romanae Ecclesiae Episcopum et Romanum Pontificem esse ipsius legitimum in principatu Ecclesiae successorem.

Ut veritas magis elucescat, ostendendum est Petrum fuisse caput totius Ecclesiae et R. Pontificem esse ipsius in primatu legitimum successorem,

Et quidem, quod spectat ad primatum Petri, nemo unquam ecclesiasticorum scriptorum orthodoxorum primatum Petri non agnovit, nullum in Ecclesia Dei concilium in Spiritu Sancto legitime congregatum. In oecumenica synodo Ephesina Apostolicae Sedis Legatus, Philippus nomine, coram Patribus ita professus fuit:[103] « Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est Sanctum Beatissimumque Petrum, Apostolorum principem et caput fideique columnam, Ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Iesu Christo Salvatore nostro humanique generis Redemptore coelestis regni claves accepisse »; cum paulo ante, frequente et plena synodo, dixisset[104] totius fidei ce-

ut ecclesiastici scriptores agnoverunt. Legatus Apostolicae Sedis in Ephesina synodo dixit hoc omnibus saeculis notum fuisse.

99) *Dialogus adversus Pelagianos*, lib. 1, Ibid. 23, 506. 100) Ibid. 43, 30. 101) Epist. 15, Ibid. 22, 355. 102) Ibid. col. 356. 103) Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 3, col. 626. 104) Ibid. col. 619.

terorumque Apostolorum omnium caput Beatum apostolum Petrum extitisse.

Leo Papa ait Dominum in Petro apostolicum principatum collocasse,

His affinia multa habet Leo Papa; saepe enim Petrum dicit beatissimum Apostolorum principem. Scribens *ad Dioscorum Alexandrinum*, ait: [105] « Beatissimus Petrus apostolicum a Domino accipit principatum et Romana Ecclesia in eius permanet institutis ». In alia quadam epistola: [106] « Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principatum collocaret, et ab ipso quasi quodam capite dona sua veluti in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii divini esse intelligeret, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere ». Ita ostendit vir sanctissimus et eruditissimus, ad Christi Ecclesiam minime pertinere eos, qui Petro tanquam membra capiti suo non subsunt. Idem in *Natali Apostolorum Petri et Pauli:* « Beatissimus, inquit, [107] Petrus, princeps apostolici ordinis ad arcem romani destinatur imperii». Et in *Anniversario Assumptionis suae ad Pontificatum:* [108] « Unus, ait, de toto mundo Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus ». Sic Petrum facit principem omnium pastorum Ecclesiae secundum Christum.

Gregorius Papa dicit Petro commissam fuisse totius Ecclesiae curam;

Similia habet S. Gregorius Papa, scribens *ad Mauritium Augustum:* « Cunctis, inquit, [109] Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum principi Petro apostolo totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre, amas me? Pasce oves meas* ». Et paulo infra: [110] « Ecce claves regni coelorum accipit, potestas ei ligandi et solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur ». Et alibi: [111] « Quis enim nesciat, inquit, sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam? » Et alibi adhuc: [112] « Petrus, auctore Deo, Ecclesiae sanctae principatum tenens appellatur ».

105) Epist. 9, (P. L. 54, 625). 106) Epist. 10, ibid. col. 629. 107) *Sermo 82*, cp. 3, ibid. col. 424. 108) *Sermo 4*, cp. 32, ibid. col. 149-150. 109) Epist. lib. 5, epist. 20, ibid. 77. 745. 110) Ibid. col. 746. 111) Epist. lib. 7, epist. 40, ibid. col. 899. 112) *Regula Pastoralis*, cp. 6, ibid. col. 36.

Sed ne dicant adversarii Leonem et Gregorium hac in re humani aliquid passos, cum fuerit uterque ipsorum Romanus Pontifex, audiant Augustinum *in Ioannem:* « Quis, inquit,[113] nesciat primum omnium Apostolorum esse B. Petrum? » Et alibi: [114] « Ecclesiae B. Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam, quod enim ad ipsum proprie pertinet natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves regni coelorum,* etc., universam significabat Ecclesiam ». Hoc est, repraesentabat, sicut rex universum regnum et magistratus universam rempublicam; quod quidem ipsemet Augustinus alibi visus est docuisse.

Augustinus affirmat neminem ignorare Petrum esse omnium Apostolorum principem,

qui universam repraesentabat Ecclesiam,

Agens enim de didrachma, quam Dominus exactoribus pro se et Petro dari iussit, [115] ita loquitur: [116] « Salvator cum pro se et Petro dare iubet, pro omnibus exsolvisse videtur, quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit caput eorum, ut pastor esset gregis dominici ». Et postea: [117] « Manifestum est, inquit, in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, [118] pro omnibus rogasse dignoscitur, semper enim in praeposito populus aut corripitur, aut laudatur ». Ita docet Augustinus in Petro contineri omnes fideles sicut continetur in praeposito populus, et in capite continentur membra.

et in ipso, in praeposito, omnes fideles contineri.

S. Ambrosius *in Lucam* Petrum dicit [119] amoris Christi vicarium, versans illud: *Petre, amas me? Pasce oves meas,* eumque dicit omnibus praelatum. Eusebius Caesariensis Petrum dicit [120] primum christianorum Pontificem. Cyrillus Ierosolymitanus ipsum vocat principem Apostolorum excellentissimum. [121] Et Cyrillus Alexandrinus ait [122] quod Petrus ut princeps et caput Apostolorum primus exclamavit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Ioannes Chrysostomus *in Matthaeum* ait [123] quod Dominus Petrum futurae Ecclesiae pastorem constituit; et postea ait [124] quod Ecclesiae pastor et caput homo piscator ignobilis fuit; et amplius [125] quod Petrum universo terrarum orbi Christus praeposuit. Et *in Ioan-*

Simili modo loquuntur Ambrosius,

Cyrillus Ier.

Cyrillus Alex.

Io. Chrysostomus.

113) *Tract. 66,* ibid. 35, 1788. 114) *Tract. 124,* ibid. col. 1973. 115) Cf. Mt 17, 23-26. 116) *Quaest. V. et N. Testamenti, Quaest. 75,* (P. L. 35, 2270). 117) Ibid. 118) Cf. Lc 21, 31-32. 119) Lib. 10, (P. L. 15, 1848). 120) *Chronicon,* an. 44, t. 4, f. 72ᵃ, Basileae 1542. 121) *Catechesis 2,* (P. G. 33, 407). 122) *In Ioannem,* lib. 12, ibid. 74, 747. 123) *Hom. 54,* ibid. 58, 534. 124) Ibid. 125) Ibid.

nem scribens, ait [126] Petro fratrum curam demandatam et orbem totum commissum. Et ita uno ore omnes Sancti Patres.

Duo tantum dissentire videntur, Cyprianus et Hieronymus, quorum sententiis haeretici abutuntur.

Duo tantum Cyprianus et Hieronymus dissentire videntur. Cyprianus enim *De Unitate Ecclesiae* ait: [127] « Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis ». Hieronymus autem, scribens *Adversus Iovinianum,* docere visus est [128] quod Ecclesia fundata sit super omnes Apostolos, quod ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidatur, quodque Apostoli omnes claves regni coelorum acceperunt. His Sanctorum horum Doctorum sententiis abutuntur haeretici, primatus Petri capitales inimici.

Sed perperam; nam Cyprianus in eodem loco ab adversariis citato dicit primatum Petro datum fuisse,

Sed utinam vellent intelligere veritatem! Eodem enim loco Cyprianus manifeste loquitur de primatu Petri, dicens: [129] « Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur ». Imo Cyprianus ibi solvit obiectionem istam haereticorum. Postquam enim allatis locis de primatu Petri ex Matthaeo: *Ego dico tibi quia tu es Petrus,* etc. et ex Ioanne: *Pasce oves meas,* inquit: [130] « Super unum illum aedificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas »; subiungit autem, sibi opponens: [131] « Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum,* [132] etc.; tamen, inquit, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, primatus Petro datur ».

docetque Apostolos pares quidem fuisse auctoritate praedicandi, etc.

Docet itaque Cyprianus quod, licet Apostoli omnes honore et potestate apostolatus pares fuerint, quod spectat ad auctoritatem praedicandi verbum Dei, conficiendi et administrandi sacramenta, dimittendi peccata et similibus; non tamen quoad potestatem regiminis super totam Ecclesiam. Propterea ait quod cathedram unam constituit, et quod Petro primatus datus fuit, cum prius omnes essent pares.

non autem potestate regiminis, quia primatus Petro datur.

Idem docet

Hoc ipsum et D. Hieronymus docere voluit; ait enim, de

126) *Hom. 88,* ibid. 59, 478-480. 127) P. L. 4, 500. 128) Lib. 1, ibid. 23, 247.
129) Ibid. 4, 500. 130) Ibid. col. 499. 131) Ibid. col. 499-500. 132) Io 20, 21-23.

Ioanne Evangelista verba faciens: [133] « Si virgo non fuit, cur ceteris Apostolis plus amatus fuit? At dicis: Super Petrum fundatur Ecclesia. Licet idipsum alio loco super omnes Apostolos fiat et cuncti *claves regni coelorum* accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat ».

Hieronymus, affirmans Petrum inter duodecim electum fuisse ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio.

Manifestum est igitur Petrum etiam Hieronymo constitutum fuisse caput Apostolorum et per consequens totius Ecclesiae. Hinc idem ipse Hieronymus in libro *De Viris Illustribus* Petrum appellat [134] principem Apostolorum. Omnes itaque Sancti et orthodoxi Patres ingenue fatentur Petrum petram, fundamentum, caput, principem pastoremque et Episcopum universalis Ecclesiae a Christo constitutum.

VIII. Nunc videndum an Romanae Ecclesiae Papa fuerit. Haeretici nanque eo impudentiae venerunt, ut dicant Petrum nec vidisse quidem aliquando Romam. [135] « Solent enim, inquit D. Hieronymus, [136] oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse quod nolunt ». Ridendus, non confutandus error. [137] Constans est omnium Doctorum, qui *in primam Petri Epistolam* scripserunt, sententia, epistolam illam ab Apostolo scriptam Romae fuisse. [138] Et cum ad calcem epistolae ait: *Salutat vos Ecclesia... in Babylone collecta,* [139] sub Babylonis nomine Romam figuraliter significasse, ut Hieronymus *De Viris Illustribus* ait in *Marco.* [140] Et Eusebius ex Papia, Aposto-

Videndum nunc an Petrusfu erit Papa Romanae Ecclesiae. Haeretici autumant Petrum nec vidisse quidem Romam; sed errant, nam constat 1 Petri epistolam Romae scriptam fuisse.

133) *Adversus Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 247). 134) Cp. 1, ibid. col. 607. 135) *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 63b. 136) *Adversus Luciferianos*, (P. L. 23, 174). 137) Praeter argumenta ab Auctore ad probandam commorationem S. Petri Ap. in Urbe allata, alia quaedam invicta et proferunt et contra adversarios defendunt S. R. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 1, lib. 2 *De Romano Pontifice*, cp. 2-4, pag. 298-303; A. Harnack *Die Chronologie der Altchristlichen Literatur bis Eusebius*, B. 1, S. 243, Anm. 1 et S. 709, Leipzig 1897 : H. Grisar *Roma alla Fine del Mondo Antico*, vol. 1, pag. 244 sqq. ; P. Monceaux *L' Apostolat de S. Pierre à Rome, Revue d' Histoire et de Litteratur Religieuse*, Paris 1910; P. Boeminghaus *Vom Grabe des Heil. Petrus*, etc. *Stimme der Zeit* 95, S. 261 sqq. Freiburg im Brg. (1918); Hans Lietzmann *Petrus und Paulus in Rom*, Berlin 1927; Besson *S. Pierre et les Origines de la Primauté Romaine*, pag. 60 sqq. Genève 1929. 138) Oecumenius *Comment. in Epist. 1 Petri*, (P. G. 119, 575-578); Theophylactus *Expositio in 1 Epist. Petri*, ibid. 125, 1251; S. Beda *Exposit. super 1 Epist. Petri*, (P. L. 93, 68). 139) 1 Petr 5, 13. 140) Cp. 8, (P. L. 23, 621).

lorum discipulo, refert [141] epistolam hanc Romae scriptam fuisse, quae tropice Babylon sit appellata. [142] Et quidem Ioannes in *Apocalypsi* Romam Babylonem dicit magnam, quae sedet supra septem montes et habet imperium super reges. [143]

Petrum vero fuisse R. Ecclesiae Episcopum ex scriptoribus ecclesiasticis facile probatur. Testes sunt: Augustinus, Hieronymus,

Fuisse autem Petrum Romanae Ecclesiae Episcopum apud omnes ecclesiasticos scriptores tam notum ac certum est quam quod notissimum atque certissimum. D. Augustinus *in Petilianum* scribens: « Cathedra, inquit, [144] tibi quid fecit Ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit et in qua hodie Anastasius sedet? » D. Hieronymus *De Viris Illustribus* de Petro ait [145] quod « ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram pastoralem tenuit ». Eusebius Caesariensis in

Eusebius Caesariensis,

Chronicon: « Petrus, inquit, [146] natione Galilaeus, christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans, viginti quinque annis eiusdem urbis episcopus perseverat ». Et in sua *Historia* agit de martyrio Petri et Pauli Romae sub Nerone consummato; ubi ait: [147] « Horum testimonium quaerere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in hodiernum et splendidissima eorum monumenta testentur ».

Ambrosius,

S. Ambrosius ipse inquit: [148] « Auctor est nobis huius assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiae Romanae ».

Optatus Milevitanus,

Optatus Milevitanus: « Negare, inquit, [149] non audes scire te in Urbe Petro primum cathedram episcopalem esse collatam ». S.

Cyprianus,

Cyprianus Romanam Sedem dicit cathedram Petri: « Navigare audent, inquit, [150] ad Petri cathedram et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est ».

Tertullianus,

Tertullianus, de Romana Ecclesia loquens, ait: [151] « Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt! Ubi Petrus passioni dominicae adae-

141) *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 15, (P. G. 20, 174. 142) Cf. Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 3, cp. 13, (P. L. 2, 339); *Adversus Iudaeos*, ibid. col. 620; S. Hieronymus *Contra Iovinianum*, lib. 2, ibid. 23, 337-338; S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 18, cp. 2, ibid. 41, 560; Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 15, (P. G. 20, 174). 143) Cf. 17, 5. 9. 18. 144) Lib. 2, cp. 51, (P. L. 43, 300). 145) Cp. 1, (P. L. 23, 607). 146) Lib. 2, an. 40, (P. G. 19, 539). Verba illa: « Christianorum primus Pontifex », inveniuntur tantum in *Interpretatione S. Hieronymi Chronicae Eusebii*, an. 41, (P. L. 27, 39-40. 578). 147) Lib. 2, cp. 25, (P. G. 19, 207-210). 148) *De Sacramentis*, lib. 3, (P. L. 16, 433). 149) *De Schismate Donatistarum*, lib. 2, ibid. 11, 947. 150) Epist. 12, ibid. 3, 818-821. 151) *De Praescriptionibus*, *Praescript.* 7, cp. 36, ibid. 2, 49.

quatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur! » Et alibi *in Marcionem* scribens, ait: [152] « Romanis Evangelium Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt ». Et in *Carminibus* adversus eundem ita canit: [153]

> « Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum
> Maxima Roma Linum primum considere iussit ».

Irenaeus.

S. Irenaeus, Apostolis valde vicinus: « Cum Petrus, inquit, [154] et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam ». Et Romanam Ecclesiam dicit [155] maximam, antiquissimam et omnibus cognitam a Beatis apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam.

Hegesippus.

Hegesippus *De Excidio Ierosolymitano* scribens, prolixe narrat [156] historiam passionis Petri et Pauli Romae sub Nerone, et ita primitivae Ecclesiae omnes orthodoxi Patres et totus christianus orbis. Nemo enim repertus est a prima nascentis Ecclesiae aetate usque ad annum Domini 1400, qui hac de re dubitarit.

Primus qui hoc negavit fuit Gulielmus praeceptor Wicleffi; post hunc Lutherus; sed quid unus contra omnes?

Primus omnium, ut Thomas Waldensis scribit, [157] Gulielmus quidam fuit Ioannis Wicleffi praeceptor, qui asserit Petrum apostolum neque Romae episcopum fuisse, neque ibi praedicasse. Post hunc Martinus Lutherus in *Symposiacis Colloquiis* oraculum Apollinis edidit, dicens: [158] « Omnes historiae testantur Petrum primum Romae fuisse episcopum. Sed merae sunt fabulae ». Ismael est, *unus contra omnes*; sed et *omnes contra unum*. [159] Est autem vulgatum proverbium: Dictum unius, dictum nullius. Sufficiat nobis quod omnes historiae testantur Petrum Romae fuisse episcopum.

Romanum vero Pontificem esse legitimum Petri in primatu successorem omnes item Patres agnoverunt.

IX. Sed, ut concludamus, tandem quod principale est nunc ostendendum, nempe Romanum Pontificem legitimum esse Petri successorem, ac proinde totius Ecclesiae caput summumque secundum Christum moderatorem. Hoc enim est quod haereticos omnes maxime omnium male habet, cum tamen omnes orthodoxi Patres veritatem hanc et agnoverint, et palam confessi et professi fuerint.

152) Lib. 4, cp. 5, ibid. col. 366. 153) Lib. 3, cp. 9, ibid. col. 1077. De authenticitate huius operis cf. n. 94, *Dissert. 3*, sect. 2, pag. 131. 154) *Contra Haereses*, lib. 3, cp. 1, (P. G. 7, 844-845). 155) Cp. 3, ibid. col. 848. 156) Lib. 2, cp. 2, (P. L. 15, 2068-2070). Apud Migne S. Ambrosio attribuitur. 157) *Doctrinale Antiquitatum Fidei Ecclesiae Catholicae*, t. 1, lib. 1, art. 1, pag. 155-157, Venetiis 1571. 158) Non potuimus invenire in ulla editione Lutheri *Mensalium Colloquiorum* hunc textum ab Auctore citatum; extat tamen aliqua allusio in *Assert. Articulorum*, etc. Lutheri, W. L. t. 2, f. 115^b. 159) Gn 16, 12.

Hoc docuerunt Bernardus,

Et ut mittam Bernardum, qui *De Consideratione ad Eugenium Romanum Pontificem* ait[160] quod Romanus Pontifex sit sacerdos magnus, summus Pontifex, princeps Episcoporum, heres Apostolorum, potestate Petrus, unctione Christus, et item quod pastor sit et omnium Christi ovium et omnium pastorum; mittam etiam S. Anselmum, qui, Urbano Papae dedicans librum *De Incarnatione*, in epistola nuncupatoria ipsum dicit[161] patrem universalis Ecclesiae et Summum Pontificem; D. Augustinus non uno tantum in loco docet Romanos Pontifices esse Petri successores. Scribens *Contra Epistolam Manichaei, quam Fundamenti dicunt:* « Tenet me, ait,[162] in Ecclesia catholica ab ipsa Sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum ». Et alibi: « Vere, inquit, [163] et salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Petro enim successit Linus ». Et sic numerat omnes Romanos Pontifices usque ad Anastasium, « qui nunc, inquit, [164] eandem cathedram sedet ». Et in *Psalmo contra Partem Donati:* [165] « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede et in ordine illo Patrum quis cui successit videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae ».

Anselmus, Augustinus,

Hieronymus,

S. Hieronymus *ad Damasum Papam:*[166] « Petri cathedram, inquit, et fidem apostolico ore laudatam[167] consulendam censui ». Et item:[168] « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, hoc est, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio ». Optatus Milevitanus *Adversus Parmenianum:* [169] « Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primum cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus ». Et postea: « Ergo, inquit, [170] cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus ». Et ita numerat Petri successores Romanos Pontifices usque ad Syricium, qui post Damasum papa fuit.

Optatus Milevitanus,

160) Lib. 2, cp. 8, (P. L. 182, 751). 161) Ibid. 158, 261. 162) Cp. 4, ibid. 42, 175. 163) Epist. 53, cp. 1, ibid. 33, 196. 164) Ibid. col. 197. 165) Ibid. 43, 30. 166) Epist. 15, ibid. 22, 355. 167) Cf. Rom 1, 8. 168) Epist. 15, (P. L. 22, 355). 169) *De Schismate Donatistarum*, lib. 2, (P. L. 11, 947). 170) Ibid. col. 947-949.

S. Cyprianus, scribens *ad Antonianum:* « Cum, inquit, [171] Fabiani locus, idest, locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret ». Et Tertullianus *Adversus Marcionem* ait [172] ad hanc rem: Cyprianus. Tertullianus.

« Constabat pietate vigens Ecclesia Romae
Composita a Petro, cuius successor et ipse
Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus ».

Ubi Romanorum Pontificum successorum Petri recenset catalogum usque ad Anicetum a Petro. [173] Dixerat autem paulo ante: [174]

« Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere fecit,
Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis,
Huius Anacletus successor sorte vocatus ».

pulcherrime vero S. Irenaeus dicens, ad R. Ecclesiam propter principatum et fidem ab Apostolis traditam, necessarium esse omnem convenire Ecclesiam.

S. Irenaeus, *Adversus Haereticos* scribens: « Traditionem, inquit, [175] Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos ». Et postea: « Sed quoniam, inquit, [176] valde longum esset in hoc volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annunciatam [176a] hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim », notent Lutherani quid vir sanctissimus et doctissimus dicat, « Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est, ea, quae ab Apostolis est, traditio. Fundantes igitur et instruentes Beati Apostoli Ecclesiam Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt ». A Petro autem recenset [177] omnes Romanos Pontifices usque ad Eleutherium, qui duodecimo loco ab Apostolis tenuit episcopatum. Et ita quidem Irenaeus ostendit Romanos Ponti-

171) Epist. 10, ibid. 3, 772-773. 172) *Carmina*, lib. 3, cp. 9, ibid. 2, 1078. Cf. supra not. 153. 173) Ibid. 174) Ibid. col. 1077. 175) Lib. 3, cp. 3, (P. G. 7, 848). 176) Ibid. col. 848-849. 176a) Ms.: *Annunciamus*. 177) Ibid. col. 849-851.

fices legitime electos Petri successores legitimos esse. Hinc manifestum est quid I r e n a e u s senserit de hominibus, qui cum Romana Ecclesia non conveniunt.

Sanctis enim Patribus idem fuit catholicum esse et cum R. Pontifice communicare; ut habet S. Cyprianus,

X. Sanctis enim Patribus idem fuit catholicum esse et cum Romana Ecclesia et Romano Pontifice communicare. Hinc C y p r i a n u s *ad Cornelium Papam*, agens de iis quos oportebat eiusdem Pontificis communioni coniungere, ait: [178] « Scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ». Et *ad Antonianum* inquit: [179] « Scripsisti ut exemplum earundem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut, deposita omni sollicitudine, iam sciret te secum, hoc est, cum catholica Ecclesia communicare ». Et in epistola *ad Magnum* docet [180] Ecclesiam esse apud Cornelium Romanum Pontificem, qui Fabiano legitima ordinatione successit, non apud Novatianum, qui, nemini succedens, a seipso factus erat episcopus.

S. Ambrosius,

S. A m b r o s i u s oratione *De Satyro Fratre:* « Advocavit, inquit, [181] ad se Episcopum; nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo utrum cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret ». Et S. H i e r o n y m u s in *Apologetico adversus Rufinum:* « Fidem suam, inquit, [182] quam vocat? Eamne qua Romana pollet Ecclesia? An illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit; ergo catholici sumus ». Et olim, ut G r e g o r i u s T u r o n e n s i s, [183] Gregorii Magni synchronos, Ariani Catholicos Romanos vocitabant. Itaque hac una tessera, hoc symbolo Catholici ab haereticis internoscebantur. Propterea H i e r o n y m u s *ad Damasum* aiebat: [184] « Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est ». Et: [185] « Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio ».

S. Hieronymus.

Ipsis Arianis communicare cum R. Pontifice tessera erat, qua Catholici ab haereticis dignoscebantur.

Ergo lutherana secta, cum non sit

Cum igitur Lutheranorum secta super hanc petram fundata non sit, non potest ad Christi Ecclesiam pertinere neque ad Christum, sed ad antichristum spectat. « Qui enim cum Romano Pontifice non

178) Epist. 4, (P. L. 3, 710). 179) Epist. 10, ibid. col. 763. 180) Ibid. col. 1140. 181) *De Excessu Fratris Sui Satyri*, ibid. 16, 1306. 182) Ibid. 23, 400. 183) *Miraculorum*, lib. 1, cp. 25, ibid. 71, 726. 184) Epist. 16, ibid. 22, 359. 185) Epist. 15, ibid. col. 355.

colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antichristi est; et quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; et si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio ». [186] Non possunt esse oves Christi quae non pascuntur a Petro, cui Dominus dixit: *Pasce oves meas.*

In hac petra fundata, ad Ecclesiam Christi non pertinet; nec Lutherani sunt oves Christi.

Hinc Romanus Pontifex non modo a Bernardo dictus est [187] pastor pastorum, verum etiam ab antiquissimo Tertulliano appellatus est episcopus Episcoporum. [188] A Stephano episcopo Carthaginensi in epistola scripta *ad Damasum Papam* nomine trium conciliorum Africae Romanus Pontifex nuncupatur: [189] « Beatissimus Dominus et apostolico culmine sublimatus, pater Patrum et summus omnium praesidum Pontifex ». Et in concilio Chalcedonensi Ecclesia Romana dicitur caput omnium Ecclesiarum et Romanus Pontifex nuncupatur beatissimus et apostolicus vir et universalis Ecclesiae Papa. [190] Et in eodem concilio Aetius Nicopolis episcopus Leonem Romanum Pontificem vocat Dominum nostrum et sanctissimum Papam.[191] Leguntur etiam tres epistolae Graecorum ad eundem Leonem cum hac inscriptione: « Sanctissimo et beatissimo universali Archiepiscopo et Patriarchae Magnae Romae Leoni ». [192] Damnavitque sacrosancta illa synodus impium Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, cum ob eutychianam haeresim, tum etiam quia in S. Leonem Romanum Pontificem maxime iniuriosus, ausus fuit anathemate damnare. [193]

Hinc R. Pontifex vocatur pastor pastorum, Episcopus Episcoporum,

pater Patrum, et universalis Ecclesiae Papa.

In Chalcedonensi synodo damnatus est Dioscorus, quia in R. Pontificem iniuriosus.

Quid fecisset generale illud concilium, aut quo loco habuisset Lutherum Dioscoro in Romanum Pontificem multo iniquiorem, tanti schismatis tantaeque separationis a Romana Ecclesia auctorem? Proculdubio et ab illo concilio et ab universis orthodoxis Patribus cum sua secta damnatus fuisset, pronunciata in ipsum divina sententia: *Si quis... superbierit, nolens obedire sacerdotis*, Summi Pontificis, de quo ibi agitur, sententiae, morte *moriatur.* [194]

Lutherus vero Dioscoro in Romanum Pontificem iniquior fuit.

186) S. Hieronymus epist. 15, ibid. col. 355-356. 187) *De Consideratione*, lib. 2, cp. 8, ibid. 182, 751. 188) *De Pudicitia*, cp. 1, ibid. 2, 981. 189) Haec epist. invenitur apud Phil. Labbeum op. cit. t. 2, col. 869 et Io. Mansi op. cit. t. 3, col. 430-431. In quam tamen haec adnotant: « Falsa atque adulterina. Vide epist. Afrorum *ad Theod. Conf.* 3 ». Haec est, quae an. 646 a tribus Africae conciliis *ad Theodorum Papam* missa fuit. Cf. P. L. 87, 81-86, et *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 11*, pag. 318, not. 14. 190) Mansi op. cit. t. 7, col. 102. 443. 454. 191) Ibid. t. 6, col. 615. 192) Ibid. t. 7, col. 1011. 1022. 1030. 193) Cf. Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 4, col. 463; S. Leo Papa epist. 98, cp. 2, (P. L. 54, 953); epist. 120, cp. 3, ibid. col. 1051. 194) Dt 17, 12. Vulg.: *Qui superbierit..., morietur.*

Igitur lutherana secta non pertinet ad Christi Ecclesiam, quia Petri successori non est subiecta.

Ex his igitur quae dicta sunt, manifestum est non pertinere lutheranam sectam ad veram Christi Ecclesiam, cum non sit super Petrum fundata, hoc [est], Romano Pontifici legitimo Petri successori subiecta. Neque enim Petro propter seipsum, sed utique propter Ecclesiam data potestas talis tantaque fuit, ut perpetuo in Ecclesia esset, sicut Paulus ait quod Christus *dedit* in Ecclesia *pastores et doctores*, hoc est, Episcopos, usque in finem, *donec occurramus omnes*,[195] etc.

Insuper ex doctrina Pauli et Patrum Ecclesia debet habere Episcopos.

XI. Sed praeter haec quomodo potest lutherana secta vera Christi Ecclesia esse, cum nec Episcopos habeat? « Non est, inquit, Hieronymus *in Luciferianos*, [196] Ecclesia quae non habet sacerdotes ». Ecclesia enim Dei habet suos Episcopos, ut Paulus ait: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* [197] Et Ecclesia non est nisi plebs sacerdoti adunata, ut Cyprianus *ad Florentium Pupianum* scribit. « Illi, inquit, [198] sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse ».

Sed lutherana secta non habet Episcopos legitime ab Apostolis succedentes.

Nunc ubi sunt Lutheranorum episcopi? « Edant, cum Tertulliano loquar, [199] origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique et ceterae exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici ». Ita, inquam, confingant tale aliquid Lutherani, cum non possit esse Ecclesia sine veris Episcopis, qui per legitimam successionem ab Apostolis originem ducant.

Lutherus fuit quidem Wittembergae

Fuit quidem Lutherus primus Wittembergae Lutheranorum episcopus; [200] sed ipse sibi hunc assumpsit honorem. De quo illud dici

195) Eph 4, 11-13. 196) P. L. 23, 175. 197) Act 20, 28. 198) Epist. 60, (P. L. 4, 406). 199) *De Praescriptionibus, Praescript. 5*, cp. 32, ibid. 2, 44-45. 200) Io. Sicl-

potest, quod Cyprianus *ad Magnum* ait: [201] « Novatianus in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, qui, apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ordinatus est ». Et paulo post: « Pastor, inquit, [202] haberi quomodo potest, qui, manente vero pastore et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea praesidente, nemini succedens, et a seipso incipiens, alienus sit et profanus? »

episcopus, sed nulli succedens, a seipso ordinatus; ideoque profanus est.

Secundum apostolicam autem traditionem nemo unquam in Ecclesia Dei habitus est Episcopus, nisi praeter legitimam electionem et vocationem ordinatus fuerit et a tribus episcopis consecratus. [203] A quibus, quaeso, Episcopis ordinatus fuit Lutherus? Paulus, licet a Christo post ascensionem vocatus et factus fuerit apostolus, non tamen ut talis ab Ecclesia agnitus fuit, nisi postquam baptizatus fuit, et ab Apostolis, qui *dexteras* ei *dederunt*, [204] ordinatus. [205]

Praeter legitimam electionem requiritur ut Episcopus sit consecratus; Lutherus a nemine consecratus est.

Dicunt Lutherani habere se episcopos et pastores. Non inficior; sed sane tales quales Cyprianus quodam loco dixit: [206] « Hi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui, nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt ». Et episcopos habet, qui, ut D. Hieronymus *in Luciferianos* scribit [207] de sectatoribus Hilarii cuiusdam haeretici, simul episcopi sunt et laici: « Hilarius, inquit, cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, tuba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et presbyteros non habens, neque Baptisma sine Eucharistia tradere. Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quae non habet sacerdotes. Sed, omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi laici sunt et episcopi, ausculta quid de omni Ecclesia sentiendum sit ». Et postea ait [208] quod « qui ab Hilario, nunc Luthero, instituti sunt, oves sine pastore esse coeperunt ». Non itaque veros habent Lutherani Episcopos, sed pseudoepiscopos, falsos, aequivocos, nomine tantum episcopos, absque ulla apostolica successione.

Lutherani dicunt se habere episcopos; sed tales sunt, qui sine divina dispositione se praeficiunt, et sunt simul episcopi et laici.

danus op. cit. lib. 14, pag. 220, apud B. Bossuet *Histoire des Variations*, liv. 1, pag. 26, ed. cit.; Io. Cochlaeus *Acta et Scripta M. Lutheri*, an. 1546, pag. 315-316. 201) P. L. 3, 1140. 202) Ibid. col. 1141-1142. 203) Denzinger n. 150.305; Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 1, col. 45-46; t. 2, col. 1198-1199; 204) Gal 2, 9. 205) Cf. Act 13, 3. 206) *De Unitate Ecclesiae*, (P. L. 4, 507). 207) Ibid. 23, 175. 208) Ibid. col. 179.

Episcopi a Patribus dicuntur Apostolorum successores, et a Paulo vocantur etiam Apostoli;

XII. Omnes autem Sancti Patres Episcopos dicunt successores Apostolorum, unde et Apostoli dicti sunt Episcopi, sicut P e t r u s in *Actis*[209] agens de electione successoris Iudae in dignitate apostolatus ait: *Episcopatum eius accipiat alter.*[210] Et Episcopi aliquando Apostoli sunt appellati; *Epaphroditum* enim, Philippensium episcopum, P a u l u s *apostolum* vocat, [211] et Andronicum atque Iuniam, scribens *ad Romanos: Salutate,* inquit, *Andronicum et Iuniam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.*[212] Et *ad Corinthios* nominat fratres Apostolos: *Sive fratres nostri,* inquit, *Apostoli ecclesiarum, gloria Christi.*[213] Sane propter acceptam ab Apostolis per manuum impositionem apostolicam facultatem et potestatem ad praedicandum verbum Dei, ad conficienda et administranda sacramenta, ad regendam Ecclesiam et ad patres Ecclesiae procreandos. Nam, ut E p i p h a n i u s contra Aerium ait, [214] Episcoporum ordo patrum generator est, patres enim generat Ecclesiae, presbyterorum vero non potens generare patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiae, non tamen patres aut doctores. Loquitur autem de ordinatione sacerdotum, quod quidem in Ecclesia non possunt nisi Episcopi.

sane propter acceptam ab Apostolis potestatem praedicandi, regendi, sacerdotes ordinandi, etc.

Unde non potest esse vera Ecclesia Christi, quae praeter Christum, non habeat Petrum, Christi Vicarium, Episcopos et presbyteros; ergo secta lutherana non est vera Christi Ecclesia.

His igitur ita constitutis, sicut non potest esse regnum, quod non habet una cum rege, supremo moderatore, etiam proregem cum potestate vicaria, proceres, praefectos, iudices, qui secundum leges et iura regni ius dicant populis; ita non possit esse vera Ecclesia, quae saepe in Sacris Litteris *regnum* appellatur, [215] quae praeter Christum non habeat Petrum, Christi Vicarium, Episcopos successores Apostolorum, presbyteros, qui senioribus, hoc est, septuaginta duobus discipulis successerunt, sicut semper ab aevo Apostolorum usque nunc catholica Ecclesia semper habuit Episcopos atque presbyteros ad regendos fideles populos institutos. Manifestum est [ergo] quod, cum lutherana secta nec Episcopos nec presbyteros habeat legitime ordinatos, non potest esse vera Christi Ecclesia, et cum Luciferiano apud H i e r o n y m u m[216] dicere hac in parte liceret, quod « Ecclesia, quae tam

209) 1, 20. 210) Ps 108, 8. 211) Phil 2, 25. 212) 16, 7. 213) 2 Cor 8, 23.
214) *Adversus Haereses, Haeres. 75,* (P. G. 42, 507-510). 215) Cf. Mt 3, 2; 4, 23; 11, 12; 13, 21-52; Lc 1, 33; 8, 1; 11, 2. 20; 17, 20-21; Io 18, 36; Act 1, 3; 20, 25; 28, 23; Col 1, 13; 4, 11. 216) *Dialogus contra Luciferianos,* (P. L. 23, 157).

veros habet Episcopos quam de capitolio sacerdotes, antichristi magis synagoga quam Christi Ecclesia debeat nuncupari ».

De Luthero autem, primo Lutheranorum episcopo, patriarcha, papa, dicere licet quod Cicero aliquando de Asinio quodam dixit:[217] « Asinius, ait, quidam senator voluntarius, lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Caesaris mortem, mutavit calceos, pater conscriptus repente factus est »; a nemine enim ordinatus, uti iam diximus, factus episcopus est. Nisi quod Lutherani divinitus factum volunt, quemadmodum olim Manichaei Manetum suum apostolum divinitus missum faciebant. [218]

De Luthero autem episcopo dicendum quod Cicero de Asinio, qui senator voluntarius lectus a seipso, pater conscriptus repente factus est.

DISSERTATIO SEXTA

NON ESSE APUD LUTHERANOS VERAM ECCLESIAM QUONIAM IPSORUM SECTAE NULLO MODO CONVENIRE POSSUNT EA QUAE DE VERA CHRISTI ECCLESIA IN DIVINIS SCRIPTURIS SUNT PRAEDICTA ET PRAEDICATA FIDELIBUSQUE PROMISSA [1]

I. Et multa et valde magna sunt, quae in Sacris Divinisque Scripturis de Ecclesia Dei praedicantur in utroque Testamento, quorum veluti synopsim fecit D. Augustinus in libro *De Unitate Ecclesiae contra Donatistas;* quibus luculentur ostendit, et valide convicit quod Ecclesia Dei non esset, ut illi comminiscebantur, tantum in Africa in parte Donati, sed quod secundum Scripturas universum per orbem longe lateque diffusa universum mundum esset impletura.

Multa in Scripturis praedicantur de Ecclesia; quorum synopsis ab Augustino traditur in libro *De Unitate Ecclesiae.*

Notandum autem hic cum primis quod Augustinus veluti in propileo ac vestibulo libri illius ait: [2] « Si Sanctae Scripturae in Africa solum designaverunt Ecclesiam et in paucis Romae Rupitanis et Montensibus et in domo vel patrimonio unius hispanae mulieris,

Et primo quidem hoc statuit: ex Scripturae testimoniis quaerenda

217) *Philippica in Ant.* vol. 5, pag. 3284, ed. cit. 218) Cf. S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 66,* (P. G. 42, 38); S. Augustinus *De Haeresibus, Haeres. 46,* (P. L. 42, 38); *Contra Epist. Fundamenti,* cp. 5, ibid. col. 176.

1) Cod. 2, f. 321a-328b. 2) Cp. 3, (P. L. 43, 395).

est Ecclesia. Unde si designetur in aliquo determinato loco, ibi quaerenda est; si in omnibus gentibus, tunc ubique erit.

quidquid de chartis aliis proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistae: si in paucis Mauris provinciae Caesariensis eam Sancta Scriptura determinat, ad Rogatistas transeundum est; si in paucis Tripolitanis et Byzacenis et provincialibus, Maximianistae ad eam pervenerunt; si in solis Orientalibus, inter Arianos, et Macedonianos et Eunomianos et si qui illic alii sunt, requirenda est. Quis autem possit singulas quasque haereses enumerare gentium singularum? Si autem Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum divinis et certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est; quidquid attulerint et undecumque recitaverint, qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic*, audiamus potius si eius oves sumus, vocem Pastoris nostri dicentis: *Nolite credere.* [3] Illae quippe singulae in singulis gentibus, ubi ista est non invenitur; haec autem quae ubique est, etiam ubi illae sunt, invenitur. Ergo in Scripturis Sanctis canonicis eam requiramus ».

Ita si Scriptura diceret Ecclesiam esse in Germania, ibi quaerenda esset.

Ita sane. Si Divina Scriptura diceret Ecclesiam in Germania tantum apud Lutheranos esse, nil superesset quaerendum. Sed multis in locis, per orbem, ubi Ecclesia catholica est, lutherana non reperitur; in ipsa autem Germania, ubi lutherana est, etiam catholica invenitur.

Deinde Augustinus probat catholicitatem Ecclesiae ex promissionibus divinis factis Patriarchis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;*

Sed, cum proposuerit Augustinus ex Divinis Scripturis ostendere Ecclesiae veritatem, ex libro *Genesis* in primis rei huius demonstrationem aggreditur [4] ex promissionibus divinis, quae factae fuerunt sanctissimis patriarchis Abraham, Isaac et Iacob, una nanque eademque benedictionis divinae repromissio facta eorum unicuique fuit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* [5] Interpretatur autem Paulus: *In semine tuo, quod est Christus.* [6] Ad veritatem autem hanc comprobandam saepe divinis hisce oraculis usus est Augustinus, uti in epistola *ad Vincentium* [7] et in epistola *ad Bonifacium* [8] et *Contra Epistolam Parmeniani.* [9]

ex testimoniis Isaiae et *Psalmorum;*

Postea multis divinis auctoritatibus ex Isaia et *Psalmis* Augustinus amplitudinem Ecclesiae Christi per omnes gentes divinitus promissam ostendit. [10] Ex Isaia illud in primis adducit: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes. In illa die*

3) Mt 24, 23. 4) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 6, (P. L. 43, 398-400). 5) Gn 22, 18; 26, 4; 28, 14. Vulg.: *Benedicentur in semine.* 6) Gal 3, 16. Vulg.: *Et semini tuo, qui est Christus.* S. Laurentius textum refert ex D. Augustino. 7) Epist. 93, cp. 5, (P. L. 33, 331). 8) Epist. 185, cp. 1, ibid. col. 794. 9) Lib. 1, cp. 2. 4, ibid. 43, 35-38. 10) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 7-9, ibid. col. 400-407.

radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.[11] Ex *Psalmis* vero illud inter multa: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*[12] Quem locum adducens D. Hieronymus *in Luciferianos*, qui tantum in Sardinia Ecclesiam Christi esse asserebant, ait:[13] «Si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est».

ex verbis Christi: *Sic oportebat*, etc.,

Ex Novo autem Testamento Augustinus illud maxime urget, quod Dominus ait: *Sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma,*[14] cum paulo ante dixisset: *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.*[15] Ex quo loco concludit Augustinus, dicens:[16] «Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde coeptura et quousque perventura esset; coeptura scilicet ab Ierusalem et perventura in omnes gentes». Postea ex *Actis Apostolorum* Augustinus illud adducit:[17] *Accipietis... Spiritum Sanctum..., et eritis mihi testes in Ierusalem et in... Iudaea et Samaria... usque ad ultimum terrae.*[18] Ex his autem multisque aliis Divinarum Scripturarum testimoniis contra Donatistas, qui suae tantum factionis homines christianos appellabant et seipsos tantum christianos superbissime dicebant,[19] concludit[20] illam esse veram Ecclesiam quae toto terrarum orbe longe lateque diffusa est, non quae una tantum in mundi particula conclusa.[21]

et ex aliis: *Accipietis Spiritum Sanctum*, etc.,

et ex his concludit eam esse veram Ecclesiam, quae ubique diffusa est.

Obiicientibus, Donatistis haec impleta non esse propter malas hominum voluntates, respondet Augustinus, hoc esse insanissimum

Ex ipso autem Augustino, dum vaticiniis Veteris Testamenti de latitudine Ecclesiae imponit coronidem, audiendi sunt nobis Donatistae, quidnam, divinis hisce auctoritatibus pressi, comminiscerentur responderentque, ut defenderent Ecclesiam Christi tantum esse in parte Donatistarum. «Haec, inquit,[22] cum vera esse fateantur, impleri non posse contendunt. Et, cum quaesieris ab eis, cur haec im-

11) 11, 9-10. Vulg.: *In die illa.* 12) Ps 2, 7-8. 13) P. L. 23, 168-169.
14) Lc 24, 46-47. 15) Ibid. vr. 44. 16) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 11, (P. L. 43, 411).
17) Ibid. 18) Act 1, 8. Vulg.: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti.*
19) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 11-17, (P. L. 43, 412-425). 20) Epist. 93, cp. 8, ibid. 33, 334; *Enarratio in Psal. 95.* ibid. 37, 1234; *De Unitate Ecclesiae*, cp. 11, ibid. 43, 410.
21) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 18, ibid. 43, 426-427. 22) Cp. 9, ibid. col. 406-407.

quasi Spiritus S. nescierit futuras hominum voluntates.

pleri non possint, respondent quia homines nolunt. Cum arbitrio quippe, inquiunt, libero, homo creatus est; si vult, credit in Christum, et si non vult, non credit; si vult, perseverat in eo quod credit, si non vult, non perseverat. Et ideo, cum coepisset per orbem terrarum crescere Ecclesia, noluerunt homines perseverare, et defecit ex omnibus gentibus christiana religio, excepta parte Donati. Quasi vero, inquit ad haec Augustinus, nescierit Spiritus Sanctus futuras hominum voluntates. Quis hoc insanissimus dixerit? Et hoc modo, inquit, quo isti putant, quisquis voluerit potest esse propheta, ut, cum ea, quae praedixerit, impleta non fuerint, respondeat: Homines noluerunt, libero enim arbitrio christiani sunt ».

Haereticis vero iactantibus paucitatem suam ex verbis: *Nolite timere*, etc. irridet S. Doctor, opponens illud: *Laetare, sterilis*, etc.

II. Sed, quoniam Novatores nostri, ut divinas has auctoritates eludant, nunquam non habent in ore illud: *Nolite timere pusillus grex;* [23] est autem vetus haereticorum theca miserumque refugium; ex eodem Augustino nonnihil hac de re dicendum. Haereticos nanque, paucitatem suam iactantes, in epistola *ad Vincentium* et salse ridet et valide perstringit. Pertractans enim illud Isaiae: *Laetare, sterilis, quae non paris; erumpe et clama, quae non parturis; quoniam multi filii desertae magis quam eius quae habet virum,* [24] ita loquitur: [25] « Plane et Iudaei et pagani, si tam paucos putarent esse christianos, quam pauci vos estis, qui solos vos esse christianos perhibetis, nec blasphemare vos dignarentur, sed et nunquam ridere cessarent. Non timetis ne vobis dicant Iudaei: Ubi est quod Paulus vester Ecclesiam vestram intelligit, [26] ubi dictum est: *Laetare, sterilis, quae non paris, erumpe et exclama, quae non parturis; quia multi filii desertae magis quam eius quae habet virum*, praeponens multitudinem christianorum multitudini Iudaeorum, si Christi Ecclesia est paucitas vestra? Hoccine illis dicturi estis: Ideo magis iusti sumus, quia pauci sumus; nec attenditis eos responsuros: Quotlibet [26a] vos esse dicatis, non tamen estis illi, de quibus dictum est: *Multi filii desertae,* si tam exiguo numero remansistis? »

et illud: *Hereditate*

Et in libro *De Unitate Ecclesiae*, versans hunc eundem Isaiae locum, ait: [27] « Ubi est quod de paucitate gloriamini? Nonne isti sunt

23) Lc 12, 32. 24) 54, 1. S. Laurentius textum refert ex D. Augustino, qui citat Gal 4, 27.
25) Epist. 93, cp. 8, (P. L. 33, 334-335). 26) Gal 4, 27. 26a) Ms.: *Quodlibet.*
27) Cp. 7, (P. L. 43, 403-404).

multi filii desertae, de quibus paulo ante dictum est: *Hereditate possidebit multos?* Nam quae est hereditas eius nisi Ecclesia eius? *Multi*, inquit, *filii desertae magis quam eius quae habet virum*, synagogam scilicet Iudaeorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat legem ». Et paulo ante super illud Isaiae: *Ipse hereditate possidebit multos:* [28] « Quid est, haeretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea Dominus noster Iesus Christus traditus est ad mortem, ut hereditate multos possideret? » [29]

possidebit multos.

Et alibi in eodem libro super illud Domini: *Intrate per angustam portam... Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur illam:* [30] « Istos paucos, inquit, [31] Donatistae se putant esse, et ideo dicunt periisse orbem terrarum, se autem in hac paucitate, quam laudavit Dominus, remansisse, quando comparantur cum eis, longe pauciores Rogatistas aut Maximianistas obiicimus, qui se ab eis separaverunt, si existimant sibi de paucitate esse gloriandum ». Ita nos Lutheranis et Calvinistis Anabaptistas obiiciemus, qui sunt multo pauciores.

Ceterum, ait S. Doctor, si Donatistae de paucitate gloriantur, eis opponimus Rogatistas, qui pauciores sunt.

Docet autem Augustinus accipiendam paucitatem istam esse non de fide vera, sed de vita recta et bona. Ita *ad Vincentium* scribens, ait: [32] « Ipsa est de cuius paucitate dicitur in comparatione plurimorum malorum, quia *angusta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui ambulant in ea;* et rursus ipsa est, de cuius multitudine dicitur: *Sic erit semen tuum sicut stellae coeli et sicut arena maris.* [33] Idem quippe fideles sancti et boni et in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, et per sese multi sunt, quia *multi filii desertae* ». Et scribens *Adversus Cresconium Grammaticum* ait, de multitudine et paucitate christianorum loquens: [34] « Neque alterum horum est verum, alterum falsum, cum sit utrumque divina auctoritate prolatum, nisi quia iidem ipsi boni verique christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt ».

Docet autem Augustinus hanc paucitatem accipiendam esse non de vera fide, sed de vita bona.

Ecclesia itaque, quae bonos simul et malos christianos comple-

Ecclesia

28) 53, 12. Vulg.: *Dispertiam ei plurimos.* 29) *De Unitate Ecclesiae*, cp. 7, (P. L. 43, 403). 30) Mt 7, 13-14. Vulg.: *Qui inveniunt eam.* 31) Cp. 14, (P. L. 43, 418). 32) Epist. 93, cp. 9, ibid. 33, 336. 33) Gn 22, 17. Textus relatus fuit ex D. Augustino. Vulg. autem habet: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli et velut arenam, quae est in littore maris.* 34) Lib. 3, cp. 66, (P. L. 43, 537).

igitur, diffundenda ubique erat, et iam diffusa legitur tempore Apostolorum;

ctitur, sicut arca Noe munda et immunda animalia continebat,[35] secundum Scripturas amplissima latitudine per orbem terrarum diffundenda erat. Et a tempore quidem Apostolorum per universum fere mundum diffusa legitur, sicut P a u l u s ait quod Romanorum *fides* annunciabatur *in universo mundo.* [36] Et *ad Colossenses* ait quod verbum Dei fructificabat in toto mundo. [37] Amplitudinem autem hanc in Ec-

et adhuc hodie Romana Ecclesia diffusa cernitur.

clesia Romana vidimus et adhuc Dei gratia et beneficio dilatatam usque ad Indos, Americanos, Iaponianos et Brasilianos, ad orientem, occidentem, aquilonem et meridiem novi orbis videmus.

De cuius amplitudine S. Leo Papa dicit: Romam latius praesidere religione divina quam dominatione terrena;

De amplitudine Romanae Ecclesiae ait L e o P a p a in die Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, dicens : [38] « Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, [39] per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius praesideres religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est quod tibi bellicus labor subdit quam quod

cui concinit S. Prosper.

pax christiana subiecit ». De qua etiam P r o s p e r ita cecinit: [40]

« Sedes Roma Petri quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet ».

In secta lutherana hanc amplitudinem non vidimus, nec expectare possumus.

In secta autem lutherana amplitudinem hanc nondum vidimus, nec possumus expectare, cum a secta cum primis zwingliana imminuta, a calviniana sit prope consumpta. Et in ipsa etiam Germania, cuius fines vix unquam egressa est, a radicibus evulsa et in dies magis magisque in calvinismum delapsa longe decrescit et in interitum pergit, [41] sicut ariana secta in macedonianam, nestorianam et eutychianam haereses diffluens, tandem prorsus evanuit. *Omnis* nanque *plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis,* inquit Salvator, *eradicabitur.* [42]

In sacris Litteris, praeser-

III. Praeter amplitudinem autem habemus et a l t i t u d i n e m et s u b l i m i t a t e m Ecclesiae Christi divinis oraculis promissam; quam

35) Cf. Gn 7, 1-8. 36) Rom 1, 8. 37) 1, 6. 38) Sermo 82, cp. 1, (P. L. 54, 422-423). 39) Cf. Ex 19, 5-6; 1 Petr 2, 9. 40) *De Ingratis Carmen,* (P. L. 51, 97). 41) Iudicium S. Auctoris apud omnes fere doctos theologos illius temporis invenitur. Cf. S. Rob. Bellarminus *Conciones, Conc. 10,* pag. 705-711. Circa has *Conciones* S. Rob. Bellarmini cf. *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 1,* pag. 49, not. 23. 42) Mt 15, 13.

sanctissimi vates Isaias et Michaeas uno eodemque spiritu afflati, eodem tempore vaticinati,[43] uno eodemque ore locuti cum amplitudine coniunxerunt: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super omnes colles, et confluent ad eam omnes gentes, et ibunt populi multi dicentes : Venite..., ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.*[44] Domus autem Dei proculdubio Ecclesia est, de qua Paulus *ad Timotheum* ait: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*[45]

tim apud Isaiam et Michaeam, praeter amplitudinem, promittitur etiam Ecclesiae altitudo et sublimitas.

Futura erat Ecclesia Christi multo amplior quam synagoga, sicut templum Salomonis fuit multo maius quam tabernaculum Moysi.[46] Synagoga nanque uni tantum populo Hebraeorum veluti alligata angustis spatiis conclusa erat, et nonnisi in uno tantum loco cultum Deo manifestum exhibebat, nempe in templo; Ecclesia autem Christi nullis terminis circumscripta aut definita universum per orbem latissime patens, Deum ubique terrarum *in spiritu et veritate* adorat et colit,[47] sicut legimus: *Ab ortu... solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*[48]

Ecclesia futura erat amplior quam synagoga.

IV. Sicut autem multo amplior ita etiam futura erat dignitate, honore et gloria multo sublimior quam synagoga. Hinc cum antiqua illa domus supra montem Moria[49] sublimi quidem loco aedificata esset, haec aedificanda praedicata est *supra montem in vertice montium.* Hinc Dominus in Evangelio comparavit Ecclesiam civitati supra montem: *Non potest*, inquit, *civitas abscondi supra montem posita.*[50] Et templum, quod in spiritu vidit Ezechiel magnum instar aedificii[50a] civitatis, fundatum erat *supra montem excelsum nimis.*[51]

Sicut autem amplior, ita dignitate sublimior. Synagoga in monte Moria aedificata erat; Ecclesia in vertice montium praedicitur.

Designant autem montes, in figuratis Sacrarum Litterarum locutionibus, dignitates sublimes; unde apud Danielem legimus la-

Montes autem in Scripturis

43) Cf. Is 1, 1; Mich 1, 1. 44) Is 2, 2-3. Vulg.: *Fluent ad eam*, loco: *Ibunt*, et: *Et dicent*, loco: *Dicentes*. Idem textus habetur in Mich 4, 1-2 iuxta hebraicam lectionem. Vulgata aliquatenus differt. 45) 1 Tim 3, 15. Vulg.: *In domo Dei conversari.* 46) Cf. Ex 26, 1 sqq.; 3 Rg 6, 2-10. 47) Io 4, 23. 48) Mal 1, 11. 49) Cf. 2 Par 3, 1. 50) Mt 5, 14. 50a) Ms.: *Aedificium.* 51) 40, 2. Vulg.: *Super.*

significant dignitates;

pidem factum in montem magnum, qui occupavit universam terram,[52] quo designatur Christi monarchia post quattuor orbis magna imperia Assyriorum, Persarum Medorumque, Graecorum et Romanorum in infidelitate ante susceptam fidem et religionem christianam. Sic apud Zachariam: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel?*[53] Ubi per montem magnum princeps magnus et forte princeps mundi huius intelligitur.

Isaias enim dicit, quod reges eam videntes: *Consurgent et adorabunt,* etc.

Isaias autem, quod figurate dixerat de domo Dei fundata supra montem *in vertice montium,* postea aliquando etiam apertissime dixit: *Haec dicit Dominus redemptor Israel* et *sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te.*[54] Et iterum: *Haec dicit Dominus...: Ecce levabo ad gentes manum meam et ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae, vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum.*[55]

Item quod Dominus adducet ei filios de longe, et reges ministrabunt ei, etc.

Et adhuc alibi: *Adducam filios tuos de longe, argentum eorum et aurum eorum cum eis nomini Domini tui et sancto Israel, quia glorificavit te. Et aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi; in indignatione... mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut ingrediatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meae, et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem; et suges lac gentium et mammilla regum lactaberis.*[56]

Item quod fortes gen-

Et praeterea: *Vocabuntur in ea fortes iustitiae plantatio Domini ad glorificandum. Et aedificabunt deserta a saeculo et ruinas antiquas*

52) Cf. 2, 35. 53) 4, 7. 54) 49, 7. 55) Ibid. vrr. 22-23. 56) Ibid. 60, 9-16.

erigent, et instaurabunt civitates desertas et *dissipatas in generationem et generationem. Et stabunt alieni et pascent pecora vestra, et filii peregrinorum agricolae et vinitores vestri erunt; vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri; dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis.* [57]

tium servient ei, etc.

Haec et his similia quam plurima Divinarum Scripturarum oraculis promissa sunt verae Christi Ecclesiae, cum primis vero quod summi reges et principes deberent humillime ei inservire, opes suas in eam conferre, demisso vultu vestigia pedum ipsius adorare, ipsaque deberet in gloria gentium superbire.

Et his similia multa promittuntur in Scripturis.

V. Nunc vero ubi est in lutherana ecclesia talis tantaque gloria verae Christi Ecclesiae promissa? Quam humili enim loco apud Lutheranos sint pastores et praedicantes, a saecularibus magistratibus principibusque omnino pendentes, eisque misere subiecti, ipsimet dicant; res ipsa loquitur. Nemo autem tam caecus esse potest, qui non videat sole clariorem gloriam istam in Romana Ecclesia, in qua Summus Pontifex Christi Vicarius a tot principibus, regibus, caesaribus humillime adoratur, ubi apertissime videmus impletum quod in divinis oraculis reperimus promissum.

Hanc gloriam non possidet secta lutherana, bene vero Ecclesia Romana, quae ab omnibus colitur.

Sed boni viri propterea volunt vel maxime Romanum Pontificem ipsum purum putum antichristum esse, eo quod adorari se permittat in Ecclesia. [58] Quasi vero Christus ipse non dixerit Angelo Philadelphiae ecclesiae in *Apocalypsi : Ecce faciam..., ut veniant et adorent ante pedes tuos et scient quia ego dilexi te.* [59] Sed nemo Lutheranorum est qui non sit Tiresia caecior; [60] caeci enim Lutherum sequuntur omnium maxime caecum. Quem tamen homericum Tiresiam faciunt; hunc enim solum apud inferos sapere dixit, ceteros umbrarum modo vagari. [61]

Lutherani dicunt propterea R. Pontificem esse antichristum, quia permittit se adorari; quasi Christus hoc non promiserit.

Sed profecto luce clarius cernitur quod Romana Ecclesia thronus ille Christi sit, de quo Regius Vates ait: *Thronus eius sicut*

Profecto Ecclesia est

Vulg.: *Afferatur*, loco: *Ingrediatur*. 57) Ibid. 61, 3-6. 58) M. Lutherus *Assert. Art. 27*, W. L. t. 2, f. 108ᵃ; *Offenbarung des Endchrists aus dem Propheten Daniel*, W. G. t. 7, f. 179. 188ᵇ-190ᵃ; et apud S. Rob. Bellarminum *Controversiae Christianae Fidei*, t. 1, lib. 3 *De Romano Pontifice*, cp. 19-23, pag. 377-384. 59) 3, 9. 60) Cum quaestio quaedam inter Iovem et Iunonem agitaretur, altercationi dirimendae arbiter electus fuit Tiresias. At, quia pro Iove sententiam tulit, ab irata Iunone obcaecatus fuit. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Tiresias* nomine. 61) *Odyss.* lib. 10, vr. 494.

thronus Christi, de quo loquitur Psalmista: *Thronus eius*, etc.

sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.[62] Ubi Chaldaeus Paraphrastes: *Solium eius splendebit sicut sol in conspectu meo ;*[63] et gloriam hanc perpetuo duraturam ostendit, propterea ait: *In aeternum.* Unde apud Danielem quintum mundi regnum appellatur regnum coeli et regnum sanctorum, *regnum quod non corrumpetur,*[64] et *in aeternum non dissipabitur.*[64a]

Gloria autem Romanae Ecclesiae semper fuit conspicua, ut Patres testantur.

VI. Perpetuam autem istam gloriam et claritatem regni Christi, hoc est, Ecclesiae, in Romana Ecclesia vel maxime semper conspicua fuit; haec enim omnibus aliis ecclesiis semper eminuit, sicut sol ipse omnibus stellis firmamenti. « In ea enim, ut Augustinus ait,[65] semper apostolicae cathedrae viguit principatus »; hanc S. Cyprianus « Ecclesiam principalem » appellavit;[66] hanc Tertullianus statu felicem Ecclesiam dixit;[67] et S. Irenaeus « Ecclesiam antiquissimam et propter potentiorem principalitatem gloriosissimam » honorificentissime nuncupavit.[68]

Augustinus dicit eam esse indicium veritatis;

Est autem, ut Augustinus *Contra Faustum Manichaeum* scribit,[69] manifestum indicium veritatis ipsam esse Ecclesiam, quae omnibus eminet et apparet. Romana autem Ecclesia propter Petri sedem semper ab initio eminuit, et propter praestantem fidem et eminuit et splenduit. *Fides,* inquit, *vestra annuntiatur in universo mundo ;*[70] et: *Vestra... obedientia in omni loco divulgata est.*[71] Et: *Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.*[72] Haec omnia de Romana Ecclesia Paulus ait.

Irenaeus ait Ecclesiam Romanam esse omnibus notam et ideo excellentissimam et potentissimam.

Unde D. Irenaeus Romanam Ecclesiam omnibus cognitam dixit,[73] de qua merito illud *Cantici Canticorum* dici potest: *Sexaginta sunt reginae..., octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae et beatissimam praedicaverunt; reginae et concubinae... laudaverunt eam : Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[74]

62) Ps 88, 38. 63) Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus, Comment. in Psal. 88*, t. 15, col. 1116. 64) 7, 14. 64a) 2, 44. 65) Epist. 43, cp. 3, (P. L. 33, 163). 66) Epist. 12, ibid. 3, 818. 67) *De Praescriptionibus, Praescript.* 7, cp. 36, ibid. 2, 49. 68) *Adversus Haereses*, lib. 3, cp. 3, (P. G. 7, 848-849) 69) Lib. 13, cp. 13, (P. L. 42, 289). 70) Rom 1, 8. 71) Ibid. 16, 19. Vulg.: *In omnem locum.* 72) Ibid. vr. 16. 73) *Adversus Haereses*, lib. 3, cp. 3, (P. G. 7, 848). 74) 6, 7-9. Vulg.: *Matris suae*, loco: *Matri suae.*

Plures nanque ac veluti innumerae sunt toto christiano orbe ecclesiae maiores et minores, archiepiscopales, episcopales, parochiales; sed inter ac super has omnes unica est omnium excellentissima illustrissimaque sicut sol inter sidera, quae etiam in adversarios Christi semper potentissima, *terribilis* extitit *ut castrorum acies ordinata*, Romana Ecclesia, quae malleus semper haereticorum fuit, et haereses omnes interemit.

VII. Praeter haec autem legimus adhuc in Sacris Litteris Ecclesiae sponsae Christi miram fecunditatem; ipsa enim est vera *mater cunctorum viventium*, [75] propterea appellata est columba,[76] quae avis est natura fecundissima.[77] Multos olim synagoga genuit Deo, sed multo plures genitura erat Ecclesia Christo. Dicta est autem a Paulo *ad Galatas* Ecclesia mater nostra: *Illa autem*, inquit, *quae sursum est Ierusalem, libera est; quae est mater nostra, sicut scriptum est...: Laetare, sterilis, quae non paris; erumpe et clama, quae non parturis, quia multi filii desertae magis quam eius quae habet virum.* [78]

Insuper Ecclesiae Christi in Scripturis mira fecunditas tribuitur; hinc columba vocatur. et a Paulo *mater nostra*.

Multos filios genuit synagoga per Prophetas et legis doctores; multo plures Ecclesia per Apostolos et apostolicos viros Patresque orthodoxos, Episcopos et Doctores. Hinc Paulus ait: *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* [79] Et alibi: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis;* [80] et quidem dum Ecclesia per Paulum multos infideles ad Christi fidem convertit, multos Christo filios peperit; hoc enim est per Evangelium gignere infideles ad Christi fidem christianamque religionem convertere. Docet itaque Paulus ex Isaia quod Ecclesia multo plures filios paritura Deo erat quam olim synagoga; haec enim per legem et sacramenta unius tantum gentis homines Deo peperit, Ecclesia autem multarum gentium homines ubique terrarum.

Multos filios genuit synagoga, sed plures Ecclesia, ut docet Paulus.

Hanc eandem veritatem alibi Isaias sub alia metaphora docuit, dicens: *Vocabuntur in ea fortes iustitiae plantatio Domini ad glorificandum. Et aedificabunt deserta a saeculo et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas* et *dissipatas, in generationem et generationem.* [81]

Eandem veritatem docuerunt Isaias

75) Gn 3, 20. 76) Cf. Ct 2, 10; 4, 1; 6, 8. 77) Aristoteles *Hist. de Animalibus*, lib. 6, cp. 1. 4, vol. 3, pag. 103, 108-109, ed. cit. 78) 4, 26-27. 79) 1 Cor 4, 15. 80) Gal 4, 19. 81) 61, 3-4.

Figurate loquitur de vocatione gentium ad fidem Christi, sicut in concilio Ierosolymitano Iacobus apostolus sub hac eadem metaphora loquitur de conversione gentium, dicens: *Viri fratres..., Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post haec revertar et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta eius reaedificabo et erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec.* [82]

et Amos, quem in hunc sensum B. Iacobus interpretatur.

Prophetiam Amos [83] de reparatione ruinarum tabernaculi David, hoc est, Ecclesiae Dei, quam ab initio fundaverat, interpretatur Iacobus de vocatione gentium ad fidem, de qua Petrus locutus fuerat, dicens: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.* [84] Isaias itaque, synchronos prophetae Amos, sub Ozia nanque rege uterque prophetavit, [85] loquitur de vocatione gentium ad fidem Christi sub metaphora reparationis, sicut et Amos, Iacobo apostolo interprete.

Isaias dicit: *Aedificabunt deserta a saeculo*, scil. *ab initio*. Ab initio una vera fuit religio, quae postea neglecta fuit.

Ait itaque: *Aedificabunt deserta a saeculo*, hoc est, *ab initio*. Manifestum est enim quod ab initio una tantum fuit religio divini cultus et pietatis, una fides sicut unus Deus, una Ecclesia, sicut legimus quod Cain et Abel obtulerunt munera Domino, [86] prout a patre Adamo fuerant edocti et circa pietatem erga Deum instituti. At vero postea, abundante iniquitate et pietate admodum refrigescente, [87] ventum est ad neglectum Dei, ad ignorantiam omnis verae pietatis, ventum ad idololatriam, mutata religione in superstitionem et cultu veri Dei in servitutem diaboli. [88]

Et haec est ruina Ecclesiae per Apostolos reparata.

Et haec quidem est ruina Ecclesiae, religio, inquam, neglecta, intermissa et cum omni verae pietatis studio in mundo inter gentes prorsus fere abolita, per Apostolos autem, quod Isaias dicit *fortes iustitiae* et *plantationem Domini ad glorificandum*, hoc est, egregie iustos sanctosque et plantas Christi sane gloriosas, unde dicti sunt a Paulo *gloria Christi*, [89] per Apostolos, inquam, praedicata in gen-

82) Act 15, 13-17. 83) Cf. 9, 11-12. 84) Act 15, 7. 85) Cf. Is 1, 1; Am 1, 1.
86) Cf. Gn 4, 3-4. 87) Cf. Mt 24, 12. 88) Cf. Gn 6, 1-6. 89) 2 Cor 8, 23.

tibus fide Christi, reparatae sunt huiusmodi ruinae gentibus ad Christum conversis.

Et sane quot ruinas reparavit unus Paulus!

Unus tantum Paulus quam magnas ruinas reparavit! Ipse *ad Romanos* ait: *Audacius... scripsi vobis... propter gratiam, quae data est mihi a Deo, ut sim minister Iesu Christi in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto..., ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyrium repleverim Evangelium Iesu Christi.* [90] Tam fuit efficax praedicatio Pauli itemque aliorum Apostolorum ad convertendas gentes, quibus de Christo nihil prorsus fuerat annunciatum, ut *ad* eosdem *Romanos* Paulus ait; [91] Iudaeis nanque annunciatus erat Christus per legem et Prophetas, [92] gentibus vero minime.

Sed et aliorum Apostolorum et apostolicorum praedicatio efficacissima fuit inter gentes.

Fuit Apostolorum et apostolicorum praedicatio longe efficacissima, unde a Domino comparata fuit semini sane optimo, quod cadens *in terram bonam ortum fecit fructum centuplum.* [93] Et Paulus ait quod *vivus est... sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;* [94] et Regius Vates ait quod *lex Domini immaculata convertit animas.* [95] Sed rite intellecta et praedicata non per pseudoprophetas, ministros satanae, sed per Prophetas sanctos, Christi Deique veros ministros. Hebraeos enim Moyses servus Dei ex Aegypto eduxit; [96] Israelitas suos Elias a Baal ad Deum convertit, ut dicerent: *Dominus ipse est Deus;* [97] Ninivitas Ionas a Deo missus ad poenitentiam adduxit. [98] Gentes non pseudoapostoli Evangelio et fide Christi imbuerunt, sed Sancti Apostoli a Christo Spiritu Sancto pleni.

Haeretici e contra nunquam gentem aliquam ad Christum converterunt, ipsis enim negotium est non ethnicos convertendi, sed chri-

VIII. Nunquam haeretici reperti sunt gentem aliquam ad Christi fidem convertisse. Omnis enim haereticorum secta Christi adultera est, ac propterea non Christo, sed satanae filios parit, unde et satanae synagoga, non Christi Ecclesia appellatur. Ipsi nanque, ut Tertullianus ait, non ethnicos convertunt, sed christianos subvertunt: «De verbi autem administratione, inquit, [99] quid dicam, cum hoc sit negotium illis non ethnicos convertendi, sed nostros subvertendi?

90) 15, 15-19. Vulg.: *Illyricum*, loco: *Illyrium*. 91) Cf. 15, 21. 92) Cf. Rom 9, 30; 10, 4; Gal 3, 23-24; Col 2, 16-17. 93) Lc 8, 8. 94) Hebr 4, 12. 95) Ps 18, 8. Vulg.: *Convertens*. 96) Cf. Ex 3, 1 sqq. 97) 3 Rg 18, 21-39. 98) Cf. Ion 3, 1-10. 99) *De Praescriptionibus*, *Praescript.* 9, cp. 42, (P. L. 2, 57).

stianos evertendi, ut ait Tertullianus;

Hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur, quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione, nostra suffodiunt, ut sua aedificent. Ita fit ut ruinas facilius operentur stantium aedificiorum quam extructionem iacentium ruinarum. Ad haec solummodo opera humiles et blandi et suavissimi sunt ».

ideoque a Hieronymo

D. Hieronymus *in Ieremiam* scribens, super illud: [100] *Perdix fovit quae non peperit, fecit divitias, et non in iudicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas:* « Aiunt, inquit, [101] scriptores naturalis historiae [102] hanc perdicis esse naturam, ut ova alterius perdicis furetur et eis incubet foveatque. Cumque foetus adoleverit avolare ab eo et alienum parentem relinquere ». Et postea: [103] « Quod a Septuaginta dicitur: [104] *Clamavit perdix*, ad haereticorum personam referendum est quod perdix iste diabolus clamaverit per principes haereticorum, congregaverit quae non peperit et deceptorum sibi multitudinem congregarit, quae postea dimittat eum ».

et Augustino perdicibus comparantur.

D. Augustinus etiam *Contra Faustum Manichaeum* scribens, comparat [105] haereticos perdicibus, quae congregant pullos, quos non pepererunt. Ita, inquam, haeretici suffurantur filios christianae catholicaeque Ecclesiae, dum eos decipiunt, et ab ea alienatos in suam haeresim pertrahunt; non gignunt, ut ex ethnicis et paganis aliquos ad Christi fidem Ecclesiamque perducant.

Lutherani nullam gentem converterunt; eis ergo deest fecunditas Ecclesiae promissa.

Dicant, quaeso, Lutherani: Quamnam gentem infidelium, vel Turcarum, vel Arabum, vel quorumcumque aliorum paganorum ad Christi fidem, ad Baptismum suscipiendum convertit? Tantum more aliorum haereticorum, Marcionis, Valentini, Manichaei, Arii et ceterarum similium pestium christianos catholicos subvertit. Ubi est ergo in lutherana ecclesia divina fecunditas verae Christi Ecclesiae in Sacris Litteris promissa? Ubi fidei et christiani nominis propagatio? Per quas gentes in mundo propagavit fidem Christi secta lutherana? Tantum per nonnullas gentes haeresim sparsit sicut et ariana.

100) 17, 11. 101) Lib. 3, (P. L. 24, 789-790). 102) Aristoteles *De Animalibus*, lib. 6, cp. 8, vol. 3, pag. 111, ed. cit.; S. Isidorus Hisp. *Etymologiarum*, lib. 2, cp. 7, (P. L. 82, 467); Hugo S. Victoris *De Bestiis*, lib. 1, cp. 5, ibid. 177, 49; Vincentius Bellovacensis Ord. Praed. *Speculum Naturale*, etc. lib. 17, cp. 128-129. 103) S. Hieronymus, lib. 3, (P. L. 24, 790). 104) F. Vigouroux *La Sainte Bible Polyglotte*, Ier 17, 11. 105) Lib. 13, cp. 12, (P. L. 42, 289).

R. Ecclesia plurimas gentes Christi fidem docuit. Primis quidem temporibus, in Aegypto, Italia, Africa, Gallia, etc.;

IX. At vero Romana Ecclesia per gentes quam plurimas Christi fidem longe lateque propagavit cum in antiquis tum etiam in hodiernis temporibus. In antiquis quidem, ut ecclesiasticae historiae narrant, inde Alexandria in Aegypto per Beatum Marcum Evangelistam, S. Petri discipulum, fidem et Evangelium Christi suscepit ; [106] inde Africanis ecclesiis, ut Tertullianus ait, [107] auctoritas praesto fuit; inde diversae Italiae provinciae per Beatos Apollinarem, Prosdocimum, Asprenum, Christi fidem susceperunt; [108] inde Galliae per Sanctos Martialem, Dionysium Areopagitam, Maternum, Valerium, Eucharium, Christi Evangelium audierunt, et bono verbi Dei semine proseminatae fructum plurimum fecerunt; [109] inde Hispani per Episcopos a Sanctis apostolis Petro et Paulo eo missos, inter quos numerantur a Ioanne Vaseo, [110] diligentissimo antiquitatum indagatore, Caecilius, Euphrasius, Secundus, Indaletius, Ctesiphon et Hesychius; inde Britanni per Damianum et Fugatium, ab Eleutherio Papa missos. [111]

deinde in Germania, Anglia, Polonia, etc.;

Et, ut ad viciniora tempora descendamus, dicamusque quae ne ab ipsis quidem adversariis negantur et quae Magdeburgenses Centuriatores egregii lutherani fatentur, Angli a Romana Ecclesia Christi fidem susceperunt per Augustinum et Melitum, monachos a Gregorio Magno eo missos, [112] Francones per S. Kilianum missum a Conone Romano Pontifice, [113] Germani magna ex parte per S. Bonifacium, missum a Gregorio huius nominis Papa secundo. [114] Sic innumerae provinciae et regna praeter iam dicta ut Polonia, Boihemia, Moravia, Hungaria, Slavonia cum circumadiacentibus regionibus per Romanam Ecclesiam Evangelium et fidem Christi susceperunt. [115]

nostris tandem temporibus in India, America, Iaponia, etc.

Hoc autem nostro saeculo Indorum latissimae regiones in novo orbe Indiae Orientales et Occidentales in America, Iaponia, Brasilia et exteriori parte Africae nonnisi a Romana Ecclesia fidem Christi per Patres cum Societatis Iesu, tum etiam Dominicanos et Franciscanos

106) S. Hieronymus *De Viris Illustribus*, cp. 8, ibid. 23, 261. 107) *De Praescriptionibus*, *Praescript.* 7, cp. 36, ibid. 2, 49. 108) C. Baronius *Annales Eccles.* an. 46, t. 1, pag. 334. 109) Cf. ibid. et an. 98, pag. 754. 110) *Rerum Hispaniae Memorabilium Annales*, pag. 232-233, Coloniae 1577. 111) C. Baronius *Annales Eccles.* an. 183, t. 2, pag. 329. 112) *Centuria 6*, vol. 2, cp. 2, col. 13, Basileae, sumptibus Lud. Regis 1624. 113) *Centuria 7*, ibid. cp. 2, col. 7. 114) *Centuria 8*, ibid. cp. 2, col. 12-14. 115) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 3, part. 3, cp. 9, pag. 337-357.

praedicatam susceperunt [116] et nonnisi per Catholicos Romanae Ecclesiae addictos Christi nomen gentibus illis cum vero Dei cultu innotuit.

Hanc fecunditatem non potest ostendere lutherana secta.

Romana itaque Ecclesia cum antiquis tum etiam nostris temporibus innumeros Christo filios divina praedicatione peperit, non secta lutherana, quae sterilis mula est, infecunda terra Christo nil pariens, sed si quid parit, satanae non Christo parit, hoc est, non christianos, non catholicos, sed haereticos, diaboli non Dei filios parit. Ostendant Lutherani hanc ecclesiae suae fecunditatem in conversione gentilium paganorum ad Christi fidem, et vicerint.

Tandem Ecclesia Dei gravissimas persecutiones passura erat, at non peritura, sicut Christus praedixit: *Portae inferi*, etc.

X. Unum adhuc superaddamus. Est autem quod Ecclesia Dei in medio persecutorum futura erat tanquam grex pusillus [117] ovium et agnorum inter lupos gravissimas persecutiones passura; [118] et tamen nunquam interitura erat, sed adversitates omnes superatura adversariosque et inimicos vincere invictaque et incolumis perpetuo consistere. Hoc enim est quod Dominus ait: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* [119] Impugnabitur, inquit, ab inferis potestatibus per tyrannos, per ethnicos, per haereticos et schismaticos, sed expugnari non poterit.

Sicut de Ecclesia V. T. legimus, quod contra eam omnes convenerunt, sed mansit;

Ita legimus etiam de Ecclesia Veteris Testamenti, inter innumeras persecutiones salva mansit usque ad Christum, licet a potentissimis hostibus fuerit oppugnata: *Quoniam*, inquit, *ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput, super populum tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: Venite..., disperdamus eos de terra, et non memoretur nomen Israel ultra; quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae, Moab et Agareni, Gebal et Ammon et Amalec, alienigenae*, hoc est, *Philistaei, cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filiis Loth.* [120] Quam magnus gentium potentissimarum syncretismus, quam magna colligatio foederumque coniunctio adversus unum Dei populum! Veluti navis fuit tunc temporis Ecclesia in medio mari fluctibus et procellis magna in tempestate agitata; sed manu Dei servata incolumis.

116) L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 11, pag. 489-505. 117) Cf. Lc 12, 32.
118) Cf. Mt 10, 16. 119) Ibid. 16, 18. 120) Ps 82, 3-9. Vulg.: *De gente*, loco: *De terra*, et: *Tyrum*, loco: *Tyri*.

Ita Ecclesiae suae Christus multas gravissimasque praedixit persecutiones a Iudaeis et gentilibus; [121] et ita revera ab utrisque summis viribus et conatibus impugnata fuit, sed non expugnata. Unde manifestum factum est ipsam opus Dei esse, non hominum. Si enim humanum fuisset opus, proculdubio tantopere oppugnata concidisset, quemadmodum in concilio Iudaeorum Gamaliel sapienter argumentatus fuit. Cum enim, in medium adductis exemplis Theodae et Iudae Galilaei, ostendisset quod omnes sectae et factiones humano ingenio excitatae subito intereunt et perditum eunt, tunc de Christi Ecclesia ait: *Nunc itaque dico vobis: Discedite ab hominibus istis,* loquitur de Apostolis et discipulis Christi, *et sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere..., ne forte et Deo repugnare inveniamini.* [122]

sic Ecclesia Christi semper impugnata fuit, at nunquam expugnata. Ergo ipsa divinum est opus, alioquin concidisset.

Inter tot persecutionum pressuras mansit semper Ecclesia Christi incolumis. Ergo non humanum, sed divinum est opus; non adulterinum, sed verum aurum, *quod per ignem probatur,* nec deficit in igne, sed magis magisque perficitur, *ut probatio,* inquit P e t r u s, *vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem.* [123] Divinum sane opus! Absque ullis humanis rationibus, absque ullis principum favoribus, principibus populisque non protegentibus, sed maxime persequentibus, non periit tamen, sed toto terrarum orbe mirabiliter crevit.

quia sola, absque humanis auxiliis, contra tot inimicos.

Usque ad Constantinum Magnum nullum experta fuit per spatium trium saeculorum principem protectorem; multos autem romanos Imperatores acerbissimos passa fuit persecutores toto terrarum orbe. [124] Et post Constantinum persecutiones passa fuit cum a Iuliano apostata, [125] tum etiam a Constantio imperatore ariano, [126] a Valente itidem ariano imperatore [127] aliisque imperii principibus arianis, exinde ab iconoclastis Leone Isaurico, Constantino Copronymo [128] et aliis. Et tamen,

Usque ad Constantinum M. habuit omnes principes persecutores; post Constantinum persecutiones passa est ab Iuliano.

121) Cf. Mt 10, 17-22; Mc 13, 9-12; Lc 21, 12-17. 122) Act 5, 38-39. 123) 1 Petr 1, 7.
124) P. Allard *Storia Critica delle Persecuzioni*, vol. 5. Vers. ex Gallica lingua Aeg. Lari, Firenze 1923. 125) S. Gregorius Naz. *Orat. 4 contra Iulianum*, (P. G. 35, 626-631); *Orat. 25 in Laudem Heronis*, ibid. col. 1210-1211; Socrates *Hist. Eccles.* lib. 3, cp. 12-13, ibid. 67, 410-415. 126) S. Hilarius *Liber contra Constantium*, (P. L. 10, 580-582); Lucifer Cal. *Pro S. Athanasio*, lib. 1, ibid. 13, 859; *Moriendum est pro Dei Filio*, ibid. col. 1010; Vincentius Lirin. *Commonit. 1*, ibid. 50, 642-643; S. Athanasius *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 771-787); S. Gregorius Naz. *Orat. 43 in Laudem Basilii M.* ibid. 36, 551-556. 127) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11-33, ibid. 82, 1146-1195; P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 33, (P. L. 31, 1414-1147).
128) S. Nicephorus *Antirrheticus 1 adversus Constant. Copronymum*, (P. G. 100, 218-226. 275-278);

etc. et nunquam interiit;

protegente Deo, nunquam interiit, validissimeque a portis inferi oppugnata expugnari non potuit; sed inimicos mirabiliter superavit iuxta divinum oraculum: *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum.*[129]

quia regnum Dei est, *quod non corrumpetur;*

est domus supra petram fundata, idest, supra Christum,

Regnum Christi est apud Danielem, *quod* in aeternum *non corrumpetur;* [130] regnum, de quo Gabriel ait: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum,* [131] etc. Est sicut domus supra petram in perpetuum firma stabilitate fundata; ita ut, licet magno cataclysmo descendat apertis coeli cataractis pluvia fluminaque in eam impetum faciant et venti validissimo turbine spirent simulque omnia irruant in eam, fundata supra solidam rupem minime ruat; haec est vera Christi Ecclesia supra petram a Christo in aeternum aedificata. De hac enim ait: *Qui audit verba mea... et facit ea, similis est viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram; et descendit pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram.* [132] Hoc autem totum illud est: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

dum e contra omnis haereticorum secta necessario perit, quia fundata supra arenam.

E contra vero haereticorum secta quaecumque, cum sit *plantatio, quam non plantavit Pater... coelestis,*[132a] hoc est, cum non divina virtute, sed humana ratione excitata sit; cito perit, arescit et *eradicatur* sicut hedera Ionae. [133] Est sicut synagoga babylonica, quae prorsus interiit; [134] sicut domus super arenam fundata, de qua ait: *Omnis, qui audit verba mea... et non facit ea, similis est homini stulto, qui aedificavit domum suam super arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina illius magna.* [135] Sic de haereticis ait *ad Timotheum* Paulus quod, *qui resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ... ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* [136]

Iuxta Augustinum haereses non sunt flumina, sed torrentes,

D. Augustinus, scribens *in Psalmum 57,* haereses comparat [137] non fluminibus, quae, cum a vivis et perennibus fontibus originem habeant, perpetuo fluunt; sed torrentibus, qui decurrentibus ex pluvia aquis cito siccantur. « Ita, inquit, multae haereses mortuae

Stephanus Constantinopolitanus Diaconus *Vita S. Stephani Iun. Monachi et Martyris,* ibid. col. 1069 sqq. 129) Gn 22, 17. Vulg.: *Suorum.* 130) Dn 7, 14. 131) Lc 1, 32. 132) Mt 7, 24-25. Vulg. : *Adsimilabitur viro,* loco: *Similis est.* 132a) Mt 15, 13. 133) Ion 4, 6-10. 134) Cf. Bar 1, 3-4; Ez 33, 31. 135) Mt 7, 26-27. Vulg.: *Similis erit viro stulto.* 136) 2 Tim 3, 8-9. 137) P. L. 36, 685.

sunt, vix earum memoria reperitur ». Haeresis ariana visa fuit flumen longe maximum, sectatores habuit toto orbe innumerabiles, propugnatores viros doctissimos, protectores patronosque principes, reges, imperatores potentissimos, Episcopos longe plurimos; sed torrens non flumen fuit, defecit et ad nihilum redacta est, ut ne vestigio quidem ipsius aliquid nisi in libris Catholicorum remanserit.

qui cito siccantur.

XI. Nunc, ut ad rem veniamus, si illa vera est Christi Ecclesia, quae instar naviculae Petri in mari huius mundi gravissimas persecutionum procellas perpessa incolumis perstitit [138] et in persecutionibus crevit potius quam imminuta sit; nam, ut Iustinus martyr in *Tryphone* ait, [139] persecutio ipsi Ecclesiae idem est quod vineae potatio; et Tertullianus ad calcem *Apologetici* ait [140] quod sanguis martyrum semen est christianorum, et S. Leo in sermone *De Principibus Apostolorum Petro et Paulo* ait [141] quod « non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur »; ostendant, quaeso, Lutherani persecutiones gravissimas, quas passi sunt a tyrannis fidei christianae inimicis, edant victorias triumphosque martyrum suorum. Nisi forte martyria dixerint qualia olim a christianis magistratibus haeretici passi fuerunt, praesertim Ariani [142] et Donatistae. [143] Et in persecutionibus, quas non propter iustitiam, sed propter iniustitiam et perfidiam patiebantur, non creverunt, non perstiterunt sicut aurum in fornace, sed tanquam plumbum evanuerunt, et ad nihilum redacti fuerunt.

Nunc si illa est vera Ecclesia Christi, quae persecutiones patitur et non minuitur, sed crescit; ostendant Lutherani persecutiones, victorias et martyres suos.

Et Lutherani quidem non passi sunt persecutionem sicut Christus, sicut Apostoli et discipuli, sicut innumera christianorum millia in primitiva Ecclesia; sed excitatis seditionibus collectoque milite armis longe funestissimis intulerunt potentissimorum principum favore potentiaque freti atque protecti. Et nihilominus tantis principum favoribus non obstantibus vix nata coepit arescere, et, suborientibus primum quidem Sacramentariis, postea Anabaptistis, mirum in modum

Loco persecutionum, arma et favores principum habuerunt et tamen non creverunt.

138) Cf. Mt 8, 23-27. 139) P. G. 6, 730. 140) Cp 50, (P. L. 1, 535).
141) *Sermo 82*, cp. 6, ibid. 54, 426. 142) Cf. Socrates *Hist. Eccles.* lib. 5, cp. 2, (P. G. 67, 567); Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 4-5, ibid. col. 1422-1426; *Codex Iustinianus*, lib. 1, tit. 4 *De Summa Trinitate et Fide Catholica*, t. 4, f. 3^b-4^a, Lugduni 1541. 143) S. Augustinus *Contra Epist. Parmeniani*, cp. 8, (P. L. 43, 43).

coepit decrescere, et nunc per Calvinianos ferme ad nihilum redacta est, et vix reperiuntur qui puri sint Lutherani. Quare etiam secta ista passa est, quod S. Cyprianus *ad Antonianum* de schismaticis ait,[144] « eos semper inter initia fervere, incrementa vero habere non posse, nec augere quod illicite coeperint, sed statim cum prava sua aemulatione deficere ».

Iactant quidem martyres suos, sed stultae philosophiae martyres; exaggerant persecutiones a pontificibus sibi illatas;

Iactant ipsi quidem martyres suos, sed tam bene quam olim Donatistae, Novatiani, Bogomiles, Messaliani, qui propter crebra supplicia vocati fuere martyriani,[145] quosque S. Hieronymus stultae philosophiae martyres nominavit.[146] Sunt mirum in modum querulosi, murmuratores, adeo ut nunquam intermittant repetere et odiosissime exaggerare querelam, quod a papistis ubivis terrarum gravissimas patiantur persecutiones, quod ferro et flammis a pontificibus infestentur et crudelissime etiam mactentur.[147]

sed est querela luporum adversus pastores. Dicunt se esse illos, quibus Dominus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur;* at potius sunt illi, quibus dixit: *Ecce mitto ad vos Prophetas*, etc.

Sed antiqua haereticorum querela est, hoc est, luporum adversus pastores. Dicunt quod ipsi sint, quos Dominus consolatus fuit, dicens: *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam.*[148] Sed forte etiam illi sunt, de quibus ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris et persequemini de civitate in civitatem.*[149] Loquitur autem cum primis utroque in loco Dominus de Apostolis, qui fuerunt primi christianae Ecclesiae secundum Christum fundatores,[150] et proculdubio martyria passi fuerunt, et propter Christum necati sunt, sicut et ipse Dominus propter Evangelium.

Edant martyria auctorum suorum; nisi forte martyrium dicant mortem Lutheri nimio cibo et potu praefocati.

Edant Lutherani martyria auctorum suorum Lutheri, Melanchthonis et aliorum suorum gymnosophistarum et romanomagistarum nostrorum. Forte martyrium dicent quod Lutherus repentina morte sublatus fuerit, forte nimio cibo et potu praefocatus. Cum enim Yslebii in domo principum, comitum inquam Mansfeldensium, sumpta opipara coena, cum multis bellissimis facetiis, bene coenatus laetusque cubitum ivisset, eadem nocte glorioso Cereris et Bacchi martyrio vitam finivit.[151] Quam ergo praeclarum martyrem dabunt nobis Lutherani!

144) Epist. 10, ibid. 3, 790-791. 145) S. Augustinus *Contra Epist. Parmeniani*, cp. 8, ibid. 43, 43; S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 80*, (P. G. 42, 759). 146) Epist. 39, (P. L. 22, 468). 147) Cf. *Libellus Schmalkaldicus*, apud S. Rob. Bellarminum *Controversiae Christianae Fidei*, t. 1, pag. 378. 148) Mt 5, 10. Vulg.: *Persecutionem patiuntur.* 149) Ibid. 23, 34. 150) Cf. Eph 2, 20-21. 151) Cf. *Dissert. 10*, lib. 2, sect. 4, huius vol.

At R. Ecclesia innumeros exhibet martyres, inter quos plurimos R. Pontifices a Petro ad Constantinum M.

XII. At vero Romana Ecclesia gravissimas persecutiones, a romanis praesertim Imperatoribus passa, nnumeros habet, quos exhibeat, martyres. Et in primis post Petrum multos Summos Pontifices, de quorum singulis dicere possumus, quod S. Cyprianus *ad Antonianum* de Cornelio Romano Pontifice ait,[152] « sedisse intrepidum Romae in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversum se aemulum principem, quam constitui Romae aemulum sacerdotem. Nonne hic, frater carissime, summo virtutis et fidei testimonio praedicandus est? Nonne inter gloriosos confessores et martyres deputandus, qui tantum temporis sedit, expectans corporis sui carnifices et tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem et minas et cruciatus et tormenta fidei calore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere poenarum viscera eius et membra laniarent? » Multi autem Romanorum Pontificum a Petro usque ad Silvestrum Papam sub Constantino Magno talia passi sunt pro Christi nomine.

Post Constantinum passa est a Iuliano, etc.

Post Constantinum autem gravissimam persecutionem passa fuit a Iuliano apostata, gravissimam ab arianis imperatoribus Constantio, Valente et aliis; nec minores a Gothorum regibus arianis tempore Innocentii I ab Alarico,[153] tempore Leonis Magni a Genserico,[154] tempore Vigilii Papae a Totila.[155] Post haec a regibus Longobardorum etiam tempore Gregorii Magni mirum in modum vexata fuit.[156] Multa passa est a germanicis imperatoribus, praesertim[157] vero ab Henrico IV,[158] Friderico II,[159] a Ludovico Bavaro[160] aliisque nonnullis;

152) Epist. 10, (P. L. 3, 774-775). 153) Hart. Grisar S. I. *Roma alla Fine del Mondo Antico*, vol. 1, pag. 68-81. ed. cit. 154) Victor Vitensis *Hist. Persecutionis Africae*, lib. 1, (P. L. 58, 181-202); S. Isidorus Hisp. *Hist. de Regibus Gothorum*, ibid. 83, 1077-1078; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 3, pag. 310-312. 155) Centuriatores Magd. *Centuria 6*, vol. 2, cp. 2, col. 23; S. Gregorius M. *Vita S. Benedicti*, cp. 15, (P. L. 66, 162); *Dialogorum*, lib. 3, cp. 11-13, ibid. 77, 237-241. 156) Gregorius Turon. *Hist. Francorum*, lib. 6, (P. L. 61, 376); S. Gregorius M. *Dialogorum*, lib. 3, cp. 8, ibid. 77, 233; cp. 11, ibid. col. 237; cp. 27-29, ibid. col. 284-285; cp. 37, ibid. col. 305.313; epist. lib. 5, epist. 40, ibid. col. 776-777. 157) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 4, part. 1, cp. 3, pag. 24-41. 158) Ms.: *III*. In Italia apud quosdam historicos tempore Aevi Medii appellatus fuit *Henricus III*. Cf. *Monumenta Gregoriana*, (P. L. 148, 989. 997). 159) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 4, part. 3, cp. 1, pag. 278-292.
160) Ibid. vol. 5, part. 1, cp. 2, pag. 24-46.

nullaque unquam toto christiano orbe fuit haereticorum secta, quae non fuerit Romanae Ecclesiae infensissima.

Haeretici quoque omnes Ecclesiae Romanae infensissimi fuerunt; et tamen non praevaluerunt.

Omnes ubique gentium haeretici sunt nostris hisce temporibus Lutherani, Zwingliani, Anabaptistae, Calviniani ceteraeque similes pestes nullum non moverunt lapidem, ut Romanae Ecclesiae pro summa virili incommodarent. Et tamen luce clarius est quod *portae inferi non praevaluerunt* unquam *adversus eam.* Et iniquissimis etiam temporibus maxime floruit. A Graecis passa est odia plusquam vatiniana, [161] sed, protegente Deo, salva semper et incolumis mansit, quinimo in dies gloriosior facta est. Ipsa igitur non hominum, sed Dei opus est, quod dissolvi non potest; [162] ipsa Ecclesia est, quam Dominus super Petrum aedificavit.

Conclusio.

Ita vidimus quod quae de vera Christi Ecclesia in Divinis Litteris praedicantur, lutheranae quidem sectae convenire nullo modo possunt, Romanae autem Ecclesiae adamussim conveniunt, ita ut etiam hoc saeculo gloriari possit innumeris martyrum cum in Belgio, [163] in Gallia, [164] in Anglia, [165] tum maxime in novo orbe [166] coronis.

DISSERTATIO SEPTIMA

DEMONSTRATUR EX DIVINIS SCRIPTURIS ET SANCTIS PATRIBUS QUIDNAM SIT QUAEVIS HAERETICORUM SECTA PRAESERTIM VERO LUTHERANORUM [1]

Videndum nunc quid sit Lutheranorum secta; et primum quidnam sint haeretici.

I. Cum viderimus non esse Lutheranorum sectam veram Christi Ecclesiam nec verae Ecclesiae partem, ostendendum nunc nobis est quidnam sit. Et ex dictis quidem manifeste consequitur quod, cum christiani dicantur et catholici non sint, non possunt non esse hae-

161) Capitale scilicet et acerbissimum odium; Vatinius enim civis Romanus, in tantum odium populi Romani post detecta illius flagitia pervenerat, ut in proverbium cesserit. Cf. P. Mannucci *Adagia*, col. 746. 162) Cf. Act 5, 39. 163) L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 8, pag. 323-324; vol. 9, pag. 408-409. 164) Ibid. vol. 7, pag. 392-393; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 6, cp. 10, pag. 396-397; P. Cuthbert Ord. Min. Cap. *I Cappuccini*, un contributo alla storia della Controriforma, cp. 9, pag. 278. Vers. ital. P. Arsenii a S. Agatha, F. Faenza 1930. 165) L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 5, pag. 644-645; vol. 10, pag. 326. 166) Ibid. vol. 5, pag. 680; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 2, cp. 19, pag. 520.

1) Cod. 2, f. 329ᵃ-336ᵇ.

retici. Propterea videndum quidnam sit haereticorum quorumcumque secta.

Et quidem multis nominibus, cum propriis, tum etiam metaphoricis dicuntur in Sacris Litteris, appellatique sunt a Sanctis Patribus haeretici; dicti sunt *serpentes, genimina viperarum,*[2] *lupi rapaces,*[3] rapientes et dispergentes oves Christi,[4] arbores malae facientes fructus malos, noxios, venenosos,[5] sicut fructus vineae illius, de qua dicitur: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*[6]

Haeretici in Scripturis vocantur *serpentes, lupi rapaces,* etc.,

Comparati sunt palmitibus non facientibus fructum, sarmentis a vite praecisis, ut mittantur in ignem;[7] itemque zizaniis, quae tandem colligenda sunt et alligata in fasciculos proiicienda in ignem ad comburendum.[8] Dicti sunt *mali homines... proficientes in peius;*[9] *homines corrupti mente, reprobi circa fidem,*[10] *discedentes... a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum;*[11] dicti *fures... et latrones,*[12] appellati falsi fratres,[13] *filii diaboli,*[14] *antichristi,* tanquam antichristo simillimi,[15] *satanae synagoga,*[16] *ecclesia malignantium,*[17] multisque aliis longe infamibus titulis notisque inusti inveniuntur.

sarmenta praecisa, *mali homines, fures,* etc.

II. A Sanctis autem Patribus supra quam dici potest male semper audierunt. Non erit autem, ut arbitror, nullius operae pretium hic veluti synopsim quandam facere nominum, quibus vel proprie, vel per metaphoram a Sanctis Patribus nominantur haeretici. S. Irenaeus haereticos facit statuae luteae [similes], quae quidem in superficie auro colorata tota videtur aurea,[18] sane sicut in Evangelio Dominus scribas et Pharisaeos dixit *similes* esse *sepulcris dealbatis.*[19] Alibi autem eos comparat serpenti, qui seduxit Evam: « Quemadmodum enim, inquit,[20] serpens seduxit Evam, promittens ei quod non habebat ipse;[21] sic et hi praetendentes maiorem cognitionem et mysteria inenarrabilia, et promittentes eam quam dicunt intra pleroma esse receptionem, in mortem demergunt sibi credentes, apostatas eos consti-

Item a Sanctis Patribus male audierunt.

Irenaeus eos comparat statuae luteae, auro coloratae,

serpenti Evam seducenti;

angelis

2) Mt 23, 33. 3) Ibid. 7, 15; Act 20, 29. 4) Cf. Io 10, 12. 5) Mt 7, 17. 6) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi.* 7) Cf. Io 15, 1-6. 8) Cf. Mt 13, 24-30. 9) 2 Tim 3, 13. Vulg.: *Proficient.* 10) Ibid. vr. 8. 11) 1 Tim 4, 1. Vulg.: *Discedent.* 12) Io 10, 8. 13) Cf. 2 Cor 11, 26; Gal 2, 4. 14) 1 Io 3, 10. 15) Ibid. 2, 18. 16) Apc 2, 9. Vulg.: *Synagoga satanae.* 17) Ps 25, 5. Vulg.: *Ecclesiam.* 18) *Adversus Haereses,* lib. 2, cp. 19, (P. G. 7, 775). 19) Mt 23, 27. 20) *Adversus Haereses,* lib. 4, *Praefat.* (P. G. 7, 975). 21) Cf. Gn 3, 1-5.

apostatis, idololatris, etc.

tuentes ab eo, qui eos fecit ». Et alibi veluti idololatras facit : « Quotquot, inquit,[22] sunt haereses, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant, ingrati existentes ei, qui fecit eos, quemadmodum [gentes] per idololatriam. Plasmata autem Dei contemnunt, contradicentes suae saluti, ipsi sui accusatores amarissimi et falsi testes existentes ». Multisque aliis saepe nominibus haereticos veluti suis coloribus pingens, appellare eos solet Irenaeus.[23]

Tertullianus eos vocat interfectores veritatis;

Tertullianus palam affirmat haereticos non esse christianos : « Si haeretici sunt,[24] inquit, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non christiani nullum ius capiunt christianarum Litterarum ». Probat autem eos non esse christianos, quoniam semper quaerunt : « Cum enim, inquit,[25] quaerunt, non adhuc tenent ; cum autem nondum tenent, nondum crediderunt ; cum autem nondum crediderunt, non sunt christiani ». Et paulo ante :[26] « Si vere adhuc quaerunt, nihil adhuc certi deprehenderunt ». Eodem loco appellat haereticos inimicos veritatis ;[27] sane quos Apostolus dixit *inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est.*[28] In libro *De Carne Christi* haereticum dicit interfectorem veritatis[29] et hominem qui destruit unicum decus fidei.[30]

Marcionem plus quam barbarum appellat.

Et quoniam multi sunt qui nonnisi blandis verbis compellare volunt haereticos, audiant quibus verbis Tertullianus Marcionem compellat : « Nihil, inquit,[31] tam barbarum aut triste apud Pontum quam quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Messageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, hieme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior. Quidni ? Et bestiis illius barbariae importunior Marcion ». Multisque aliis huiuscemodi titulis haereticum hominem exornat.

Facit insuper haereticos idololatras;

Haereticos etiam ipse idololatras facit : « Neque, inquit,[32] dubitare quis debet ab idololatria distare haereses, cum et auctoris diaboli et operis eiusdem sint cuius et idololatria ». Et postea :[33] « Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quoddam genus est idolola-

22) *Adversus Haereses*, lib. 1, cp. 22, (P. G. 7, 669). 23) Lib. 3, cp. 24, ibid. col. 966-967. 24) *De Praescriptionibus*, *Praescript. 7*, cp. 37, (P. L. 2, 51). 25) *Propositio 4*, cp. 14, ibid. col. 28. 26) Ibid. col. 27. 27) Ibid. 28) Phil 3, 18-19. 29) Cp. 5, (P. L. 2, 760). 30) Ibid. col. 761. 31) *Adversus Marcionem*, lib. 1, cp. 1, ibid. col. 247. 32) *Praescript. 8*, cp. 40, ibid. col. 55. 33) Ibid.

triae ». Et scribens *Adversus Praxeam* de haereticis inquit [34] quod « sicut nationes manibus, ita ipsi verbis idola fabricantur, idest, alium deum et alium christum ». In suo *Scorpiaco* haereticos scorpionibus longe venenosis comparat; [35] *Adversus Marcionem* autem vespas appellat: « Habet, inquit, [36] et illud, Marcionis evangelium, ecclesias, sed suas; tam posteras quam adulteras; quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias quam apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae ». Sic Marcionitarum ecclesias comparat favis vesparum.

eos scorpiones dicit et vespas, quae favos faciunt, sed non mel, etc.

« Habet autem [vespa], Varrone teste, [37] similitudinem apis, sed non est socia operis, et solet nocere morsu. Quapropter apes eam a se secernunt ». Faciunt vespae favos ut apes, sed mel minime faciunt, nec intus operantur. Speciem habent apum, sed non virtutem, non industriam, non mel, non ceram. Ita haeretici aedificant sibi ecclesias ad instar Catholicorum, sed homines sunt *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes.* [38] Nocent Catholicis morsibus aculeisque sicut vespae apibus; et propterea, sicut vespae ab apibus secernuntur, ita haeretici a Catholicis excommunicantur.

Eodem autem sensu, licet diversa metaphora, a Sanctis Patribus haeretici dicti sunt simiae Catholicorum. Ita D. Cyprianus, *ad Iubaianum* scribens, Novatianum simiis comparat, dicens: [39] « Nam Novatianus, simiarum more, quae cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesiae catholicae auctoritatem sibi et veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis et hostis extiterit. Sciens enim unum esse Baptisma, hoc unum sibi vindicat, ut apud se esse Ecclesiam dicat et nos haereticos faciat ».

Cyprianus simiae comparat haereticos, quia volunt auctoritatem Ecclesiae sibi vindicare.

In libro autem *De Unitate Ecclesiae* Cyprianus haereticos multis atrocioribus nominibus perstringit: « Quid facit, inquit, [40] in pectore christiano luporum feritas, et canum rabies, et venenum lethale serpentum et cruenta saevitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi saeva sua et ve-

eosque dicit feritate, veneno, avaritia plenos.

34) Cp. 18, ibid. col. 177. 35) Cp. 1, ibid. col. 121-125. 36) Lib. 4, cp. 5, ibid. col. 367.
37) *De Re Rustica*, lib. 3, cp. 16, col. 721, Venetiis 1846. 38) 2 Tim 3, 5.
39) P. L. 3, 1111. 40) Ibid. 4, 506-507.

nenata contagione praedentur ». Et postea : [41] « Sedentes in pestilentiae cathedra, [42] pestes et lues fidei, serpentis ore fallentes et veritatis corrumpendae artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes, quorum *sermo... ut cancer serpit,* [43] quorum tactus pectoribus et cordibus singulorum mortale virus infundit ».

hostes altaris,

In eodem libro Cyprianus haereticum ita graphice admodum describit, dicens : [44] « Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare ». Docet in eodem libro haereses inventum esse diaboli: « Excogitavit, inquit, [45] [diabolus] novam fraudem, ut sub christiani nominis titulo fallat incautos ; haereses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem ».

Christo rebelles,

perfidos,

Et item de haereticis : « Nescientibus, inquit, [46] tenebras infundit, ut cum Evangelio Christi et observatione eius et lege non stantes christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui, secundum Apostoli vocem, *transfigurat se velut angelum lucis,* [47] et ministros subornat suos velut ministros iustitiae ; [48] asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi ». Ipse etiam Cyprianus haereticos pro christianis minime agnoscit, sed ait [49] quod haereticus « sic se christianum esse profitetur, quomodo et Christum diabolus saepe mentitur ».

pestes, bestias, canes, lupos, fures, etc.;

Est autem mirum quam atrocibus nomenclaturis saepe homo sanctissimus percellit haereticos ; [50] pestes appellat, bestias, canes, lupos, fures, latrones, praedones, laniones, corruptores Evangelii, falsos Scripturarum interpretes, pseudochristos, antichristos, sacerdotum hostes et contra Ecclesiam catholicam rebelles, caecos et *duces caecorum,* qui *ambo in foveam cadunt,* [51] similes Core, Dathan et Abiron, sacerdoti Dei rebelles, qui dehiscente terra absopti sunt. [52] Ita sane perquam molliter et blande Cyprianus haereticos tractare so-

sane contra modernorum

41) Ibid. col. 507. 42) Cf. Ps 1, 1. 43) 2 Tim 2, 17. 44) P. L. 4, 513.
45) Ibid. col. 497. 46) Ibid. col. 498. 47) 2 Cor 11, 14. 48) Cf. ibid. vr. 15.
49) P. L. 4, 511. 50) Ibid. col. 513. 51) Mt 15, 14. 52) Cf. Nm 16, 1-32.

lebat; profecto quia non erat imbutus spiritu hominum nostri temporis politicorum, qui utinam inter christianos adnumerari possent! Hi enim sunt qui haereticos blandissime tractari vellent.

spiritum, qui haereticos blande tractari vellent.

III. At vero non ita Patres Sanctissimi atque doctissimi; haereticos enim semper eo modo tractarunt, quo Ioannes Baptista Pharisaeos et Sadducaeos, dicens: *Serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* [53] Imo quo Dominus scribas et Pharisaeos, dicens: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae.* [54] Quos etiam dicebat generationem malam atque adulteram. [55] Et Sadducaeis dixit: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* [56]

Non ita Patres, qui haereticos tractarunt, sicut Io. Baptista Sadducaeos et Christus Pharisaeos.

Tertullianus in suo *Scorpiaco* ait: [57] « Ad officium haereticos compelli, non inlici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda ». Hinc ab initio haereticos obstinatos catholica Ecclesia execrata anathemate perculsit, sicut Paulus Hymenaeum et Alexandrum satanae tradidit. [58]

Tertullianus dicit haereticorum duritiem vincendam esse, non suadendam.

S. Cyprianus, scribens *ad Pomponium*, adducit illud *Deuteronomii:* [59] *Si quis superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio;* ait: [60] « Interfici Deus iussit sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus a se constitutis ad tempus non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat. Nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse ad fideles servos Dei coepit, spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum Ecclesia Dei una sit, et nemini salus nisi in Ecclesia esse possit ».

Cyprianus ait quod haeretici spiritali gladio necandi sunt.

Tertullianus in suis *Praescriptionibus* ait [61] quod cum Marcion et Valentinus in catholicam primo doctrinam apud Romanam Ecclesiam credidissent, sub episcopatu Eleutherii benedicti, ita Romanum Pontificem praeclarum Christi martyrem benedicti elogio exornat, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel et iterum de Ecclesia eiecti fuerunt. Sic semper in sacrosanctis conciliis etiam antiquissimis anathematismos haeresum et haereticorum legimus, [62] haeretici nanque tanquam porci de Ecclesia eiiciuntur.

Tertullianus item scribit Marcionem et Valentinum ab Ecclesia eiectos esse; et sic semper in conciliis actum est cum haereticis.

53) Mt 23, 33; Lc 3, 7. 54) Mt 23, 13-29. 55) Cf. ibid. 12, 39. 56) Ibid. 22, 29.
57) Cp. 2, (P. L. 2, 125). 58) Cf. 1 Tim 1, 20. 59) 17, 12. Vulg.: *Qui autem*, etc.
60) Epist. 62, (P. L. 4, 371). 61) *Praescript.* 4, cp. 30, ibid. 2, 42.
62) Cf. Denzinger n. 59-82. 85. 101-108. 113-124. 213-228.

Hilarius exponens verba: *Nolite*, etc. ait per porcos intelligendos esse haereticos. Concordat Io. Chrysostomus, qui haereticos vocat serpentes,

S. Hilarius, scribens *in Matthaeum*, dum exponit illud: *Nolite sanctum dare canibus, neque proiiciatis margaritas... ante porcos,*[63] ait per porcos intelligendos esse haereticos: «Canes, inquit,[64] de oblatrandi adversus Deum rabie gentes sunt nuncupatae; porcorum vero haereticis est nomen». D. Ioannes Chrysostomus *in Matthaeum* et ipse per canes porcosque haereticos cum infidelibus intelligi posse exponit.[65] Et alibi haereticos *serpentes* dicit et *genimina viperarum:* «Serpentes, inquit,[66] sunt omnes haeretici prudentes in malo, stulti in bono.[67] Et sicut serpentes varii sunt in corpore suo, sic haeretici varii sunt in erroribus suis, et multiplices in malignitate, qui deposuerunt imaginem Dei, quae est *in iustitia et sanctitate veritatis*[68] et suscipientes imaginem serpentis, quae est in malitia et schemate veritatis facti sunt serpentes, filii serpentis illius, ad quem Dominus in persona Ecclesiae et diaboli dicit: *Ecce pono inimicitias inter te et mulierem*».[69] Et scribens in illud: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,*[70] ostendit[71] doctores haereticorum esse lupos rapaces, qui oves Christi persequuntur sicut Cain Abelem,[72] Ismael Isaacum,[73] Esau Iacob,[74] Iudaei Christum.[75] Ubi praeterea haereticos dicit domicilia daemonum, qui habent cubilia in pectoribus eorum, spinas, tribulos appellat, canes improbos, latrantes plurimum adversus servos Dei, multisque aliis nominibus Chrysostomus haereticos colorare consuevit.[76]

lupos rapaces, etc.

Epiphanius Apelleianos comparat vespae zopyro,

IV. D. Epiphanius, *adversus Apelleianos* haereticos scribens, haereticum facit[77] similem dolosae vespae, quae zopyros appellatur, quae aculeum habet et secundum suam facultatem venenum iacit. In fructibus autem nidum suum facit, et instar favi sibi ipsi capsas quasdam construit, in quibus sobolem suam deponit et sibi ipsi foetus facit: «Et si quis, inquit, favum tangat vel destruat, exit indignata

63) 7, 6. Vulg.: *Nolite dare sanctum canibus, nec mittatis*, etc. 64) Cp. 6, (P. L. 9, 951). 65) *Hom. 23*, (P. G. 57, 311). 66) *Opus Imperfectum in Matthaeum, Hom. 45*, ibid. 56, 890. Hoc opus nunc attribuitur cuidam Ariano 5 vel 6 saeculi. Cf. O. Bardenhewer *Patrologia*, vol. 2, pag. 129, ed. cit. 67) Cf. Rom 16, 19. 68) Eph 4, 24. 69) Gn 3, 15. Vulg.: *Inimicitias ponam.* 70) Mt 7, 15. 71) *Opus Imperfectum in Matthaeum, Hom. 19*, (P. G. 56, 739-740). 72) Cf. Gn 4, 8. 73) Cf. ibid. 21, 9-10; Gal 4, 29. 74) Cf. Gn 27, 41-45. 75) Cf. Io 15, 18-25. 76) *De Sacerdotio*, lib. 4, (P. G. 48, 667); *De Incomprehensibili Dei Natura, Hom. 3*, ibid. col. 725; *Hom. in Diem Natalem D. N. I. Christi*, ibid. 49, 359; *De S. Pentecoste, Hom. 1*, ibid. 50, 458. 77) *Adversus Haereses, Haeres. 44*, ibid. 41, 831. Versio differt aliquatenus ab editione Migne.

horrenda quidem, sed debilis vespa : et si invenerit petram, prae ira qua excanduit, cum stridore instat et impetit ac ferit petram, et petram quidem nihil laedit, verum aculeum amittit et sic perit. Sic, inquit, haec vespacea secta, instar zopyri, parvam inducens vexationem subvertetur, ubi in petram illapsa impegerit, hoc est, in veritatem ».

et haereticos generatim dicit aspides, viperas, etc.

Scribens autem *in Archonticos* haereticos ait quod haeresis valde similis est multiplici serpentum malignitati : « Quodammodo enim, inquit, [78] ex multis reptilibus mixtim est congregata erroris ipsorum venenosa eiaculatio, ut quae velut audaciam draconis habet, dolositatem vero physali, retractationem autem spiritus baetonis, elationem acontiae, proclivitatem ostracitae ». Alibi autem haereticos dicit aspides, [79] viperas, [80] cerastes, necnon hydroserpentes, [81] sepsviperas, qui sunt bicipites serpentes toto corpore rubris pilis induti ; [82] itemque dispadas, quae in aquas venena sua infundunt longe lethalia ; [83] itemque amphisbaenas, serpentes bicipites, [84] aliisque venenatissimis animalibus comparat. [85]

Gr. Nazianzenus ait haereticos vincere Iudaeos ingratitudine, daemones incredulitate. A Hieronymo antichristi vocantur.

Gregorius Nazianzenus ait [86] quod haereticus Iudaeos vincit ingratitudine, daemones autem incredulitate. D. Hieronymus, catholicae fidei propugnator acerrimus, haereticos multis nominibus longe infamibus saepe notare solitus fuit. [87] Frequenter antichristos dixit, [88] adducens illud Ioannis: *Nunc autem antichristi multi... sunt ;* [89] ipsorum conciliabula non Christi ecclesias, sed diaboli synagogas dicere solebat. [90] Scribens *in Rufinum*, in haereticos illud *Psalmi* intorquet : [91] *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, quae non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter.* [92]

Augustinus haeresim

D. Augustinus, qui hac in re Hieronymo paria egregie fecit, haereticorum sectam pestilentiae cathedram nuncupavit : « Eorum,

78) *Haeres. 40*, ibid. col. 691. 79) *Haeres. 30*, ibid. col. 451. 80) *Haeres. 26*, ibid. col. 362-363. 81) *Haeres. 25*, ibid. col. 330. 82) *Haeres. 28*, ibid. col. 387. 83) *Haeres. 34*, ibid. col. 626. 84) *Haeres. 35*, ibid. col. 631-634. 85) *Haeres. 22*, ibid. col. 298; *Haeres. 36*, ibid. col. 639-642; *Haeres. 48*, ibid. col. 879; *Haeres. 51*, ibid. col. 954; *Haeres. 58*, ibid. col. 1010. 86) *Orat. 45 in S. Pascha*, ibid. 36,662. 87) Epist. 98, (P. L. 22, 807-808); epist. 123, ibid. col. 1053; epist. 130, ibid. col. 1120; *Comment. in Isaiam*, lib. 6, ibid. 24, 216. 233; lib. 9, ibid. col. 315-316.343; lib. 12, ibid. col. 438; lib. 16, ibid. col. 549-550. 88) *Comment. in Matthaeum*, lib. 4, ibid. 26, 176. 89) 1 Io 2, 18. 90) Epist. 123, (P. L. 22, 1053); *Dialogus contra Luciferianos*, ibid. 23, 157. 182. 91) Lib. 3, ibid. 23, 489-490. 92) Ps 57, 4-6.

appellat cathedram pestilentiae,

inquit,[93] qui extra Ecclesiam vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiae dicimus. Qui enim inconcessa praesumit, reus est, quanto magis si et corrumpat traditionem eius, cuius sedem usurpat? Nam et ordinem, ab apostolo Petro coeptum et usque ad hoc tempus per traducem succedentium Episcoporum servatum, perturbant, ordinem sibi sine origine vindicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes; unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiae appellare ». *In Epistolam Parmeniani* haereticos furiosos dicit et agmina furiosorum appellat.[94]

et haereticos furiosos,

Alias Augustinus saepe haereticos dicit christiano nomine dealbatos, hoc est, falsos christianos,[95] veros antichristos,[96] lupos exagitandos et conterendos. Scribens *in Duas Epistolas Pelagianorum* agensque de haereticis, qui acquiescere conciliis nolunt, ait:[97] « Diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque iudicium ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sunt, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur ».

veros antichristos, lupos conterendos;

Audiant haereticorum fautores, qui haeresim volunt crimen esse impune, quid Augustinus hic dicat, et quomodo tractandi haeretici sint apertissime doceat: « Pastorali, inquit, vigilantia et diligentia lupi conterendi sunt ». Et sane hoc illud est quod Paulus *ad Titum* scribens, ait: *Increpa illos dure, ut sani sint in fide.*[98] Et *ad Galatas: Utinam*, inquit, *qui vos conturbant, abscindantur!*[99] Cupit perire lupos disperdentes dominicas oves[100] et gregi Christi minime parcentes.[101] *Ad Timotheum* autem scribens, haeresim comparavit cancro: *Quorum sermo*, inquit, *ut cancer serpit.*[102] Cancer autem, nisi ferro abscindatur, perpetuo cum serpat, totum corpus corrumpit.

iuxta Pauli doctrinam, qui docet haereticos abscindi debere,

quia eorum *sermo ut cancer serpit.*

V. Et, ut de re admodum necessaria adversus haereticos eorumque fautores, hic nonnihil dicamus, [aliquid adiungendum nobis est]. Homines enim evangelici alienum esse putant ab evangelica pietate haereticos severe punire et peiori loco quam Iudaeos habere,[103] cum

Obiiciunt evangelici: non esse puniendos haereticos, quia

93) *Quaest. in Utroque Testamento*, (P. L. 35, 2331). 94) Lib. 1, cp. 8, ibid. 43, 43-44. 95) Cp. 9, ibid. col. 44; *De Civitate Dei*, lib. 2, cp. 9, ibid. 41, 674. 96) *Tract. 3 in Epist. Ioannis ad Parthos*, ibid. 35, 1999-2002; *De Civitate Dei*, lib. 2, cp. 19, ibid. 41, 685-687; *Contra Adversarium Legis et Prophetarum*, lib. 3, cp. 19, ibid. 43, 151-152; lib. 7, cp. 15, ibid. col. 231. 97) Lib. 4, cp. 12, ibid. 44, 638. 98) 1, 13. 99) 5, 12. Vulg.: *Utinam et abscindantur, qui*, etc. 100) Cf. Io 10, 12. 101) Cf. Act 20, 29. 102) 2 Tim 2, 17.
103) *Praefat. in Lutheranismi Hypotyposim*, vol. 2, pag. X. XVIII-XIX; *Additamentum 1*, ibid.

fides donum Dei sit [104] et libera debeat esse, et maxime cum in Evangelio de puniendis haereticis nullum extet praeceptum, quin potius sit vetitum ne zizania colligantur, *ne forte*, inquit, *colligentes zizania eradicetis cum eis simul et triticum.* [105] Sed si tam alienum est a pietate evangelica haereticos insectari, cur, quaeso, ipso etiam Evangelio, non modo ethnicis et publicanis comparantur, [106] nec tantum zizania dicuntur, quae tandem colligenda sunt et in aeternum ignem mittenda; [107] verum etiam *serpentes, genimina viperarum, lupi rapaces, fures, latrones* appellantur, et etiam falsi prophetae, quibus divina lege, semel et iterum in *Deuteronomio,* capitale supplicium decretum legimus? [108]

hoc alienum est a pietate, et in Evangelio dicitur non esse colligenda zizania. Sed haeretici non tantum zizania dicuntur, sed lupi, fures, etc.

Sed in Evangelio, inquiunt, non habemus praeceptum de puniendis et animadvertendis haereticis. Utique; sed neque de reis quibuscumque: furibus, latronibus, sicariis, plagiariis, homicidis, parricidis, patricidis, matricidis aliisque teterrimis reipublicae pestibus tollendis e medio habemus a Christo praeceptum. Quid ergo? Omne crimen per Evangelium debet esse impune, ut Ecclesia Christi iam non templum Dei, sed latronum spelunca per Evangelium constituta sit? [109]

Ceterum nec de reis puniendis extat praeceptum in Evangelio; ergo omne crimen erit impune?

Sed vetitum, inquiunt, est eradicare zizania, hoc est, haereticos extirpare. Si Dominus, dum parabolam zizaniorum Apostolis interpretatus fuit, dixisset per zizania haereticos tantum designatos esse, vicissent; sed *zizania*, inquit, *filii sunt nequam,* [110] *illius nequam, illius mali,* hoc est, diaboli, quos postea appellavit *scandala,* [111] hoc est, homines *qui operantur iniquitatem.* [112] Quare si verum esset quod perditi homines loquuntur, inhibitum esset christianis principibus de facinorosis perditissimisque etiam nebulonibus poenas sumere, et inaniter dixisset Paulus, quod princeps *minister... Dei est, vindex in iram ei qui operatur malum; neque enim sine causa gladium portat.* [113] Reges autem omnes ministros Dei esse ostendit Regius Vates, dum ait: *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore.* [114]

Per zizania vero non tantum haeretici designantur; sed etiam mali homines, qui utique puniendi sunt, ut docet Paulus.

Nunquam autem nec in Veteri quidem Testamento Ecclesia Dei

Ecclesia vero

pag. 350; *Comment. De Rebus Austriae et Boihemiae,* pag. 20; L. Pastor *Storia dei Papi,* vol. 12, cp. 11, pag. 513-585. 104) Cf. Eph 2, 8. 105) Mt 13, 29. Vulg.: *Simul cum eis.* 106) Cf. ibid. 18,17. 107) Cf. ibid. 13, 30-42. 108) Cf. 13, 5; 18, 20. 109) Cf. Mc 11, 17. 110) Mt 13, 38. 111) Ibid. vr. 41. 112) Ps 58, 6; 91, 8; 118, 3. 113) Rom 13, 4. Vulg.: *Dei minister... ei, qui malum agit.* 114) Ps 2, 10-11.

nec in V. T. hanc erroris libertatem novit, nam, ut Augustinus docet, nulla est peior mors animae quam libertas erroris.

novit perniciosissimam istam, quam politici tantopere volunt, liberam religionem, vel libertatem quam dicunt conscientaie vel credendi, hoc est, libere errandi a via regia, a via salutis in semitas perditionis. Non enim nisi unica tantum est via salutis, quia *unus Deus, una fides.*[115] Quid autem gregibus exitiabilius, quid perniciosius quam posse per montes saltusque libere errare? D. Augustinus *ad Donatistas:* « Quae est, inquit,[116] peior mors animae quam libertas erroris? » Hoc autem rapaces lupi quam maxime cupiunt. Similes hi sunt hominibus qui consulunt, ut navis in medio mari absque ullo gubernaculo libera ventis undisque committatur, hoc est, ut ad certissimum naufragium exponatur.

In V. T. haeresis fuit capitale crimen.

Ecclesia autem Dei nunquam, ut dixi, libertatem istam sane diabolicam novit, nunquam fecit haereseos crimen impune. In Veteri quidem Testamento fuit haeresis capitale crimen; iussit Deus falsos prophetas severe admodum absque ulla miseratione occidi. Elias, propheta Spiritu Dei plenissimus, multos prophetas Baal uno die occidit;[117] reges pientissimi Ezechias,[118] Iosias[119] et alii [120] falsos prophetas e medio sustulerunt lucosque et templa idolorum destruxerunt.

In N. T. haeretici habentur ut lupi rapaces, et Paulus eos satanae tradebat.

In Novo autem Testamento praeceptum habemus ut eos tanquam ethnicos et publicanos, tanquam lupos rapaces habeamus. Arguitur in *Apocalypsi* Angelus Pergami quod pateretur aliquos *tenentes doctrinam Nicolaitarum,* et Angelus Thyatirae quod permitteret Iezabelem seducere servos Dei.[121] Paulus haereticos satanae tradebat, ut discerent non blasphemare,[122] non enim nisi blasphemi sunt omnes haeretici.

Utinam principes legem in eos capitalis poenae tulissent!

VI. Utinam autem principes omnes, qui christianam pietatem profitentur, in blasphemos haereticos legem tulissent, quam Nabuchodonosor tulit in blasphemos, qui ausi fuissent blasphemare Deum, qui salvaverat tres pueros ab incendio fornacis, ut capitali poena plecterentur et domus eorum destruerentur![123] D. Augustinus epistola *ad Bonifacium* inquit[124] quod « Nabuchodonosor, divino correctus miraculo, piam et laudabilem legem hanc pro veritate constituit ».

115) Eph 4, 6. 5. 116) Epist. 105, cp. 2, (P. L. 33, 400). 117) Cf. 3 Rg 18, 40. 118) Cf. 4 Rg 18, 4. 119) Cf. ibid. 23, 4-20. 120) Cf. 2 Par 15, 8; 17, 6. 121) Cf. 2, 12-20. 122) Cf. 1 Tim 1, 20. 123) Cf. Dn 3, 96. 124) Epist. 185, cp. 2, (P. L. 33, 796).

Ut fecerunt Theodosius, Valentinianus, etc.,

sed nunc haeresis grassatur et indicitur silentium, dum Hieronymus ait quod resecandae sunt haereses.

Habemus quidem religiosissimorum imperatorum Theodosii,[125] Valentiniani,[126] Martiani[127] et aliorum[128] leges in haereticos severissimas, quibus non modo exilio et publicatione bonorum omnium, verum etiam ultimo supplicio mulctari iubentur. Sed sanctissimis legibus, ubi haeresis grassatur, quam maxime silentium indictum est plusquam pythagoricum,[129] nonnisi crudelis cuiusdam pietatis ergo. « Resecandae sunt, inquit D. Hieronymus, putridae carnes, ne totum corpus putrescat ». Scribens enim *in Epistolam ad Galatas*, super illud : *Modicum fermentum totam massam corrumpit :*[130] « Igitur, inquit,[131] scintilla statim ut apparuerit, extinguenda est et fermentum a massae vicinia semovendum. Secandae putridae carnes et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est ».

Crudelem politicorum pietatem execrata, Ecclesia semper haereticos gladio spiritus punivit;

Crudelem istam fatuamque politicorum pietatem, hoc est, summam crudelitatem, sancta mater Ecclesia ab initio execrata, in haereticos piissima severitate saevit, manumque medicam in resecandis a corpore, quod cancro laborabat, putridis carnibus imitata, gladium adhibuit spiritualis potestatis ad praescindendos a corpore fidelium per excommunicationis sententiam quoscumque haereticos.

quod est morti tradere, ut Cyprianus et Augustinus interpretantur.

Quod quidem, ut D. Cyprianus *ad Pomponium* ait, est eos morti tradere : « Spirituali, inquit,[132] gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim vivere foris possunt ». Et D. Augustinus, scribens *in Adversarium Legis et Prophetarum*, ait[133] « horribilius esse tradi satanae per excommunicationem quam gladio feriri et flammis absumi ».

Sed, quia excommunicatio facile contemnitur,

VII. Sed quoniam licet gravissima poena sit excommunicatio, quam Sancti Patres nunc divinam censuram dicunt[134] et futuri iudicii praeiudicium,[135] nunc separationem a Christi corpore, quae hominem

125) *Codex Iustinianus* nova ac perelegans concinnatio, t. 4, lib. 1, tit. 8 *De Haereticis et Manichaeis*, f. 24ᵇ-25ᵃ, Lugduni, apud Ant. Vincentium 1541. 126) Ibid. f. 25. 127) Ibid. 128) Ibid. f. 24. 129) Silentium scilicet altum et diuturnum. Pythagoras enim suis discipulis silentium maxime commendabat, et iubebat per quinquennium illud religiosissime servare. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Pythagoras* nomine. 130) 5, 9. 131) Lib. 3, (P. L. 26. 403). 132) Epist. 62, ibid. 4, 371. 133) Lib. 1, cp. 17, ibid. 42, 623. 134) Tertullianus *Apologeticus*, cp. 39, ibid. 1. 469; S. Cyprianus *De Lapsis*, ibid. 4, 471. 135) Tertullianus *Ad Uxorem*, lib. 2, cp. 3, ibid. 1, 1292-1293.

a regno Dei facit extorrem,[136] eiectionem ab Ecclesia et traditionem in satanae dominatum,[137] spiritualis cum sit, sub oculos minime cadens, facile contemnitur: « Multitudo autem hominum, ut Augustinus ait,[138] non in corde cor habet, sed in oculis, unde mors spiritualis, inquit, licet tetrior, luctuosior, verior, quia non videtur, non plangitur, quin etiam iure consuetudinis deridetur »; hinc est quod Ecclesia post spirituales poenas etiam corporales adhibuit, quas homines multo magis reformidare solent.

Ecclesia etiam corporales poenas adhibuit.

Hinc Constantinus M. Arium exilio mulctavit;

Hinc Constantinus Magnus pientissimus imperator post Nicaenum concilium exilio Arium Arianosque mulctavit, et, ut Sozomenus est auctor,[139] Episcopis omnibus et populis scriptum edictum misit, ut omnes Arii fautores impiorum numero ducerent, omnes libros scriptaque omnia flammis ultricibus darent; et, ut si quis deprehensus fuisset occultasse librum aliquem, nec illico produxisset, capitali supplicio mulctaretur.

Theodosius in Nestorianos edictum tulit,

Extat autem Constantini edictum in Arium scriptaque ipsius in Arianos omnes, quos Porphyrianos nuncupat, apud Socratem.[140] Et Theodosius Iunior in edicto quod adversus Nestorium edidit, sanctionis huius meminisse reperitur, ubi iubet[141] ut Nestorii sectatores Nestoriani[142] dicerentur, sicut Constantini lege Ariani a Porphyrio Porphyriani nuncupabantur propter similitudinem impietatis. Porphyrium autem dicit Constantinus capitalem pietatis et religionis christianae hostem turpissima infamiae labe aspersum.[143] Quare hoc titulo Arianos omnes infamiae labe aspersit et foedissime turpificavit.

et contra haereticos omnes legem statuit, qua prohibebantur conventus facere, etc.

Sanxit et aliam legem adversus omnes haereticos. Extat autem apud Eusebium; in qua haeretici dicuntur[144] « veritatis inimici, hostes vitae, internecionis auctores et consiliarii, apud quos omnia sunt veritati contraria, turpbius consentientia, maleficiis, ineptiis et commentitiis fabulis exultantia », multisque aliis nominibus graphice admodum eos describit. Prohibuit autem ne ullo in loco vel publico

136) S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 20, cp. 9, ibid. 41, 673-674. 137) Tertullianus *De Pudicitia*, cp. 20, ibid. 2, 1023. 138) *Cf. Contra Epist. Parmeniani*, lib. 1, cp. 8, ibid. 43, 43. 139) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 20-21, (P. G. 67, 919-923). 140) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 9, ibid. col. 83-90. 141) *Codex Iustinianus*, t. 4, lib. 1, tit. 8 *De Haereticis et Manichaeis*, f. 25. 142) Ms.: *Simoniani*. 143) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 9, (P. G. 67, 37). 144) *De Vita Constantini*, lib. 4, cp. 64-65, ibid. 20, 1139-1142.

vel privato fierent haereticorum conventus ac propterea ut omnia loca templaque, si modo, inquit, templa appellare convenit, diruerentur et solo aequata absque mora Ecclesiae catholicae traderentur. Refert autem Sozomenus[145] quod, hac lege promulgata, complures haeretici perterriti se Ecclesiae catholicae addixerunt et sectarum memoria magna ex parte deleta est.

Edidit etiam contra Donatistas severissimam legem;

Edidit etiam contra Donatistas severissimam legem, ut Augustinus scribit,[146] «cuius iudicium, inquit, per christianos imperatores Valentinianum, Gratianum Theodosiumque firmissime custoditum, a Iuliano autem apostata, Christi desertore, dissolutum, qui tunc reddidit, inquit, basilicas haereticis, quin et templa daemoniis». Statuit idem imperator Donatistis et corporalem poenam, ut D. Augustinus testatur, ita scribens:[147] «Audet conqueri Parmenianus quod eos Constantinus ad campum, idest, ad supplicium duci iussit, qui victi apud ecclesiasticos iudices, nec apud ipsum, quae dicebant probare potuerunt et adhuc in sanctae Ecclesiae praecisione sacrilego furore ferebantur. Sed quid, inquit Augustinus,[148] non iuste patiuntur isti, cum ex altissimo Dei praesidentis et ad cavendum ignem aeternum flagellis talibus admoventis iudicio patiuntur et merito criminum et ordine potestatum? Primum probent se non esse haereticos vel schismaticos; tum demum de indignis poenis suis lividam emittant vocem».

imo et corporalem poenam, ut refert et suo iudicio probat Augustinus,

mutans hac in re anteriorem suam sententiam.

Alibi autem D. Augustinus exemplo Nabuchodonosor probat christianos principes recte commoveri adversus detestandos Ecclesiae dissipatores, et concludens videndum esse docet qualia faciant et qualia patiantur haeretici: «Occidunt, inquit,[149] animas, et affliguntur in corpore; sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur». Hinc manifestum est qualis fuerit Augustini sententia de puniendis corporali poena haereticis. Fuit quidem ipse aliquando eius sententiae, ut arbitraretur cum haereticis nulla vi, sed solo Dei verbo agendum. Sed, ut scribit *ad Vincentium*[150] *et Bonifacium*,[151] superatus aliorum sententiis exemplisque, cum expe-

145) *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 32, ibid. 67, 1027. 146) Epist. 105, cp. 2, (P. L. 33, 399-400). 147) *Contra Epist. Parmeniani*, lib. 1, cp. 8, ibid. 43, 43. 148) Ibid. 149) *Tract. 11 in Ioannem*, ibid. 35, 1483. 150) Epist. 93, cp. 5, ibid. 33, 329-330. 151) Epist. 185, cp. 2, ibid. col. 795.

rimento comperisset utiles admodum esse principum leges ad compescendos convertendosque haereticos, mutavit sententiam.

Calvinus Servetum supplicio affecit. Ipse Lutherus docet falsos doctores a magistratibus puniendos esse;

VIII. Et quidem Ioannes Calvinus Michaelem Servetum Genevae tanquam haereticum publico supplicio affecit.[152] Lutherus autem, licet in *Assertione 33 Articuli*[153] [aliud docuerit]; tamen scribens in *Psalmum : Deus stetit in synagoga,*[154] ex professo tractans an a magistratu puniendi sint haeretici et falsi doctores, docet[155] quod utique puniendi sunt tanquam seditiosi et rebelles, qui principibus et magistratibus resistunt, et praeterea tanquam publici blasphemi, qui errores contra fidem docent, ut puta contra Christi divinitatem. Ubi ait quod Sancti Patres concilii Nicaeni ne audire quidem voluerint impias in Christum Arii blasphemias, sed damnarunt; quoniam, inquit, articuli christianae fidei satis superque probati sunt per Scripturas, per confessionem totius christianitatis, multisque miraculis confirmati et signati sanguine multorum sanctorum martyrum, quin adhuc libris omnium doctorum contestati atque defensi, nec egent novis probationibus. Puniendos itaque docet, sicut Moyses praecepit blasphemos lapidari.[156] Solvit autem ibidem Lutherus argumentum sumptum a Iudaeis.

citat vero exemplum Patrum Nicaeni concilii,

solvitque argumenta adversariorum.

Patet igitur quidnam sit, iuxta Patres, quaevis haereticorum secta.

Nunc, si Sanctorum Patrum roganda nobis esset sententia, ut dicerent quidnam sit unaquaeque haereticorum secta, ex ipsorum sententiis iam allatis perspicuum est ipsorum responsum. Fasciculus est zizaniorum, quae inimicus Christi diabolus superseminavit; campus spinarum et tribulorum, silva malarum arborum, quae faciunt fructus malos; sarcina sarmentorum inutilium, quae a vite praecisa sunt ad comburendum; stabulum immundorum animalium, grex porcorum, cubile serpentum atque draconum, congregatio luporum rapacium canumque rabidorum, favus et examen vesparum, multitudo corvorum alitumque carnivorarum immundarum lucifugarum, cathedra pestilentiae, synagoga diaboli, familia satanae, acies cuneusque militum antichristi, agmen furiosorum, factio inimicorum Christi, qui solo sunt nomine christiani, re autem vera antichristiani, colluvies hominum

152) Cf. L. Surius *Comment. Brev. Rerum in Orbe Gestarum*, pag. 538, ed. cit. 153) W. L. t. 2, f. 116-117. 154) Ps 81, 1. 155) W. L. t. 3, f. 546. 156) Lv 24, 13-16.

perditissimorum, qui a Christo sunt una cum satana maledicendi, damnandi et in aeternum ignem mittendi.

IX. Omnium autem haereticorum veterum pessimi a Sanctis Patribus habiti sunt Ariani. S. Athanasius in *Vita S. Antonii* scribit [157] Antonium reperisse Arianos infidelissimam sectam et dixisse multo deteriores serpentibus esse eorum sermones, et quod cum vir sanctus Alexandriae catholicam fidem ab Episcopis et universis fratribus rogatus praedicasset, Catholicis pro concione dixerit: « Cum Arianis nulla nobis sit coniunctio; *quae* enim *societas luci ad tenebras?* [158] Vos fideliter credentes christiani estis, illi nullo intervallo a gentilibus separantur ». Atque ita publico sermone Arianos condemnavit, affirmans ultimam hanc esse haeresim et praecursorem antichristi.

Ariani tamen ut pessimi omnium haereticorum habiti sunt a Patribus. S. Antonius eos serpentibus deteriores dixit;

Ipse autem Athanasius *in Arianos* scribens, de eadem haeresi ita loquitur: [159] « Universale totius orbis concilium Arium ista loquentem eiecit ab Ecclesia, et anathemate execratum est, non ferens blasphemias. Ex quo in reliquum tempus Arii error pro haeresi existimatus, quae plus mali in se haberet quam ceterae haereses, eo quod et perduellis Christi et praeambulatrix antichristi cognominata sit ».

Athanasius vocat eos perduelles Christi,

Et alibi in eosdem invectus similes facit hydrae et quodammodo diabolo peiores, dicens: [160] « Haereticus, ut res ipsa docet, pravum omnino et undequaque corruptum animum ad pietatem habet; ecce enim ubique refutati declaratique nullius scientiae esse, erubescere tamen nequaquam possunt. Sed quemadmodum in fabulis ethnicorum celebrata hydra, sublatis prioribus serpentibus aliisque suppullulantibus, pertinaciter contendebat novo semper obiectu anguium contra eum, qui ipsi suos serpentes tollebat; ita quoque isti execrabiles homines animo ethnico deiecti ab illis, quae obiiciebant, alias reperiunt iudaicas et stultas controversias et, quasi veritatem hostem haberent, comminiscuntur nova, ut ita se magis Christi perduelles et oppugnatores declarent, quippe qui post tot refutationes, quibus vel diabolus ipse horum pater reiectus confususque retro abiisset, [161] rursum ex perverso corde nova alia comminiscuntur ». Et ita quidem omnes orthodoxi Patres

similes hydrae et diabolo peiores.

157) P. G. 26, 941. Versio Evagrii, quae extat in calce Migne. 158) 2 Cor 6, 14.
159) *Orat. 1*, (P. G. 26, 26). 160) *Orat. 3*, ibid. col. 446. 161) Cf. Lc 4, 3-13.

Arii haeresim tanquam veneno plenissimam pestilentissimamque, omnium pessimam sunt arbitrati.[162]

Si Patres Lutherum agnovissent, peiorem Ario certe dixissent.

Sed si vidissent Sancti Patres nostrum hoc deploratissimum saeculum, proculdubio Lutherum Ario impietate haereseos longe praetulissent, et posteriorem aetate priori loco statuissent, sicut patriarcha Iacob ex duobus filiis Ioseph minorem natu Ephraim praetulit Manasse maiori.[163] Omnes haeretici filii sunt diaboli, sed Arius et Lutherus filii praestantissimi, sed maior minori deservit; agnovissentque [Patres] Lutheranorum sectam multis gradibus praestare Arianorum haeresi.

Ariana haeresis fuit omnium praestantissima; multos asseclas et fautores potentissimos habuit;

Fuit haec quidem olim in antichristiana pietate omnium maxime praestantissima, ita ut nulla alia haeresis vel latius vel violentius christianum orbem fuerit pervagata et in catholicam Ecclesiam grassata.[164] Assertores nanque propugnatoresque acerrimos habuit non modo imperatores potentissimos Constantium[165] et Valentem[166] et reges Vandalorum, Ostrogothorum, Wisigothorum Gensericum,[167] Trasimundum,[168] Hunnericum,[169] Alaricum,[170] Theodoricum,[171] Totilam[172] aliosque, verum etiam innumeros Episcopos cum in Oriente, ubi mirum in modum grassabatur, tum etiam in Occidente, sicut in ecclesiasticis historiis notissimum est.[173]

non tamen tot errores, quot lutherana haeresis.

Non tamen adeo multos habuit errores, reprobosque et a catholica fide dissonantes articulos atque lutherana, quae, ut C o c h l a e u s scribit[174] et luce clarius est, usque adeo dissonat a catholicae Ecclesiae fide et doctrina, ut non modo omnem Sanctorum Patrum in

162) Cf. Io. Cassianus *De Incarnatione Christi*, lib. 1, cp. 1, (P. L. 50, 11-14). 163) Cf. Gn 48, 12-19. 164) S. Basilius M. epist. 92 *ad Italos et Gallos*, (P. G. 32, 479-482); S. Hieronymus *Dialogus contra Luciferianos*, (P. L. 23, 172-173); *Comment. in Epist. ad Galatas*, lib. 3, ibid. 26, 403; Vincentius Lirinensis *Commonit. 1*, ibid. 50, 642-645. 165) S. Athanasius *Hist. Arianorum ad Monachos*, (P. G. 25, 771-787); S. Gregorius Naz. *Orat. 43 in Laudem Basilii M.* ibid. 36, 551-556; S. Hilarius *Liber contra Constantium*, (P. L. 10, 580-582); Lucifer Cal. *Pro S. Athanasio*, lib. 1, ibid. 13, 859; *Moriendum est pro Dei Filio*, ibid. col. 1010; Vincentius Lirinensis *Commonit. 1*, ibid. 50, 642-645. 166) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 4, cp. 11-33, (P. G. 82, 1146-1195); P. Orosius *Hist.* lib. 7, cp. 33, (P. L. 31, 1144-1147). 167) Victor Vitensis *Hist. Persecutionis Africae*, lib. 1, (P. L. 58, 182-202); S. Isidorus Hisp. *Hist. de Regibus Gothorum*, ibid. 83, 1077-1078; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 3, cp. 1, pag. 310-312. 168) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 3, cp. 1, pag. 311-312. 169) Ibid. pag. 311. 170) Hart. Grisar S. I. *Roma alla Fine del Mondo Antico*, vol. 1, pag. 68-81. 171) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 3, cp. 1, pag. 314. 172) Centuriatores Magd. *Centuria 6*, vol. 2, cp. 2, col. 23; *Vita S. Benedicti*, cp. 15, (P. L. 66, 162); S. Gregorius M. *Dialogorum*, lib. 3, cp. 11-13, ibid. 77, 237-241. 173) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 1, cp. 4, pag. 47-81 174) *Septiceps Lutherus*, Parisiis 1564. Cf. *Dissert. 2*, sect. 1, not. 66.

doctrina fidei auctoritatem conculcarit et una cum piis ritibus a maioribus nostris sancte institutis et religiose in Dei cultu servatis, omnes ecclesiasticos canones, statuta, leges, omniumque conciliorum decreta pessumdederit,[175] ac nihili pendens e medio tulerit; verum etiam ipsa Ecclesiae sacramenta divinitus instituta partim aboleverit, partim mutaverit in peius ac profanaverit totumque catholicae Ecclesiae statum ordinemque turbarit, inverterit ac pene una cum fidei doctrina mirum in modum interturbata, obscurata, foedata everterit; ita ut apud Lutheranos Ecclesiae Dei super Petrum fundatae vix umbra aut vestigium qualecumque remanserit: *Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam.* [176]

Lutheranorum secta est ex Bellarmino exercitus locustarum, de quibus Ioannes in *Apocalypsi* loquitur: *Vidi stellam*, etc.

X. Sed, ut dicamus tandem quidnam sit Lutheranorum secta ac ipsius veluti imaginem coloribus suis vel lineamentis deductis exprimamus, praeter ea quae in communi de haereticorum sectis dicta sunt, [177] cum Cardinali Bellarmino [178] dicimus exercitum esse monstrosarum locustarum, quas in sua divinissima *Apocalypsi* Ioannes sub quinti Angeli tuba descripsit post stellam de coelo lapsam, dicens: *Vidi stellam de coelo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae; et obscuratus est sol et aer de fumo putei, et de fumo putei exierunt locustae in terram et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terrae*, etc. *Et similitudines locustarum similes equis paratis in proelium, et super capita earum tanquam coronae similes auro, et facies earum tanquam facies hominum, et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes earum sicut dentes leonum erant; et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum. Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum... Et habebant super se regem angelum abyssi.* [179]

Per stellam de coelo lapsam Bellarminus in-

Per stellam autem de coelo lapsam interpretatur vir eruditissimus Lutherum lapsum in haeresim, Lucifero similem, cui apud Isaiam dicitur: *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, qui mane oriebaris?* [180] In

175) Ms.: *Pessumdarit.* 176) Ps 79, 14. 177) Cf. part. 3 proxime edenda.
178) S. Rob. Bellarmini *Conciones*, pag. 664 sqq. Venetiis, ex typographia Ambrosii Dei 1617; *Controversiae Christianae Fidei*, t. 1, lib. 3 *De Romano Pontifice*, cp. 23, pag. 387-389.
179) 9, 1-11. 180) 14, 12.

terpretatur Lutherum, qui cecidit de coelo religionis in sacrilegas nuptias;

Sacris nanque Litteris stellae dicuntur viri, quorum *conversatio in coelis est,* [181] cum propter Deum terrena minime curent. Stellae spirituales sunt ii, quibus Paulus *ad Philippenses* ait : *Lucetis sicut luminaria in mundo ;* [182] et quibus Dominus ait : *Vos estis lux mundi.* [183] Lutherus autem, cum in catholica religione caelibem vitam profiteretur, per haeresim usque ad incestas sacrilegasque nuptias lapsus fuit.

habuit clavem abyssi contra claves coeli, idest, Petri.

Clavem habuit abyssi contra claves coeli, quas Dominus Petro tradidit. [184] Praecipuum enim Lutheri studium fuit in oppugnando Romano Pontifice successore Petri. [185] Et ea quidem ratione longe multis infernum aperuit, quos per haeresim a via salutis abductos in viam perditionis, quae ad perpetuum ducit interitum, adduxit.

Hinc fumus errorum in christianitate.

Hinc fumus fornacis babylonicae, imo infernalis errorum plane tartareorum in christianitate, hinc tenebrae haeresum plusquam cimmeriae, [186] quam aegyptiae, [187] *operuerunt terram, et caligo populos,* [188] quibus et *sol iustitiae* Christus [189] in multorum mentibus quam maxime obscuratus est, et aer, sive coelum catholicae religionis puraeque Divinarum Scripturarum doctrinae.

Post fumum veniunt locustae, quae sunt haereticorum insigne.

XI. Post stellam autem in terram delapsam, de puteo tam tetrum fumum emittente, veniunt locustae de fumo, hoc est, teterrima haeresi, exeuntes. Est autem locusta in Sacris Litteris speciale quoddam haereticorum insigne. Non desunt ex sacris scriptoribus, qui vaticinium illud Ioelis : *Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo,* [190] allegorice de quattuor persecutionibus Ecclesiae interpretantur. [191] Passa enim est Ecclesia persecutiones primo quidem ab infidelibus Iudaeis et idololatris, postea vero ab haereticis, tertio a malis christianis, quorum vita scandalis plena est, tandem passura est antichristi persecutionem, novissimam quidem, sed omnium maximam persecutionem antichristi. [192]

Et quoniam in Sacris Litteris locustae aliquando in bonam partem

181) Phil 3, 20. 182) Ibid. 2, 15. 183) Mt 5, 14. 184) Cf. ibid. 16, 19. 185) *Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 61ª-66ª; *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum*, ibid. t. 7, f. 447ª-479ᵇ; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 10, pag. 138-142; *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 302-303. 186) Cf. *Dissert. 3*, sect. 1, not. 25. 187) Cf. Ex 10, 22-23. 188) Is 60, 2. Vulg.: *Operient.* 189) Mal 4, 2. 190) 1, 4. 191) Hugo de S. Victore *Adnotatiunculae in Ioelem Prophetam*, (P. L. 175, 323-324). 192) Cf. Mt 24, 21-23.

sumuntur, nam in *Levitico* inter animalia munda computantur[193] et in Evangelio legimus quod erant cibus Ioannis Baptistae;[194] sed, quoniam venena hic habent scorpionum, nonnisi in malam partem sumuntur, nec nisi malos homines hostesque crudeles designare possunt, quemadmodum iuxta historiam apud Ioelem inimicos Iudaeorum designant.[195] venena scorpionum habentes,

Sunt locustae insecta animalia corpore parva, valde edacia atque voracia, adeo ut non ad aliud creata videri possint. Hinc totum fere corpus venter est, ad volandum parum ob ventris gravitatem apta; quare saltare potius quam volare cernuntur. Hominibus valde sunt noxia, pestes camporum, segetum, frugum, quin etiam arborum; omnia enim depopulantur, sicut in *Exodo* legimus.[196] Et cum regem non habeant, sicut Salomon in *Proverbiis* ait,[197] turmatim ac veluti in acies ordinatae ad instar exercitus incedunt innumerabili multitudine, ut propterea in Sacris Litteris locustis comparentur exercitus longe maximi.[198] quae, licet parvae, tamen sunt edaces, pestes segetum.

Ita, inquit, de fumo putei exierunt locustae multae numero. Successit enim Luthero sicut Mahumeti, qui statim multo plurimos innumerosque habuit sequaces. Non sicut Christo, qui in uno tantum Iudaeorum populo, cum multo tempore Evangelium praedicasset et miraculis divinis absque numero confirmasset, non tamen nisi paucos invenit, qui in ipsum ex toto corde crederent; innumeros autem qui odio haberent et ad necem quaererent. Non ita Lutherus, illico invenit sine numero sectatores, qui suum ipsius evangelium obviis manibus accipientes amplexati sunt atque exosculati. Non enim ad arctam viam, *quae ducit ad vitam*, sed ad latam et spatiosam, *quae ducit ad perditionem*,[199] vocavit homines sicut Mahumetes, non sicut Christus Dominus noster. Sic Lutherus innumeros statim asseclas habuit, quia non ad arctam, sed ad latam viam vocavit.

Sunt locustae animalia parva; hinc, sicut in *Numeris* legimus,[200] parvi homines locustis comparantur. Ita sane Lutherani homines sunt virtute parvi, una enim sola fide contenti virtutes alias floccipendunt atque pessumdant. Edaces locustae sunt atque voraces, nec nisi explendo ventri inserviunt, et, licet alas habeant, ventris pondere pressae, volare non possunt. Homines sunt, de quibus Apostolus Locustae sunt parvae et voraces; Lutherani item sunt parvi virtute, quia sola fide contenti, et

193) Cf. 11, 22. 194) Mc 1, 6. 195) 1, 4 sqq. 196) Cf. 10, 5. 197) Cf. 30, 27.
198) Cf. Idc 6, 5; 7, 12; Ier 46, 23. 199) Mt 7, 13-14. 200) 13, 34.

hostes ieiuniorum;

ait: *Quorum deus venter est,*[201] sarcophagi, epicurei, ventri addicti, hostes ieiuniorum, abstinentiae et continentiae inimici. Mentem habent, sed ad coelestia divinaque volare non possunt, et sicut de porcis ille ait[202] quod anima data eis pro sale est, ne caro putrescat; ita hi animam in corpore nonnisi corporis gratia accepisse videntur, vivunt ut comedant, ut commessationibus largisque compotationibus et luxui pro virili indulgeant, pestes sunt catholicae Ecclesiae, Catholicis omnibus infensi hostes, nati ad bona ecclesiastica devastanda, consumenda, dilapidanda.

locustae sunt sine rege, et tamen unitae ad infestandum; Lutherani, sine capite, et tamen uniti ad impugnandam R. Ecclesiam;

Non habent locustae regem aut principem, et tamen ad regiones infestandas depopulandasque turmatim et quasi in unum exercitum collectae incedunt; ita sane Lutherani in sua ecclesia nullum habent supremum caput, pastorem, rectorem, Christi in terris vicarium,[203] contra catholicam tamen Ecclesiam ad eam devastandam et mille modis oppugnandam expugnandamque uniti sunt.

locustae habent faciem hominis, sed dentes leonum et caudas scorpionum; Lutherani per dulces sermones seducunt, dentibus lacerant ecclesiasticos, etc.;

Habent locustae *faciem hominis et capillos mulierum,* sed *dentes leonum,* quoniam sub vestimentis ovium lupi rapaces sunt,[203a] *et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium,*[204] et sub specioso praetextu verbi Dei Catholicos omnes, maxime vero ecclesiasticos, caninis ac leoninis dentibus lancinant et lacerant; scorpionum instar blandiri videntur brachiis, sed caudis venena infundunt. Hinc locustae non modo dentes leonum habent per apertam in Catholicos violentiam, verum etiam *caudas scorpionum* per occultas fraudes dolosque, quibus simpliciores venenare conantur.

locustae habent coronas aureas; Lutherani sunt arrogantes;

Habent super capita coronas aureas per fastum, arrogantiam, superbiam, qua sibi solis tribuunt cum veram fidem et religionem nudiustertius ad instar fungi exortam, tum etiam Divinarum Scripturarum intelligentiam; ipsi soli Scripturas intelligunt, ipsi soli sunt theodidacti, divinitus edocti. Sed tamen, quoniam Christus est ipsorum tantum sapientia et iustitia,[205] ita sunt divinitus edocti, sicut et iustificati; ita docti sicut et iusti, putative, inquam, tantum.

locustae habent

Habent locustae istae apocalypticae praeterea *loricas ferreas,* pectora ferro armata, dura corda, obstinata in impietate haereseos

201) Phil 3, 19. 202) Clemens Alex. *Stromatum,* lib. 7, cp. 6, (P. G. 9, 446-447); Cicero *De Finibus Bonorum et Malorum,* lib. 5, vol. 8, pag. 2523; *De Natura Deorum,* lib. 2, vol. 9, pag. 3045-3046. 203) Cf. *Bulla Leonis X contra Errores M. Lutheri,* W. L. t. 2, f. 55; *Assert. Art. 26-29,* ibid. f. 106a-108b. 203a) Cf. Mt 7, 15. 204) Rom 16, 18. 205) Cf. 1 Cor 1, 30.

et in Catholicorum iniqua persecutione; induraverunt, ut Pharao, cor suum, [206] ne audiant vocem Christi per Vicarium suum in catholica Ecclesia loquentis. Sunt autem vocalissimae istae locustae, per alas emittunt vocem longe maximam: *Vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum.* Sunt sane Lutherani in disputationibus, in congressibus, in concionibus, in librorum scriptionibus adversus Catholicos supra modum loquaces ac longe verbosissimi. Volarunt statim per orbem innumeri cum Lutheri tum Lutheranorum multo plurimorum innumeri libelli, [207] qui magnum in christianitate excitaverunt rumorem, magnum strepitum adversus sacrosanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam. Sed firma stat Domini sententia: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* [208] Non enim nisi a satana excitati sunt Lutherani ad impugnandam Christi Ecclesiam.

loricas ferreas et sunt vocalissimae; Lutherani duri corde, loquaces in disputationibus, in congressibus, etc.

Nam tandem ait, quod *habebant super se regem angelum abyssi,* qui dicitur *exterminator.* Diabolus enim *rex* dictus est *super omnes filios superbiae,* [209] cuius primae summaeque partes sunt Ecclesiam Christi impugnare, perdere, exterminare; maxime autem novissimis hisce temporibus per Lutherum et Lutheranos suos hoc attentavit. Et utinam non ei pro voto in his aquilonaribus regionibus conatus successisset! Sed adimpletum illud est: *Ab aquilone pandetur* omne *malum.* [210]

Habent locustae super se angelum abyssi, Lutherani habent diabolum.

XII. Quid igitur tandem brevibus est Lutheranorum secta? Turma est tartarearum locustarum longe monstrosarum, exercitus militum diaboli, qui ab angelo exterminatore contra Ecclesiam Dei ducitur regiturque, similis exercitui Chaldaeorum, qui sub rege Babylonis sanctam civitatem Dei Ierusalem oppugnavit et magna ex parte demolitus fuit. [211] Per Lutheri nanque haeresim ex militibus Christi facti sunt milites antichristi et ex filiis Dei a sancta Ecclesia facti sunt filii diaboli, ex synagoga satanae generati. Prius, per verum Evangelium in Christo geniti [212] erant filii et heredes regni coelorum [213] a viris apostolicis; tandem a Luthero per pseudoevangelium in an-

Secta ergo Lutheranorum est exercitus diaboli contra Ecclesiam ab angelo exterminatore ductus.

206) Cf. Ex 7, 22; 8, 19; 9, 12. 207) Cf. Cochlaeus *Acta M. Lutheri*, an. 1527, pag. 177; Card. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 1, pag. 29-31. 208) Mt 16, 18. 209) Iob 41, 25. Vulg.: *Universos.* 210) Ier 1, 14. 211) Cf. 4 Rg 25, 1-7. 212) Cf. 1 Cor 4, 15. 213) Cf. Rom 8, 17; Tit 3, 7; Iac 2, 5; 1 Petr 3, 22.

tichristo geniti sunt filii et heredes perditionis aeternae. Mirabilis, sed lacrimis digna metamorphosis, transmutatio, inquam, filiorum Dei in filios diaboli, hoc est, Catholicorum in haereticos per Lutherum, qualis statim ab origine mundi fuit transmutatio angelorum per Luciferum in daemones infernales.[214]

Connexio cum sequentibus.

Sed quoniam doctrina sua Lutherus hoc operatus est, iam quod facturos nos recepimus, videamus quaenam, qualis et quanta fuerit Martini Lutheri doctrina.

DISSERTATIO OCTAVA

QUAM INCOMMODI SINT HAERETICORUM GENERATIM OMNIUM [MORES] PRAESERTIM VERO LUTHERANORUM ET QUALIS SIT IPSORUM SECTA ETIAM ALIORUM SECTARIORUM IUDICIO ATQUE SENTENTIA[1]

Ad exprimendam lutheranismi imaginem adhuc aliquid de Lutheranorum moribus dicendum est.

I. Superius, ubi post Lutheri descriptionem ad lutheranismum describendum coepimus admovere manum, ex Divinis Litteris et Sanctis Patribus diximus nonnulla de moribus haereticorum;[2] sed non potuimus eos suis coloribus, ut par est, depingere. Addemus hic alia quaedam, quibus lutheranismi effigies et imago magis magisque ad vivum exprimatur. Licet enim inter haereticos nonnulli honestae spectataeque vitae esse videantur, ita ut speciem quandam pietatis ac veluti sanctitatis prae se ferant,[3] quo aptiores sint ad decipiendas seducendasque animas; plerumque tamen, cum improbi sint et incommodis moribus, quibus etiam discipulos sequacesque suos imbuunt, ipsis suis moribus revincuntur, sicut a fructibus dignoscuntur arbores, cum bonae tum iniquae.[4]

Paulus, *ad Timotheum* scribens, vivide depingit

At vero non possumus ullo modo invenire colores meliores iis, quibus Paulus uno tantum in loco, *ad Timotheum* scribens, haereticos depinxit, dicens: *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus*

214) Cf. 2 Petr 2, 4; Apc 12, 7-9.

1) Cod. 2, f. 337ᵃ-344ᵇ. 2) Cf. *Dissert. Praeambula*, pag. 2 sqq. 3) Cf. Tim 2 3, 5. 4) Cf. Mt 12, 33.

instabunt tempora periculosa, et *erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quam Dei ; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita.* [5]

haereticorum mores. Eos dicit cupidos, elatos, etc.;

Loquitur hic Paulus de populo haereticorum, ex quibus prodeunt magistri, quos dicit esse sicut *Iannes et Mambres,* qui *restiterunt Moysi, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, qui resistunt veritati.* [6] Et paulo superius de haereticorum magistris loquitur Apostolus, de quibus ait quod *sermo eorum serpit ut cancer,* [7] quod *in magna* Dei *domo... sunt vasa... in contumeliam,* [8] quodque cum modestia corripiendi sunt, si quando *Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* [9]

eorum magistros esse mente corruptos, reprobos, etc., quorum *sermo ut cancer serpit ;*

Docet hic Paulus errores et haereses esse *diaboli laqueos,* in quibus haereticorum cum primis magistri et doctores capti detinentur, nam, ut Petrus ait, *a quo... quis victus est, illius et servus est ;* [10] docet conversionem et poenitentiam horum non esse plane impossibilem, ac propterea esse cum modestia corripiendos, si quando, inquit, *Deus det illis poenitentiam.*

irretitos a diaboli laqueis; quos corripiendos docet, si *Deus det illis poenitentiam ;*

Quod nos cum primis Polycarpo Laisero Lutheranorum doctori ex animo optamus, ut resipiscat *a laqueis diaboli,* in quibus captus detinetur, et possit canere : *Anima nostra... erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est et nos liberati sumus,* [11] adiuvante tamen Deo Omnipotente. Unde sequitur : *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram,* [12] alioquin difficillimum est ac plane impossibile hominem sese a diaboli laqueis expedire. Sic potest *vas in contumeliam* commutari in *vas in honorem, sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* [13] Quod utinam Polycarpo nostro contingat, ne sit amplius sermo ipsius serpens ut cancer, sicut illorum omnium est, *qui a veritate exciderunt,* sicut Hymenaeus et Philetus, [14] sicut Arius, sicut Lutherus !

quae Laisero optatur, ut resipiscat.

5) 2 Tim 3, 1-5. 6) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati.*
7) Ibid. 2, 17. Vulg.: *Ut cancer serpit.* 8) Ibid. vr. 20. 9) Ibid. vrr. 25-26.
10) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Quis superatus est, huius,* etc. 11) Ps 123, 7. 12) Ibid. vr. 8.
13) 2 Tim 2, 21. 14) Ibid. vrr. 17-18.

Paulus haereticos vocat diabolos, criminatores,

II. Nunc itaque, postquam Paulus verba fecit speciatim de haereticorum doctoribus et magistris, generatim loquitur de scelestis hominibus, maxime qui haereticorum dogmata in suam ipsorum et aliorum perniciem erant consectaturi. Ita autem describit haereticos, ut perversae voluntatis et vitiorum ergo teterrimis daemonibus faciat eos longe simillimos; adeo ut eos etiam diabolos appellet. Nam ubi nos *criminatores* legimus, graece *diaboli* est;[15] ita ut Pauli sententia haereticorum secta nonnisi daemonum synagoga sit. *Erunt*, inquit, *homines seipsos amantes*, graece una voce φίλαυτοι,[16] *suiamantes.*

seipsos amantes,

Foedum infameque cognomen est; φιλαυτία enim, sui amor, ut etiam philosophi cognoverunt, et in primis Plato in suis *Legibus*,[17] causa, radix et fons est omnium vitiorum atque malorum. Est autem amor ille, de quo Dominus ait: *Qui amat animam suam, perdet eam.*[18] Hic enim, ut Plutarchus scribit,[19] praeter alia vitia gravissimum in homine gignit malum, quod non potest esse sui iudex aequus et incorruptus. Quisquis enim amat, hallucinatur et coecutit in eo quod amat. Per hunc sibi quisque est adulator, summus et maximus philocolax efficitur, hoc est, assentationibus gaudens, amplumque locum inter amicos praebet assentatori; propter benevolentiam enim, qua seipsum prosequitur, homo nihil non adesse sibi boni arbitratur. Hinc est quod, ut Seneca ait,[20] « nemo non benignus est sui iudex, et inde est, ut omnia meruisse se existimet ».

et ideo hallucinatos, adulatores,

omnia, etiam indecora, bona arbitrantes, quia temulentia mentis lymphati sunt.

Efficit autem hic ut, sicut insani et ebrii indecora quaeque, quae faciunt, optime facta arbitrentur, ita homo amentia quadam et mentis est temulentia lymphatus, vitia sua etiam longe turpia virtutes existimet eximias longeque conspicuas. Phrenesis mentis est prope desperatae salutis; nulla enim virtutis iusti, honesti, nulla communis boni, tantum proprii commodi cura tangitur, qui nimium sui amans est, et sibi uni tantum per omnia placere studet.

Ideo Paulus vocat eos

Hinc est quod secundo loco huiuscemodi homines Paulus *cupidos* dicit. Est autem graece φιλάργυροι,[21] hoc est, *amatores pecu-*

15) 2 Tim 3, 3. *N. T. G.* 16) Ms.: Φιλαυτο: et postea: Φιλαυτια. 17) Lib. 5, vol. 2, pag. 336, ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot 1877. 18) Io 12, 25. 19) *De Discrimine Adulationis et Amicitiae*, vol. 3, pag. 59, ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum.* 20) *De Beneficiis*, lib. 2, cp. 26, t. 1, pag. 337, Venetiis 1675. 21) Ms.: Φιλαργυροι et postea: Φιλαργυρια.

niae. Loquitur de illa cupiditate, de qua *ad* eundem *Timotheum* ait : *Radix... omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide.* [22] Cupiditas, φιλαργυρία, pecuniae amor, avaritia, *quae est idolorum servitus,* [23] avarus enim praefert pecuniam Deo, pluris enim facit et magis pecuniam diligit quam Deum. Etiam quoniam, ut ille ait : [24]

cupidos, pecuniae amatores,

« Pecunia regina rerum »,

et : *Pecuniae obediunt omnia,* ut Salomon dixit ; [25] propterea qui seipsum diligit supra Deum et propria commoda divino cultui anteponit, pecuniam, sine qua magna commoda haberi non possunt, tanti facit. De magistris haereticorum Paulus ait quod docent *quae non oportet, turpis lucri gratia.* [26] Sunt Iudae proditoris veluti germani fratres ; ille enim Christum propter pecuniam vendidit, [27] hi autem fidei veritatem venalem faciunt. Haereticorum autem cupiditas in bonorum ecclesiasticorum direptionem hodie multo notior est quam ut dicatur.

docentes quae non oportet, turpis lucri gratia ;

Praeterea dicit eos *elatos,* graece ἀλαζόνες, [28] *insolentes, fastuosi, arrogantes, iactabundi, ostentatores,* qui insolenter et falso gloriantur et iactant nobilitatem, divitias, scientiam. Qualem autem quantamque scientiam et Divinarum Scripturarum peritiam iactent haeretici non opus est dicere ; Sacras Scripturas ipsi soli intelligunt. [29] Gnostici sunt, qui omnia norunt; Catholici asini sunt stipitesque, Marpesiis e cautibus nati. [30] Sic elato incedunt animo et extento collo pompatice incedunt.

elatos, idest, ostentatores suae scientiae;

Sunt adhuc *superbi* ὑπερήφανοι, [31] qui superiores aliis videri volunt et excellentiores, quos Virgo Deipara dixit *superbos mente,* sive cogitatione, *cordis* eorum. [32] Gloriosi sunt, sibi tantum placent, alios omnes superbo tumore contemnunt, se potissimum, quin etiam solos christianos putant ; et cum ipsi soli sapiant, ut D. Petrus ait, *superba... vanitatis loquuntur.* [33] Sciunt enim dogmata sua habere se de coelo ; [34] superiores, Episcopos, pastores, quibus tanquam oves

superbos, superbe loquentes, alios contemnentes;

22) 1 Tim 6, 10. 23) Eph 5, 5. 24) Hor. *Epist.* lib. 1, *Epist. 6*, vr. 37. 25) Eccle 10, 19. 26) Tit 1, 11. 27) Cf. Mt 26, 14-15. 28) Ms.: Αλαζονες. 29) Cf. Vincentius Lirinensis *Commonit. 2*, (P. L. 50, 683); M. Lutherus *Sendbrif vom Dolmetschen und Fürbitt der Heiligen*, I. G. t. 5, f. 173; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 330ᵃ. 30) Virg. *Aeneid.* lib. 6, vr. 471. Quae dictio in proverbium abiit de homine stupido. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Marpesius*. 31) Ms.: Υπερηφανι. 32) Lc 1, 51. 33) 2 Petr 2, 18. Vulg.: *Loquentes.* 34) M. Lutherus *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 573ᵃ.

nihili facientes mille Cyprianos et Augustinos;

Christi in Ecclesia subsint, minime agnoscunt; doctores et magistros Ecclesiae non noverunt, nihili faciunt mille Cyprianos, mille Augustinos,[35] ipsi sunt haberique volunt veritatis assertores atque magistri, non alii.[36] Hinc propter superbiam, etiam victi, profligati, protriti non cedunt; convinci possunt, persuaderi non possunt. Patres, concilia, traditiones, Ecclesiam ipsam non curant,[37] sed semper extolluntur in peius: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*[38]

blasphemos in Deum, in Sanctos;

scelestos, impios,

sine affectione erga proximum;

sine pace, idest, absque amicitiae foedere;

Sunt praeterea *blasphemi* in Deum, in Sanctos, in Ecclesiam, quoniam increduli sunt; hinc nanque spiritu blasphemiae pleni sunt. Item *scelesti,* ἀνόσιοι[39] *sine sanctitate, non sancti, impii,* nullo pietatis erga Deum spiritu imbuti, nullam vitae sanctitatem curant, cum sint sola fide contenti, nulla divini cultus cura tanguntur, cum ipsis credere tantum sufficiat. Atque hinc est quod sunt etiam *sine affectione,* ἄστοργοι,[40] hoc est, *benevolentiae expertes,* affectu amoris erga suos carentes. *Si quis autem,* inquit alibi Paulus, *suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.*[41] Haereticis autem, quibus sola fides sufficit, caritate non est opus. Propterea hic a Paulo caritate destituti appellantur et benevolentiae affectu privati. Imo addit *sine pace,* ἄσπονδοι.[42] Significat autem ἄσπονδος Graecis[43] hominem qui sibi soli vivit, absque ullo amicitiae foedere, qui nullo iure necessitatis utitur, qui foederis et amicitiae nescius est; nemini amicabilem, irreconciliabilem, hoc est, nulla caritate praediti sunt neque erga domesticos, neque erga alienos, inhumani sunt, nullo humanitatis affectu permoventur. Quis autem nescit haereticos irreconciliabiles esse Catholicis, longeque inhumanos? Utinam autem non et foedifragos experti essemus omnisque fidei expertes sacrosanctorum foederum violatores![44] Et insuper *criminatores,* διάβολοι[45] *calumniatores,* delatores, accusatores falsi, qui alios iniuria traducunt in vulgus, et infami nota inurunt. Quod quidem maxime proprium

criminatores, accusatores, proditores, Iudae similes;

35) Ibid. f. 369^{b}. 36) *Sendbrif vom Dolmetschen und Fürbitt der Heiligen,* I. G. t. 5, f. 162^{b}-163^{a}; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum,* W. L. t. 2, f. 330^{a}. 37) *Bulla Leonis X Contra Errores M. Lutheri,* W. L. t. 2, f. 55^{b}; *Assert. Art. per Leonem X Damnatorum,* ibid. f. 108^{b}; *De Servo Arbitrio,* ibid. f. 469^{b}; *Praefatio De Viribus et Voluntate Hominis,* ibid. t. 1, f. 49^{b}; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 290^{a}; *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 3,* pag. 227. 38) Ps 73, 23. 39) Ms.: Ανοσιοι. 40) Ms.: Αστοργοι. 41) 1 Tim 5, 8. 42) Ms.: Ασπονδοι. 43) Cf. Grimm *Lexicon Graeco-Latinum in Libros N. T.* in hanc vocem, Lipsiae 1903. 44) Cf. *Comment. De Rebus Austriae,* etc. pag. 18-19. 45) Ms.: Διαβολοι.

haereticorum est omnium in Catholicos, cum primis vero ecclesiasticos. Lingua enim sunt supra modum maledica et calamo longe contumelioso ac virulento, sicut de Diotrephe ait Ioannes[46] quod malignis verbis garriebat in ipsum; nisi forte Paulus *diabolos* haereticos dicat, quemadmodum Dominus proditorem Iudam diabolum appellavit.[47]

Incontinentes, ἀκρατεῖς;[48] est aliquando apud Graecos[49] ἀκρατής incontinens atque ἀκόλαστος[50] intemperans, sed proprie incontinens est homo affectibus impotens, qui cupiditatibus et vitiis animi superior esse nequit;[51] intemperans autem qui incontinentia et effreni libidini gaudet. Existimo autem Paulo incontinentiam et intemperantiam idem esse, cum haereticis pessimas quasque tribuat qualitates, ita ut non modo *elatos, superbos, parentibus inobedientes*, sive *immorigeros, ingratos scelestosque* dicat, verum etiam diabolos ac veluti daemones incarnatos. Daemones autem vitiorum intemperantia plurimum delectantur.

Incontinente, suis vitiis dominatos;

Et quoniam daemones feri sunt et implacabili crudelitate, nullius prorsus boni amantes, propterea sequitur: *Immites*, ἀνήμεροι[52] et *sine benignitate*, ἀφιλάγαθοι[53] *feri*, non amantes boni, qui nulla bonitate delectantur, nullis virtutibus afficiuntur, et bonis viris amici nullo modo esse posse videntur. Et quoniam vitiis quidem et malis qualitatibus per omnia fere daemonibus similes facit haereticos, sequitur adhuc et dicit quod sint *proditores, protervi*, sive *praecipites* aut *temerarii*; itemque *tumidi*, sive *inflati*, utique opinione scientiae, de qua ait: *Scientia inflat*;[54] *voluptatum*, sive *libidinum amatores, magis quam Dei*. Vilissimis voluptatibus Deum longe postponunt suasque cupiditates Deo praeferunt, quod ab initio daemones fecerunt. Et quoniam *satanas transfigurat se in angelum lucis*,[55] ut, cum revera angelus sit tenebrarum,[56] specie tamen lucis angelus videatur; ita de his ait quod homines sint *speciem quidem*, sive *formam pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes*, sicut illi, de quibus ait: *Confitentur se nosse*

immites, feros, sine benignitate aut bonitate;

speciem pietatis habentes, virtutem abnegantes;

46) Cf. 3 Io 9, 10. 47) Cf. Io 6, 71. 48) Ms.: Ακρατεις; et infra: Ακρατης.
49) Cf. Grimm op. cit. et C. Schenkl *Vocabolario Greco-Italiano*. Vers. Ital. F. Ambrosoli, Torino 1908, in hanc vocem. 50) Ms.: Ακολαστος. 51) Aristoteles *Ethica Nicomachea* vol. 2, lib. 7, cp. 1, pag. 16, ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*. 52) Ms.: Ανημεροι.
53) Ms.: Αφιλαγαθοι. 54) 1 Cor 8, 1. 55) 2 Cor 11, 14. 56) Cf. Eph 6, 12; Col 1, 13.

Deum, factis autem negant. [57] Quoniam, cum sint daemonibus quam simillimi, non minus quam daemones ipsi adversandi declinandique sunt Catholicis omnibus, salutis suae revera amantibus; propterea concludit, dicens: *Et hos devita.* Ita Paulus depingit nobis quamcumque haereticorum sectam quasi daemonum synagogam et satanicorum hominum coetum.

et ideo vitandos esse monet.

Paulus dicit etiam haereticos spiritibus daemoniorum addictos esse.

Alias de haereticis *ad* eundem *Timotheum* scripserat, quod discedentes a fide daturi erant operam *spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium;* [58] nunc autem ipsis daemonibus simillimos vitiorum gratia facit. Lutherus solitus fuit Catholicorum academias dicere lupanaria antichristi, damnatas sectas diaboli, gymnasia daemonum et stabula insulsissimorum asinorum. [59]

et amentes vocat ac mente corruptos,

Paulus autem ipsos haereticos *diabolos* appellat, et forte etiam asinos, cum sequitur dicens: *Quemadmodum Iannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus,* [60] graece est ἄνοια [61] *amentia eorum,* propterea eos dicit *corruptos mente,* orbatos mente ac veluti communi sensu privatos, moriones, insanos.

falsi nominis scientiam profitentes; sibi sapientes, alios stultos existimantes.

Et merito quidem, non solum autem propter ignorantiam, cuius gratia Petrus *indoctos* appellavit, depravatores Scripturae, [62] et Paulus dixit quod profitentur *falsi nominis scientiam,* [63] et quod non *intelligunt neque quae dicunt neque de quibus affirmant;* [64] sed quoniam, tales cum sint, videntur sibi esse omnium sapientissimi. Sapientes sunt, ut Isaias ait, [65] in oculis suis et coram semetipsis prudentes, instar morionum et amentium hominum, qui cum cerebro careant, videntur tamen sibi supra modum sapientes, sicut in *Proverbiis* Salomon ait: *Sapientior sibi stultus videtur septem viris loquentibus sententias,* [66] et in *Ecclesiaste: In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos existimat.* [67]

57) Tit 1, 16. 58) 1 Tim 4, 1-2. 59) *Contra XXXII Art. Lovaniensium Theologistarum,* W. L. t. 2, f. 503ᵃ-505ᵃ; *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 299-300. 60) 2 Tim 3, 8-9. 61) Ms.: Ανοια. 62) Cf. 2 Petr 3, 16. 63) 1 Tim 6, 20. Vulg.: *Scientiae.* 64) Ibid. 1, 7. Vulg.: *Non intelligentes neque quae loquuntur,* etc. 65) Cf. 5, 21. 66) 26, 16. Vulg.: *Piger,* loco: *Stultus.* 67) 10, 3. Vulg.: *Cum ipse insipiens sit.*

III. Ex hac autem sapientiae et iudicii vesana praesumptione oritur quod moriones aliorum omnium dicta factaque iugiter ridere solent omnesque cachinnis prosequi et irridere: *Irridet*, inquit Sapiens, *stultus disciplinam patris sui;* [68] et item: *Non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris quae versantur in corde suo.* [69] Hinc est quod cum nonnisi stulte loquatur, *os* enim *stultorum ebullit stultitiam;* [70] mirum tamen in modum placent sibi in dictis suis, *stultitia* enim *gaudium stulto* est, [71] et propterea tam loquaces sunt atque verbosi. Quoniam, licet loquendo in proposito non persistant, sed huc atque illuc vagantes sine iudicio discurrant et sermonem convertant; videntur sibi optime et sapientissime loqui. **Ex qua praesumptione oritur aliorum irrisio.**

Et hinc tandem est quod in eo quod semel conceperunt, perpetuo firmiter haerent, et quod persuasum mentique infixum habent, nullis rationibus persuasi dimittere possunt et mutare sententiam, sed tenacissime suam tuentur vesaniam, contradicentibus autem indignati iraque et furore perciti succensent. Hinc in *Proverbiis* legimus: *Via stulti recta in oculis eius, qui autem sapiens est audit consilia. Fatuus statim indicat iram suam.* [72] Quia, inquit, stultus quidquid agit, optime factum arbitratur, propterea non admittit aliorum consilia, quin potius indignatur et irascitur dantibus sana consilia. Haec autem omnia haereticis tam apte conveniunt quam quae aptissime. **et in sua amentia obstinatio.**

Sunt quidem ipsi insipientes, moriones, *homines corrupti mente*, cerebro vacui, *nubes fontesque sine aqua*, [73] sed apud semetipsos Salomone [74] et Daniele [75] sapientiores sunt; atque hinc est quod Catholicorum omnia rident, cachinnisque prosequuntur: sacras ceremonias, ritus, traditiones, decreta, canones, censuras, doctrinam omnem et leges ecclesiasticas, concilia, Patres orthodoxos, Doctores, theologos, monachos, sacerdotes, Episcopos, summosque catholicae Ecclesiae Praesules, ipsos Ecclesiae Dei Pontifices Optimos Maximos, qui unquam usque ad diem hanc fuerunt Christi Vicarii et Petri successores, omnia in unum. Sunt enim *cathedra*, sive *habitatio irrisorum;* [76] illi sunt, de quibus Petrus vaticinatus fuit, dicens: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulan-* **Hinc omnia aspernantur, ceremonias, ritus, traditiones, decreta, concilia, Patres, etc.**

68) Prv 15, 5. Vulg.: *Stultus irridet.* 69) Ibid. 18, 2. Vulg.: *Corde eius.* 70) Ibid. 15, 2. Vulg.: *Fatuorum*, loco: *Stultorum.* 71) Ibid. vr. 21. 72) 12, 15-16. 73) Iud 12. 74) Cf. 3 Rg 4, 29. 75) Dn 1, 17. 76) Ps 1, 1 ex hebraico.

tes.[77] Et Iudas apostolus: *In novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.*[78] Etiam, quoniam sibi solis omnem sapientiam vindicant, propterea tantopere sibi placent in dogmatibus suis et placitorum suorum adeo sunt amantes tenacesque.

Sunt etiam loquaces; se solos iactant, Catholicorum ignorantiam deplorant;

Sed et mirum in modum loquaces verbosique, nec minus gloriosi. Gloriose admodum ac thrasonice[79] iactant seipsos de parta adversus Catholicos victoria per solum purum putum verbum Dei,[80] quod ipsi e tenebris in lucem asseruerunt,[81] per solas Scripturas, quas nonnisi ipsi noverunt. Catholicos, quorum iugiter ignorantiam nequitiamque deplorant, nunquam non profligarunt, non vicerunt et triumpharunt, ita triumphos suos gloriose admodum canunt homines Oreste insaniores,[82] atque ita, morionum instar, nunquam ad sanam mentem redeunt.

convinci possunt, converti non possunt.

Semper in erroribus suis firmiter haerent, et ab eo quod semel tueri constituerunt nullis argumentis avelli posse videntur; convinci possunt, converti nequaquam, saepeque a Catholicis et coram in congressibus et scriptis convicti, iidem sunt, eadem semper inculcant repetuntque, et eandem cantant cantilenam. Tantum adversariis suis magis magisque succensent odiique et livoris oestro agitati maiora conviciorum et contumeliarum plaustra in ipsos exonerant. Facilius est morionibus Minervam ingerere rudentibusque Arcadiae iumentis[83] musas, quam obstinatis haereticis catholicam fidem.

Sapientes sunt ad malum; hinc vulpes etiam vocantur.

Nomine tantum christiani sunt, cetera infideles sunt, asini sunt in leonum exuviis, simiae in purpura, et, si sapientes sunt, nonnisi ad malum sunt, sicut legimus: *Sapientes sunt, ut faciant malum; bene autem agere nescierunt;*[84] hinc appellati sunt vulpes;[85] astuti sunt, varii et versipelles, duplices corde ac veluti ambidextri. Saepe aliud in ore, aliud in corde habent; aliud dicunt, aliud sentiunt; verba Di-

77) 2 Petr 3, 3. 78) Iud 18. 79) Persona antiquae comoediae, quam finxerunt poetae superbia et furore plenam. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Thraso.* 80) *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 344^b. 81) Cf. *Praefat. in Annotationes in Aliquot Capita Matthaei*, ibid. t. 5, f. 1^a; *Harte Schrifft und Antwort Hertzog Georgen zu Sachsen auff Vorgehende Demütige Schrifft Lutheri*, W. G. t. 9, f. 233^a. 82) Tradunt Mythologi Orestem cum Pylade Mycaenas petiisse, ut de Aegisto, interfectore patris sui, se vindicaret, ibique in amentiam incidisse, postquam praeter Aegistum matrem propriam nesciens peremerat. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Orestes.* 83) Arcadia apud antiquos laudata fuit propter magnam iumentorum copiam, quo factum est ut metaphorice sub iumentorum Arcadiae nomine, qui tardi et hebetis ingenii essent, intelligerentur. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 1191; Io. Perin *Onomast.* sub voce *Arcadicus.* 84) Ier 4, 22. Vulg.: *Mala... agere.* 85) Ez 13, 4.

vinae Legis ad sensum humanum immutant, ut sub umbra veritatis decipiant; honesta loquendi ratione utuntur, ut incautos circumveniant capiantque. Ex veritate et simulata quadam simplicitate mendacium et insidias struunt, ut per lucem ad tenebras ducant et per Christum ad antichristum; christianos enim sub Christi nomine seducunt, sua crimina facinoraque longe teterrima miris artibus contegunt, Catholicorum vero colligunt et in vulgus quasi in scena traducunt, ut eos in odium adducant, multaque confingunt ad conflandam invidiam.

Fingunt se Ecclesiae Christi condolere, ipsam clamitant propter falsam doctrinam non affligi modo, sed afflictam iam pene periisse; nec tamen nisi ruinam Ecclesiae moliuntur, dum auctoritatem ipsius minuunt, elevant, inficiantur, studioque novitatis acti addictique novam doctrinam tuentur, novam ecclesiam, novam, ut melius dicam, synagogam fovent, antiquam nihili faciunt, pessumdant atque conculcant. Quaecumque iam olim ab Ecclesia recte sancteque constituta sunt in dubium revocata prorsus abiiciunt; Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei,* [86] minime obedire, nulla in re morem gerere, quin resistere, adversari et pro viribus oppugnare.

Fingunt se Ecclesiae condolere, dum eius ruinam moliuntur,

Sic, cum a fide et Ecclesia defecerint, in impietate proficientes contra Ecclesiam insurgunt, et tanquam muli in matrem recalcitrant; cumque absque ulla legitima vocatione ecclesiasticis rebus temere impieque se immiscuerint et iurisdictionem ecclesiasticam sibi contra omne ius et fas usurpaverint; Dei et Ecclesiae rebelles et refugae semper in deteriora ruunt, et tandem instar fumi evanescunt et ad nihilum rediguntur. Talium hominum longe perditissimorum colluvies est omnis cuiuscumque generis haereticorum secta.

et contra eam impie insurgunt.

IV. Praetermisimus autem unum in descriptione haereticorum, qua tam graphice descripti sunt ab Apostolo. Est autem quod ait: *Ex his enim sunt, qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis.* [87] His enim verbis Apostolus suggillat haereticorum luxuriam vagamque libidinem. Solet enim haereticorum vita plerumque semper esse turpissimis commaculata libidinum sordibus.

Addit Paulus quod *captivas ducunt mulierculas;* plerumque enim eorum vita turpissima est.

86) Act 20, 28. 87) 2 Tim 3, 6.

ut Hieronymus, Eusebius, Epiphanius et Augustinus testantur.

D. Hieronymus *ad Ctesiphontem adversus Pelagianos* scribit [88] quod Simon Magus haeresim condidit, Helenae meretricis adiutus auxilio. Hoc ipsum tradit de Nicolao Antiocheno, de Marcione, de Apelle, de Montano aliisque haereticis, et hac de causa plurimum crevisse haereticorum Pelagianorum sectam. [89] Eusebius Caesariensis scribit [90] quod Paulus Samosatenus mulierculas subornarat; S. Epiphanius de Ario tradit [91] quod initio suae haereseos septingentas decepit virgines professas, per quas multorum etiam Episcoporum subvertit fidem. D. Augustinus scribens, *in Parmenianum*, Donatistis hanc etiam vagarum libidinum notam inurit, [92] taxatque Circumcellionum cum feminis mixtiones. [93]

Constantinus M. in *Edicto adversus Omnes Haereticos* vocat eos pacis labefactores.

Ex quo autem hic de haereticorum moribus in communi agimus, non committam, ut silentio praeteream quae Constantinus Magnus in *Edicto adversus Omnes Haereticos* de eorum moribus dixit, prout Eusebius in *Vita* ipsius *Constantini* scribit, [94] dicens quod cum « Ecclesia Dei, sublatis de medio discordiis, in tranquillo statu Imperator collocasset, inde aliud impiorum hominum genus tanquam latens venenum humanae vitae paratum comprimendum censuit. Isti corruptores quidam erant, qui honestatis specie et simulatione civitates labefactabant; eos vero pseudoprophetas et lupos rapaces Salvatoris vox divinitus vaticinando nuncupavit in hunc modum: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, [95] etc.

vitae hostes, internecionis auctores, etc.

Imperator autem in suo *Edicto* haereticos omnes ita compellat, dicens: [96] « O veritatis inimici, hostes vitae, internecionis auctores et consiliarii, omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficiis, ineptiis et commentitiis fabulis exultantia, quibus certe mendacia struitis, perimitis insontes, fidelibus veritatis lucem denegatis; nam falsa visione et specie pietatis semper delinquentes omnia contagione vestra contaminatis, conscientias integras et labe vacuas lethalibus plagis vulneratis, ipsum diem, pene dixerim, hominum oculis adimitis. At quid attinet singula prosequi? » etc. Item: [97] « Nam scelera vestra adeo grandia, adeo immania sunt, adeo etiam turpia et omni crudelitate redundantia, ut dies integer ad ea explicanda non sufficeret ».

eorumque scelera dicit grandia et turpia.

88) Epist. 133, (P. L. 22, 1152-1153). 89) Ibid. 90) *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 30, (P. G. 20, 714-715). 91) *Adversus Haereses, Haeres.* 69, ibid. 42, 207. 92) Lib. 2, cp. 3, (P. L. 43, 53). 93) Cp. 9, ibid. col. 62. 94) Lib. 3, cp. 63, (P. G. 20, 1139). 95) Mt 7, 15. 96) Lib. 3, cp. 63-64, (P. G. 20, 1139). 97) Cp. 64, ibid.

Haec et multa alia his similia sapientissimus et pientissimus Imperator in *Edicto adversus Omnes Haereticos*. Exprimuntur autem nominatim Novatiani, Valentiniani, Marcionitae, Pauliniani et qui Cataphrygum nomen sibi usurpaverant. [98]

Ariani omnium pessimi reperiuntur omissi. Sed hoc imperiale *Edictum* arianus homo recenset E u s e b i u s, cui, tanquam haeretico Arii primario fautori et Arianorum eximio patrono, [99] non potuit hac in re ob perfidiam haereseos deesse malus dolus, ac propterea, recensens pientissimi Imperatoris *Edictum adversus Omnes Haereticos* reticuit Arianos, omnium pestilentissimos et longe pessimos.

In hoc *Edicto* omittuntur Ariani, quos Eusebius, eorum fautor, in sua recensione reticuit.

Comprehendisset autem proculdubio *Edictum* hoc Lutheranos aliasque pestes haereticorum nostri temporis, si tunc nati fuissent. Antiquis enim haereticis ingenio tantum et eruditione inferiores sunt; impietate autem animi, perversitate doctrinae et morum improbitate longe forte superiores. Cum enim omnium antiquorum haereticorum Ariani habiti sint pessimi atque scelestissimi, propter quod non modo in Nicaeno concilio, [100] verum etiam in Sardicensi [101] et in Ariminensi priori [102] excommunicati fuerunt, et ipsis ethnicis longe peiores ab orthodoxis Patribus habiti declaratique fuerunt; [103] Lutherani nostri in impietate haereseos paria illis faciunt; contendunt enim ut hac in re nullis inveniantur secundi.

At certe comprehensi fuissent Lutherani, Arianis peiores.

V. Sed tempus iam est ut aliorum sectariorum iudicia sententiasque de Lutheranorum secta in medium afferamus. Accidit enim sectae huic sicut Arianorum sectae, cui perquam similem in multis saepe reperimus. Fuit autem Arianorum secta tantae impietatis, ut non modo a Catholicis male audiret, verum etiam ab haereticis aliarum sectarum, [104] quin etiam a Semiarianis; [105] et ipsimet Ariani simularunt non semel aut iterum se Arianos non esse. [106]

Lutheranae sectae accidit id quod arianae; impugnata fuit non solum a Catholicis, sed etiam ab aliis haereticis.

98) Ibid. 99) Cf. Eusebius Caesar. epist. *ad Caesarienses*, (P. G. 20, 1535-1541); S. Athanasius epist. *ad Episcopos Aegypti et Lybiae*, ibid. 25, 547 sqq.; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 11, ibid. 82, 939-946. 100) S. Athanasius *Apologia contra Arianos*, ibid. 25, 355; *Orat. 1 contra Arianos*, ibid. 26, 26; epist. *ad Iovianum*, ibid. col. 818; Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 8, ibid. 67, 59-78; Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 1 sqq.
101) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 20, (P. G. 67, 234-238); Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 623 sqq. 102) Cf. Socrates *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 37, (P. G. 67, 302-327); Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 2, col. 791 sqq. 103) Cf. S. Athanasius *Orat. 1 contra Arianos*, (P. G. 26, 23-26); *Orat. 3 contra Arianos*, ibid. col. 355-358; Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 9, ibid. 67, 87-90. 104) Cf. C. Baronius *Annales Eccles.* an. 351, t. 4, pag. 498; an. 359, ibid. pag. 647. 105) Cf. Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 1, cp. 4, pag. 67-81. 106) Cf. S. Athanasius *Orat. 1 contra Arianos*, (P. G. 26, 27);

Ariana haeresis in concilio Nicaeno damnata fuit.

Et quod spectat ad Catholicos, in Nicaeno concilio Arii haeresis omnium pessima iudicata fuit, ut S. Athanasius scribit, dicens :[107] « Ideo quoque universale et totius orbis concilium Arium ista loquentem eiecit ab Ecclesia et anathemate execratum est, non ferens blasphemias ; ex quo in reliquum tempus Arii error pro haeresi existimatus, quae plus mali in se haberet quam ceterae haereses, eo quod et perduellis Christi et praeambulatrix antichristi cognominata sit ».

S. Antonius Arianos maxime detestabatur,

Et in *Vita S. Antonii* scribit[108] quod beatissimus ille vir, Deo plenus, omnes refugiebat haereticos, praesertim vero Arianos detestabatur, adeo ut omnibus diceret, ne iuxta eos quidem esse accedendum; quod Arianorum sectam infelicissimam repererit, dicens multo deteriores serpentibus esse ipsorum sermones ; quod Alexandriae pro concione Arianos publice damnaverit, dicens ultimam esse hanc haeresim et antichristi praecursorem.

dum eos in coelesti visione omnia subvertentes conspexit.

Ait etiam[109] quod vir sanctus, biennio antequam secta Arianorum in magnam catholicae Ecclesiae perniciem excitata fuisset, divinam de ea revelationem accepit : « Vidit enim mulorum multitudinem circa altare, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Nec mora, inquit Athanasius, visionem sequitur effectus ; nam post annos duos saeva Arianorum erupit insania. Tunc ecclesiarum fuerunt rapinae, tunc divinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum praesidia adversus Christum comparata cum assumptione palmarum, quod idololatriae apud Alexandriam insigne est. Ad ecclesiam pergere compelluntur christiani, ut Arianorum populi crederentur. Proh scelus ! Horret animus replicare quae gesta sunt : virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ovium Christi in templo Christi effusus veneranda respersit altaria, baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit, visionis veritatem monstravit effectus, quod calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arianorum esset impietas ».

Et revera effectus visionem consecutus est, ut refert Athanasius.

qui Arianos serpentes

Et tandem de Arianorum, quos serpentes nuncupat, doctrina ait[110] quod non Apostolorum, sed daemonum et patris eorum diaboli doctrina

Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 8, ibid. 67, 66-78. 107) *Orat. 1 contra Arianos*, ibid. 26, 26. 108) Cp. 68 sqq. ibid. col. 939-942. 109) Cp. 82, ibid. col. 958-959. Vers. Evagrii, quae extat in calce Migne. 110) Ibid.

sit, ob id per insipientiam iumentorum similis pecudum eorum expressus est animus. Ita apud omnes orthodoxos Patres Arianorum secta nonnisi tanquam omnium pestilentissima omniumque longe teterrima deterrimaque pessime semper audivit.

appellat, eorumque doctrinam diaboli doctrinam. Ita omnes Patres.

Etiam ab aliis haereticis Ariani abominati sunt, licet contra R. Ecclesiam semper uniti essent.

VI. Verum, neque apud alios sectarios bene audierunt Ariani, licet ipsi alias haereticorum sectas abominati non fuerint, quinimo cum omnibus fere aliis sectis adversus Catholicos iunctis foederibus viribusque syncretismum fecerint. Nam et Meletianis manus dederunt, et Donatistas sibi associarunt, et cum Photino conspirarunt, et cum Macedonianis se coniunxerunt; invicem inimici cum sint haeretici, adversus catholicam Ecclesiam uno sensu conveniunt,[111] sicut Herodes et Pilatus in Christum;[112] sunt autem sicut vulpes Samsonis tantum caudis coniuncti,[113] capitibus autem, hoc est, haeresum opinionibus longe divisi.

Ariani exagitati fuerunt a Novatianis,

A sectis autem, quae de Sanctissima Trinitate et vera Christi Deitate atque cum Patre consubstantialitate non male senserunt, Ariani semper exagitati fuerunt. Hinc a Socrate[114] et Sozomeno,[115] historicis Novatianorum sectae addictis, saepe male audiunt et traducuntur in *Ecclesiastica Historia*, et nunc ab omnibus fere sectariis huius tempestatis tanquam haeretici proscinduntur.[116]

et a Semiarianis.

Sed quoad antiquos spectat, postea secta in partes divisa multum diuque digladiatum fuit inter Arianos et Semiarianos, ita ut in concilio Seleucensi Ariani a Semiarianis damnati fuerint et excommunicati, ut Socrates scribit,[117] et ipsimet aliquando Catholicos se esse simulantes sectam suam damnarunt, maxime vero in concilio Nicaeno et vivente Constantino Magno;[118] atque ita semper in Ecclesia Dei cum a Catholicis tum etiam ab haereticis aliarum sectarum semper male audierunt, et tanquam haeretici damnati ab omnibus fuerunt Ariani.

111) Cf. Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 2, part. 1, cp. 4-8, pag. 38-120. 112) Cf. Lc 23, 12. 113) Cf. Idc 15, 4. 114) Cf. *De Vita et Scriptis Socratis*, (P. G. 67, 20-22), ubi contenditur Socratem Novatianum minime fuisse. 115) Ibid. 116) Lutherus *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 365ᵇ; *De Servo Arbitrio*, ibid. f. 472ᵇ; *Confessio Augustana*, I. L. t. 4, f. 162ᵃ. 117) *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 39-40, (P. G. 67, 149-150). 118) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 8, ibid. col. 66-78; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 32, ibid. col. 1027.

Idem Lutheranis successit,

VII. Hoc ipsum contingit Lutheranis; ab omnibus male audiunt, ab omnibus damnantur et a Catholicis et ab haereticis ceterarum factionum, cum primis vero post Catholicos a Sacramentariis. Nam, ut Lutherus scribit in *Brevi Confessione de Sacramentis*,[119] Sacramentarii Lutheranos appellare coeperunt sarcophagos, sanguinipotas, anthropophagos, theistas, capharnaitas, adorantes et colentes Deum coctum, Deum impanatum, Deum vinatum.

dum Zwinglius damnat Lutherum ut Christi abnegatorem;

Zwinglius, auctor primarius modernorum Sacramentariorum, multa scripsit in Lutherum et Lutheranos. Et de Luthero quidem pronunciavit[120] quod vel imperitus et rudis admodum esset theologus, vel impostor, seductor et abnegator Christi, Marcione ipso deterior.

Tigurini Theologi hominem dicunt diabolis plenum, etc.

Post Zwinglium multi Zwinglianorum, maxime vero Tigurini Theologi in Lutherum Lutheranosque scripserunt. Lutherum damnarunt tanquam hominem diabolis plenum, qui monstrosa dogmata induxerit, cui proprii cerebri figmenta adeo placuerint, ut si quis ea haud secus quam divina oracula non receperit, statim sit asinus; qui libros scripserit plenos impudicis, iracundis, impiis dicteriis, plenos daemoniis, quibus dum alios, qui ab ipso dissensere, damnare voluit tanquam sceleratissimos haereticos, seipsum potius haeresiarcham declaravit. Ista et his similia Tigurini in sua *Germanica Confessione.*[121] Ita irreconciliabile bellum inter Zwinglianos et Lutheranos ortum adhuc viget et ardet.

Calvinus dicit Lutheranos caecos, phreneticos, etc.,

Nec multo melius postea a Calvinianis audierunt, et nunc etiam audiunt Lutherani. De quibus Ioannes Calvinus *Admonitione tertia ad Ioachimum Westphalum* ita pronunciavit:[122] « Lutherani homines sunt vertiginosi, cyclopes, superba factio gigantum, phrenetici, bestiae prodigiosae, caeci, desperate impudentes, nihil aliud quam falsarii et improbi calumniatores, protervi plus satis, bardi, fastuosi, et simul ita ignari, ut, quod pueris in catechismo traditur, id eorum veterani theologi ignorent; bruti homines, qui quid valeat, quorsum

119) W. G. t. 2, f. 223b. 120) Epist. *ad Lutherum*, 1 Aprilis 1527, *Corpus Reform.* vol. 9, col. 78-81. 121) *Wahrafftе Bekanntnuss der Dieneren der Kirchen zuo Zürich was sy uss Gottes Wort mit der Heiligen Allgemeine Christenlichen Kirchen gloubind und leerind.* Getruckt zuo Zürych, by Christoffel Froschouer im Brachmonat als nach der Geburt Christi 1545 Jar, S. 3. 123-125. 134-140. 122) Op. Omn. t. 8, pag. 685-686. 698. 718-723, Amstelodami apud Io. Schipper 1667. Haec ad litteram leguntur etiam apud St. Hosium *De Haeresibus Nostri Temporis*, lib. 1, f. 212b, Antuerpiae, in aedibus Io. Stelsii 1566.

spectet coena nunquam gustaverunt, qui nec guttam ingenui pudoris habentes, perinde ac si toto vitae cursu nihil praeter anathemata didicissent, singulis prope scriptorum suorum versibus in nos fulminando, omnes Papae scribas et datarios superant, atque ita debacchando optimam evangelii causam se obruere posse sperant ».

Alibi vero, ut scribit Conradus Schlusselburgius *De Theologia Calviniana,*[123] Calvinus in suis *Institutionibus*[124] Lutheranos dicit sanae doctrinae adversarios, adulterini dogmatis patronos, crassos comestores, qui, monstro in cerebris suis fabricato, evertunt totum naturae ordinem.[125]

nec non patronos adulterini dogmatis.

Illustribus sane titulis Lutheranos honestat nihilo minoribus Theodorus Beza, qui alter Calvinus iure dici potest, quos in sua praesertim *Creophagia* illustravit; ubi Tilmannum Heshusium cum reliquis suae speciei individuis asinum appellat,[126] simiam, polyphemum vegrandem, cothurnatum, pileatum asinum, canem in balneo, asinissimum sophistam, petulantissimum nebulonem, impurum sycophantam, belluam, larvam hominis, asinum bipedem et impurum, histrionicum et monstrosum, mixtum ex simiarum et onagrorum specie, animal carnivorum, cyclopem, asinariam simiam et asinum sesquipedalem; idque omne de Heshusio et omnibus suae speciei individuis, hoc est, de hominibus lutheranis pronunciat.

Theod. Beza vocat eos asinos, simios, etc.

Ministri Genevensis ecclesiae una cum Tigurinis in *Capitibus Consensionis* appellant[127] Lutheranos homines « indoctos, turbulentos, omni virtute destitutos, in quibus sit confusa et insipida garrulitas. Item homines nullius pretii, qui falso praetextu decipiant multos rudes et imperitos, homines frivolos et petulantes, faces per quas excitet satan incendium, homines temulentos, bellum Sacramentariorum instaurantes ».

A Ministris Genevensis ecclesiae vocati sunt Lutherani indocti, insipientes, etc.;

Et, ut scribit Ioannes Iezlerus Schaphusianus *De Diuturnitate Belli Eucharistici,*[128] cum Lutherani damnassent Sacra-

123) *Theologia Calvinistarum*, lib. 2 *De Sacramentariorum Multiformi circa Venerabile Sacramentum Versutia, Calumniis*, etc. f. 4^b sqq. Francofurti ad Moenum 1592. 124) Ms.: *Admonitione Ultima ad eundem Westphalum*. S. Laurentius videtur citasse Calvinum ex Schlusselburgio, qui prius quidem *Ultimam Admonitionem*, in hoc tamen loco *Institutiones* citavit. 125) F. 896, Genevae 1561. Apud Schlusselburgium op. cit. f. 5. 126) *Tractationum Theologicarum*, vol. 1 Κρεωφαγία sive *Cyclops. Dialogus de Vera Communicatione Corporis et Sanguinis Domini adversus Tilmanni Heshusii Commenta*, passim, speciatim pag. 296 sqq. Genevae 1570. Cf. etiam not. 78, *Dissert. Praeambula*. 127) Apud Schlusselburgium op. cit. lib. 2, f. 3^b sqq. ad verbum. 128) Lib. 1, f. 25^b. 30^a. 32^a sqq. praesertim f. 92^b-93, Tiguri 1584.

mentarios tanquam convictos haereticos, mendaces, falsarios, sacramentiperdas, hostes sacramentorum, corruptores Testamenti Christi, daemoniacos, diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, et extra plenos, omnium hominum, quos unquam terra sustinuit, deterrimos, non verbis, sed gladio civilis magistratus refellendos, arcendos a sacris et ab Ecclesia funditus extirpandos; Sacramentarii, his auditis, paria retulerunt, imo duriora rependerunt, Lutheranosque vocarunt anthropophagos, sarcophagos, hematopetas, theistas, carnifices, christicidas, artolatras, impanati Dei cultores, Nestorianos, Eutychianos aliisque multis longe infamibus nominibus Lutherani a Sacramentariis male admodum audire coeperunt, nec ullus est male audiendi finis. Ita Zwingliani et Calvinistae de Lutheranis sane pessime sentiunt.

a Sacramentariis appellati sunt theistae, christicidae, artolatrae, etc.

VIII. Non omittam autem referre etiam nonnullorum Lutheranorum et ipsius etiam Lutheri de sua secta iudicium, ut, ipsismet fatentibus, sciamus quale genus hominum sint Lutherani. Andreas itaque Musculus, egregius lutheranus, *Sermone* quodam in *Dominica prima Adventus* hac de re loquitur:[129] «Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, ut si quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, foeneratorum, civitatem aliquam adeat, in qua evangelium Lutheri pure praedicatur, catervatim tales ibi reperiet. Nam meridiana luce clarius est quod hominum effrenatorum et indomitorum apud quos omnis virtus et honestas penitus extincta est et apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures ne quidem apud ethnicos, Turcas et alios infideles, quam apud evangelicos, apud quos omnia frena diabolo laxata sunt, reperiantur». Quid igitur, Musculo iudice, est Lutheranorum, sive evangelicorum hominum secta? Ingens turba nebulonum, hominum turbulentorum, apud quos omnis virtus et honestas penitus extincta est, peius quam apud Turcas et alios infideles. Pronunciat autem ita *proprius ipsorum propheta.*[130]

Quinimo ipsi Lutherani in suos invehuntur.

A. Musculus ait quod Lutherani sunt ingens nebulonum turba, impostores, etc.;

Iacobus Andräae similia habet, dum et ipse in *Concione* quadam ita ait:[131] «Turba Germanorum suum quidem locum verbo

Iac. Andräae testatur

129) Nullibi invenire potuimus hoc opus ab Auctore citatum, aut aliquid simile.

130) Tit 1, 12.

131) *Concio 4 ad 2 cp. Lucae*, citata ab Auctore. Vidimus Schmidelini

Dei ut praedicetur tribuit; nulla vero sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, bestialis, epicurea eorum vita cernitur in conversationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis et divini nominis profanationibus, sive blasphemiis, qua in parte volunt aeque libere et impune peccare, sicut papistae in sua idololatria. Mandat serio Deus in verbo suo, et a suis christianis requirit seriam et christianam disciplinam; haec vero apud nos novus papatus novusque monachismus existimatur. Si enim, inquiunt, didicimus modo per solam fidem in Christum salvari, qui sua morte pro peccatis omnium satisfecit, nos vero satisfacere non possumus nostris ieiuniis, eleemosynis, precationibus et aliis operibus; quamobrem sine et permitte, ut huiusmodi opera missa faciamus, cum per Christum alioquin salvari possimus, et solum gratia Dei Christique meritis nitamur, atque, ut totus mundus cognoscat eos non esse papistas nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Illorum loco commessationibus et perpotationibus nocte dieque vacant. Ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt et excoriant, precationes vertunt in iuramenta, blasphemias et divini nominis execrationes; idque tam perdite, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate passim apud illos regnat superbia, fastus, elatio, luxuria, etc. Atque hoc universum vitae genus ab illis evangelicum dicitur institutum». Quid igitur est etiam Iacobo Andrāae, supremi ordinis apud Lutheranos homini, Lutheri secta? Coetus est hominum, quorum vita epicurea et bestialis est, a quibus Christus tam perdite, quod ne a Turcis quidem tantopere blasphematur.

eorum vitam fuisse bestialem,

quia didicerant per solam fidem in Christum salvari;

hinc nocte dieque commessationibus vacabant.

Ad haec Ioannes Wigandus in libro *De Bonis et Malis Germaniae* ait[132] iuventutem evangelicorum fieri quotidie deteriorem et intractabiliorem, eaque vitia perpetrare quibus olim adulti vix erant obnoxii, resonare tristes querelas passim de iuventutis petulantia et malitia, ita ut incorrigibilis plane videatur. Tribuit illi effrenem et inauditam petulantiam et maledicentiam, qua a prosopolatris imbuta

Io. Wigandus affirmat evangelicorum iuventutem fieri quotidie deteriorem.

opus: *Drei und Dreissig Predigten von den Fürnemmsten Spaltungen in der Christlichen Religion*, Tubingen 1573. *Concione 2*, part. 1, explicat Lc 2; sed nihil habet de hac re; *Concione 4*, part. 1, conqueritur de Lutheranis, qui non secundum novum evangelium ambulent. In opere: *Fünf Predigten von den Werck der Concordien*, Tubingen 1580, dicit *Concione 4* quod Lutherani Lutherum in doctrina et moribus minime imitantur. Sed verba a S. Laurentio relata desiderantur.

132) Pag. 73-74, quasi ad verbum, 1576 sine loco.

magis atque magis quotidie furere, dira convicia in ecclesiae doctores evomere, foeda, obscena, crudelia, impia et scelerata scripta, pasquillos et picturas effundere, certare inter se impudentissimis mendaciis confingendis, qualia diabolos ipsos puderet proferre. Quales ergo sunt Wigando filii evangelicorum hominum? Deploranda petulantia, incorrigibili malitia, impudentissima maledicentia, diabolis ipsis impudentiores. At vero ait ille:

« Quo semel imbuta recens servabit odorem
Testa diu ».[133]

Et Salomon ait: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*[134]

Ph. Melanchthon dicit suos in modum epicureorum vivere, etc.

Philippus Melanchthon *super Matthaeum* agnovit suos in modum epicureorum vivere, aitque:[135] « Res ipsa loquitur in his regionibus omne fere studium conviviorum apparatibus et ebrietati atque immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est nos a Deo variis modis puniri, ut incendio, bellis, etc., adeo delectantur immunditia, sordibus et illuvie, ut in morem suis lutulentae quaslibet res, panem, carnes, etc. corrumpere et contaminare soleant ». Quomodo ergo vivunt evangelici, Philippo Melanchthone iudice? In modum suis, lutulentae suis. Quisnam est homo lutheranus? De grege Epicuri porcus,[136] assertore insigni Lutheranorum promacho et stratego Philippo.

Lutherus ipse fatetur ex sua doctrina mundum deteriorem evasisse, quam sub papatu;

Sed videamus tandem quid Luthero visum fuerit de secta ista ab ipso excitata. In sua *Domestica Postilla Sermone altero Dominicae primae Adventus* ait:[137] « Mundus de die in diem multo deterior evadit, quod pessimus daemon operatur. Enimvero videmus quod hoc tempore homines sint multo peiores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quam antea unquam in papatu fuerint ». Ergo, auctore Luthero, Lutherani sunt multo peiores, quam papistae unquam fuerint. Habent autem antiquiores libri hoc loco:[138] « Mundus ex ista doctrina fit in dies deterior; nunc homines sunt a septem diabolis obsessi, cum prius obsessi essent ab uno. Diabolus incurrit nunc turmatim in homines ».

133) Hor. *Epist.* lib. 1, *Epist.* 2, vrr. 69-70. 134) Prv 22, 6. 135) Part. 3, f. 343b-344a.
136) Hor. *Epist.* lib. 1, *Epist.* 4, vr. 16. 137) *Iehnische Hauspostill...* aus M. George Rösers aufgefast, f. 6b-7a, Iehna 1597. 138) Ibid.

His similia **Lutherus** multa scripsit, quae a nobis alibi sunt adnotata.[139] Ex his autem manifestum est qualis sit Lutheranorum secta etiam sectariorum iudicio et ipsorum etiam Lutheranorum sententia, sane, sicut Arianorum secta, ab omnibus Catholicis itemque ceterarum factionum haereticis damnata, maledicta et anathemate iugulata.

aliaque his similia dicit Lutherus iam alibi notata.

IX. Possemus iam tractatui huic de incommodis Lutheranorum moribus colophonem imponere,[140] videri enim potest satis superque dictum ; multa tamen suppetunt adhuc dicenda, quae non sunt prorsus contemnenda nec silentio supprimenda.

Haec sufficerent, sed alia addenda sunt.

Henricus VIII Angliae rex, cum probe nosset Lutheranorum sectam, in epistola quadam *ad Saxoniae ducem*, de ea ita pronunciat :[141] « Nulla unquam factio fuit ita seditiosa, pestilens, nefaria, quae sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, respublicas omnes evertere machinata sit, ut nunc ista coniuratio lutherana, quae et sacra omnia profanat et profana contaminat, quae ita Christum praedicat, ut eius sacramenta conculcet, ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem destruat, ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat et invehat peccandi licentiam, ita misericordiam sublevat, ut iustitiam deprimat et malorum omnium causam inevitabilem non in deum aliquem malum, quod Manichaei commenti sunt, sed in unicum illum vere bonum reiiciat ».

Henricus VIII vocat nefariam Lutheranorum sectam, quae omnia contaminat, et sacramenta conculcat, etc.

Erasmus Roterodamus, qui multis annis a Luthero et Lutheranis non admodum fuit alienus, nec a Lutheri doctrina valde abhorruit, ita ut quasi vulgo diceretur : « Aut Lutherus erasmizat, aut Erasmus lutherizat »,[142] de Lutheranis multa scripsit haud absimilia his, quae de eis a rege Angliae dicta sunt, multaque eorum vitia longe maxima notavit,[143] praesertim vero in *Hyperaspiste*[144] contra

Erasmus Roterodamus his similia plurima habet.

139) *Expositio Psal. : Miserere mei*, W. L. t. 3, f. 511-512; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 413; cf. etiam *Dissert. 1*, lib. 1, sect. 1, pag. 29 sqq. et *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, *Dissert. 4*, sect. 4, pag. 183-192. 140) Etymon a Κολοφων, idest, *finis*. Colophonii olim, cum navalibus copiis tum equestribus adeo abundabant, ut ubicumque bellum gereretur, quod confici non posset, Colophoniorum equitum auxilio compleretur. Unde proverbium *Colophonem addere*, idest, *finem imponere*. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 773-775. 141) I. G. t. 2, f. 210. 142) Erasmus Rot. *Apologia ad Blasphemias Iac. Stunicae*, t. 8, col. 365. 373. 143) Epist. 587, t. 3, part. 1, col. 658; epist. 596, ibid. col. 667; epist. 1006, part. 2, ibid. col. 1139; *Diatribe seu Collatio de Libero Arbitrio*, t. 9, col. 1215. 144) T. 10, col. 1249 sqq. passim.

librum Lutheri *De Servo Arbitrio;* et in epistola *ad Fratres Inferioris Germaniae;* tantum non de Lutheranis dixit,[145] quod de Cretensibus legimus: *Cretenses malae bestiae, ventres pigri, semper mendaces.*[146]

Io. Fisherus ait Lutheranis convenire ea, quae Paulus scribit: *In novissimis diebus.* etc.

Ioannes Fisherus in *Praefatione Confutationis Lutheranae Assertionis* ostendit[147] evidenter convenire Lutheranis ea, quae Paulus *ad Timotheum* scribit, dicens: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa,* et *erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi,*[148] etc. aitque quod totum illud caput Lutheranos adamussim exprimit. Ioannes Cochlaeus Lutheranos per Amalecitas, qui contra Israel pugnarunt,[149] designatos scribit[150] gentemque brutam esse et idolum suum Lutherum adorare.

Cochlaeus eos vocat Amalecitas.

Hier. Emserus eleganti et lepido carmine eos describit.

X. Hieronymus Emserus, vir apprime pius et eruditus, lepidique et amoeni ingenii, Lutheranorum personam agens, eleganti carmine eos descripsit, inter cetera sic dicens:[151]

« His magistris licet nobis omne nefas, licet probris omnibus obstrepere,
cum iubilo.
Conculcare iura, leges, infamare licet reges Papamque cum Caesare,
cum iubilo.
Sed et ipsos irridemus Christi Sanctos et delemus eorum imagines,
cum iubilo.
At Priapum Lampsacenum veneramur et Silenum Bacchumque cum Venere,
cum iubilo.
Hi sunt veteres coloni nostri ordinis patroni, quibus ille militat,
cum iubilo.
Septa claustris dissipamus, sacra vasa compilamus, sumptus unde suppetat,
cum iubilo.
I cuculla, vale cappa, vale prior, custos, abbas cum obedientia,
cum iubilo.
Ite vota, preces, horae, vale timor cum pudore, vale conscientia,
cum iubilo ».

145) Ibid. col. 1592-1599. 1603-1608. 1611-1630. 146) Tit 1, 12. Vulg.: *Cretenses semper mendaces,* etc. 147) F. 6, Antuerpiae, in aedibus Io. Stelsii 1545. 148) 2 Tim 3, 1-5. 149) Cf. Nm 14, 43 sqq.; 1 Rg 30, 1 sqq. 150) Cf. *Acta et Scripta M. Lutheri,* an. 1533, pag. 252, ed. cit. 151) *In Eurici Cordi Medici Antilutheromastigos,* 1526 sine loco. Cf. Hart. Grisar op. cit. B. 1, S. 508.

Adducit Cochlaeus quaedam carmina Polonorum, quae Lutherum et Lutheranos graphice describunt :[152]

Item Poloni graphice describunt Lutherum

« Ille Lutherus ego, toto iam notus in orbe,
Cui vulgi improbitas nomina tanta dedit,
Quidquid enim dictum damnatumque extitit ante,
Nunc renovans iactor Spiritus esse Dei ;
Conciliis, Patribus, mori contraria scribo,
Actus et huc consto non ego saepe mihi.
Mystica scripta volo cum res mea postulat esse ;
Nuda eadem, cum res exigit, esse volo,
Nil credens, servansque nihil Christi, effero leges,
Praetextu quarum carpere cuncta licet ».

Et ita quidem Lutherum depingunt.

Lutheranos vero in hunc modum :[153]

et Lutheranos.

« Dic male sacrificiis, superos contemne, probatis
Moribus obtrecta, ieiunia sacra precesque
Ride, conciliis obsta, Patrumque relictis
Ritibus illude, ac venias, anathemata, vota
Non assis facias, absit confessio culpae,
Absit religio, cedant delubra popinis.
Plus persuade tibi de te, quam sit deceatque :
Pontifices, reges, prae te ceu stercora pendas,
Scripturasque Sacras ut vis, intellige, priscos
Doctores, leges, Sanctorum et gesta negato,
Sis bonus impostor, sis ad convicia doctus,
Praefectos traduc populo, retinacula rumpe
Ordinis et fidei, cieasque per omnia turbas.
Sic age sectator, qui vis probus esse Luthero ».

XI. Non adiiciam aliud nisi Lutheranorum sectis haud inepte competere videntur, quae Dominus per Ezechielem loquitur, dicens : *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me ; ipsi et patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc..., filii dura facie et indomabili corde sunt.*[154] Itemque : *In-*


Apte igitur conveniunt Lutheranis, quae Dominus de Israel

152) *Acta et Scripta M. Lutheri*, an. 1525, pag. 120. 153) Ibid. 154) 2, 3-4.

per Ezechielem ait gentem esse apostatricem, dura cervice et indomabili corde.

creduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.[155] Una enim cum Luthero, bis apostata a sacrosancta Romana Ecclesia, apostatarunt et in haeresim lapsi, una cum Luthero in haereseos perfida incredulitate duro et obstinato corde persistunt; filii Lutheri sunt et Lutheri spiritum a satana acceperunt, ita ut quaecumque de spiritu Lutheri dicta a nobis sunt, Lutheranis etiam eodem spiritu imbutis conveniunt. Adagium est: Qualis pater, talis filius; et apud Ezechielem legimus: *Vulgo proverbium...: Sicut mater, ita et filia eius.*[156] Lutheri autem vesana mens haeresi infecta veluti mater fuit totius haeresis, quae in universo lutheranismo reperitur. *Sicut* autem nunc *mater, ita et filia eius*; qualis fuit Lutheri mens, conscientia, vita, talis et Lutheranorum.

155) Ibid. vr. 6. 156) Ibid. 16, 44.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII EX ORIGINALI QUARTA PARTE DEMINUTO

LIBER SECUNDUS

HYPOTYPOSIS DOCTRINAE LUTHERANAE

SECTIO PRIMA

DE SYMBOLO DOCTRINAE LUTHERANAE SEU DE CONFESSIONE AUGUSTANA

DISSERTATIO PRIMA

AGITUR DE AUGUSTANA CONFESSIONE QUAE AMUSSIS ET REGULA FIDEI EST SYMBOLUMQUE DOCTRINAE LUTHERANAE SECTAE [1]

Agendum nunc de Augustana Confessione, quae a Lutheranis habetur ut regula fidei,

I. Cum de fide lutheranae sectae sermonem instituerimus, necesse est, ut de *Augustana Confessione* nonnihil dicamus, ipsa enim est veluti quintum ipsorum evangelium, symbolum et regula fidei, quam lutheranae ecclesiae profitentur. Non contenti antiquissima doctrinae fidei regula, quam semper ex Sacris Litteris et apostolicis traditionibus religiose admodum catholica servavit Ecclesia, non symbolis Apostolico, Nicaeno et Athanasiano, usitato haereticorum more, praesertim vero Arianorum, novam sibi fidei normam pro suo arbitratu condiderunt, et religionis fundamentum constituerunt, ad quam omnes veluti ad sacram ancoram confugiunt, in quam omnes ministri pastoresque et doctores iurant, ut sartam tectam servent et sacrosanctam perpetuo habeant.

religionis

Haec ipsorum est admirabilis Helena [2] vel potius Pandora, [3] de

1) Cod. 2, f. 345ᵃ-350ᵇ. 2) Mulier insignis pulcritudinis. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Helena* nomine. 3) Prima mulier, ut confingit mythologia, omnium rerum genere a diis, quibus perplacuit, donata: a Pallade sapientia, a Venere forma, ab Apolline musice, a Mercurio eloquentia, etc. Proverbio dicitur de re cui construendae multi operam contulerunt, ut *Confessioni Augustanae.* Cf. ibid. sub nomine *Pandora.*

fundamentum et divinum oraculum.

qua in Altemburgensi colloquio Lutheranorum synodus ita loquitur:[4] « Ad *Confessionem Augustanam* secundum verbum Dei, tanquam ad fundamentum religionis nostrae nos referimus et respicimus, et ad quam leges sacrae pacis in imperio allegatae sunt, quae nobis est tanquam norma, gubernatrix et iudiciorum regula ». Hanc ad unum Lutherani fere omnes tanquam divinum oraculum venerantur, super astra extollunt, effusissime laudant, quam Polycarpus noster dicit confessionem puram et incommutatam.[5]

Videndum igitur quinam sint eius auctores, quid contineat, utrum immutata manserit.

II. Nobis autem missa facienda sunt *Augustanae Confessionis* prodigiosa encomia, et videndum vel potius referendum, quibus auctoribus composita fuerit, quando et quomodo sacrosancta ista evangelicae fidei *Confessio* Lutheranis obvenerit, num de coelo lapsa ad eos fuerit, vel Lutherus eam a Deo, sicut Moyses tabulas legis divino digito scriptas, acceperit,[6] quid complectatur atque contineat, et tandem, an revera pura et incommutata semper eadem manserit.

Lutherani faciunt Spiritum S. principalem auctorem;

Quoad primum, Lutherani *Confessionis* istius Spiritum Sanctum faciunt principalem auctorem, sed non intelligo modum. Scriptura enim a Deo profecta sicut a rege potest intelligi quattuor[7] modis: vel quia regis manu scripta subscriptaque et sigillo munita est, ita ut in ea rex mentem suam aperuerit proprio stylo et propriis characteribus; vel quia rex dictat amanuensi scripturam, sed ipse postea subscribit, et sigillo munit; vel[7a] quia amanuensi, qui regi a secretis est, mentem suam aperit iubetque ut scribat, sed rex manum apponit; vel tandem quia de mandato regio scribitur aliquid et tantum regio sigillo munitur, sicut videmus in diplomatibus pontificiis. Ita Divina Scriptura primum habet modum in Decalogo, secundum in aliis legis partibus, quas Moyses Deo dictante scripsit, tertium in reliquis Scripturis; omnes enim sacri scriptores mentem Spiritus Sancti habuerunt,[8] sed quisque proprio stylo usus est; quartus est in conciliis rite celebratis circa dogmata fidei, ut in concilio Apostolorum.[9] Sed quinam, quaeso, horum modorum convenit *Confessioni* isti?

sed perperam, cum eius

Profecto si quis rite perpendat, *Augustana Confessio* est sicut

4) *Colloquium Altemburgense*, f. 5b. 8a. 18a. 24b sqq.; clarius f. 27a. 406a, Ienae 1570.
5) Laiseri libellus, pag. 1. 6) Cf. Ex 31, 18. 7) Ms.: *Tribus* habet; sed ex lapsu memoriae aut calami, ut ex sequentibus patet. 7a) Ms. adiungit: *Tandem*. 8) Cf. 2 Petr 1, 21. 9) Cf. Act 15, 6 sqq.

Melchisedech *sine patre* et *sine matre*, [10] hoc est, cuius pater, aut mater, sive genus in Sacris Litteris ignoratur. Nullum enim praefert aut secum habet nomen auctoris, tantum *Augustana Confessio* nominatur. Libri autem titulus et inscriptio est: *Confessio Fidei Exhibita Invictissimo Imperatori Carolo V Caesari Augusto in Comitiis Augustae Anno 1530.* [11]

auctor prorsus ignoretur;

A quibus fuerit exhibita Caesari scitur, nam ad calcem libelli sunt nomina subscripta principum et statuum, qui eam exhibuerunt, in hunc modum: [12] «Caesareae Maiestatis Vestrae fideles et subditi Ioannes dux Saxoniae elector, Georgius marchio Brandenburgensis, Ernestus dux Luneburgensis, Philippus landgravius Hessorum, Ioannes Fridericus dux Saxoniae, Franciscus dux Luneburgensis, Wolfangus princeps ab Anhalt, senatus magistratusque Nurnbergensis, senatus Reutlingensis». De auctore autem altum silentium, nihil prorsus dicitur. Habet *Praefationem ad Caesarem* nomine infrascriptorum principum, [13] sed neque in *Praefatione* indicatur auctor, ac si liber de coelo fuisset ad ipsos delapsus.

et noscantur tantum ii, qui eam Caesari imperatori exhibuerunt.

III. Fere autem nemo est vel ex Catholicis, vel ex ipsis haereticis, qui non Philippo Melanchthoni tanquam architectori et fabricatori primario, ex Lutheri tamen placitis, tribuat opus; ipse enim *Confessionis* istius insignis extitit propugnator, et in defensionem eius edidit *Apologiam*, quae expresso ipsius auctoris nomine una cum *Confessione* in lucem edita fuit. Unum invenio Davidem Lobecchium, qui in suis *Disputationibus Theologicis* analysim articulorum *Augustanae Confessionis* complectentibus ait, [14] quod iniuriosi sunt in sanctissimos D. Lutheri manes, qui conscriptionem huius *Confessionis* Philippo attribuunt».

Generatim tamen a Catholicis et haereticis Melanchthoni tribuitur.

Unus Lobecchius contradicit,

Ipse vero ait [15] quod, cum «liber iste non sit privatus, sed publicus, non unius hominis, sed ecclesiae homologeticus et ob id, inquit, ecclesiasticus et symbolicus appellatur; auctores eius non sunt unus aut alter homo privatus, sed electores principes, amplissimi ordinis imperii in Germania, magistratus civitatum et eorum theologi

affirmans plures fuisse auctores:

10) Hebr 7, 3. 11) I. L. t. 4, f. 160. 12) Ibid. f. 170. 13) Ibid. f. 161.
14) *Disputationes Theologicae, 30 Art.* etc. cp. 1 *De Auctore*, pag. 6, Rostochii 1599.
15) Ibid. pag. 2. Cf. etiam pag. 7. 10-11.

Spiritum S. causam praecipuam dicit, Lutherum causam organicam principem; deinde, iudicio theologorum subiectam, concinnatam fuisse.

qui eam primo scripserunt et Imperatori exhibuerunt ». Postea autem, distinctius tractans de auctore *Confessionis*, ait [16] causam efficientem principem esse, scilicet, Spiritum Sanctum, organicam autem et amanuensem Spiritus Sancti principem fuisse Lutherum, a quo 17 *Confessionis* huius articuli delineati fuerunt ; ad quos veluti ad archetypum concinnata fuit *Confessio*, accedente iudicio theologorum, qui erant in comitatu principum, et communi consilio concepta, priusquam Imperatori esset oblata, Lutheri calculo comprobata fuit. Cum enim tunc temporis Coburgi subsisteret, ibique *Confessionem* istam, Augustae concinnatam et conscriptam, accepisset et accurate legisset, probavit omnique censura plane sublimiorem pronunciavit.

calamum moderante Philippo.

Quid ergo ? Nullae fuerunt in *Augustana Confessione* fabricanda Philippi partes ? Ait quod *Confessio* haec electorum principum et statuum imperii evangelicorum iussu deliberata et a Luthero primum omnium delineata et cum ab ipso, tum a praecipuis illorum temporum theologis exacte pensitata, gravi iudicio approbata et concinnata fuit, ut esset symbolum publicum et tessera omnium evangelicarum ecclesiarum, calamum [17] moderante Philippo. Igitur nonnisi amanuensis partes, auctore Lobecchio, egit Philippus in *Augustana Confessione* describenda.

Etiam G. Mylius auctorem primarium dicit Spiritum S.,

organicum autem plures fuisse: Lutherum et Philippum multum adlaborasse;

Georgius Mylius in *Explicatione Augustanae Confesssionis*, quam dicit [18] « ecclesiarum evangelicarum novissimi temporis augustissimum symbolum et lutheranae doctrinae lapidem vere lydium », in *Prologomenis* agens de auctore, scriptum istud Spiritui Sancto tanquam auctori primo et summo acceptum indubitate refert : [19] « Si vero, inquit, de organo quaeratur, a quo mediate profectum est, auctorem neque unum neque paucos, sed multos ac diversos scripti istius constituere res et veritas ipsa nos admonet. Beatum Lutherum plurimum in hoc opere praestitisse historia docet. Neque vero incertum est quantus in hac causa Philippi labor et cura fuerit, sed et ecclesia ipsa orthodoxa est, quae sibi tanti operis partem non postremam vindicat ».

deinde Ecclesiae

Deinde huius tanti operis « ecclesiae quidem tribuit [20] inventionem, Luthero autem dispositionem et Philippo elocutionem ». Quae-

16) Ibid. pag. 5-6. 17) Ms.: *Calamo.* 18) *Augustanae Confessionis*, quae ecclesiarum evangelicarum novissimi temporis, etc. Ienae 1596. 19) Ibid. f. 2b. 20) Ibid.

nam igitur erunt Spiritus Sancti partes? Ecclesiam enim, quae tanti operis partem non postremam sibi vindicat, a Spiritu Sancto secernit, cum eam inter organa constituit. Nunc si, ut ait,[21] rectissime existimabit, quisquis voluerit, ecclesiae assignandam esse inventionem, Luthero dispositionem et Philippo elocutionem; nullae reliquae sunt partes Spiritui Sancto. Et merito quidem; tam enim vere *Confessio* ista opus est Spiritus Sancti quam alia quaecumque haereticorum Zwinglianorum, Calvinianorum similiumque aliarum pestium confessio.

tribuit inventionem, Luthero dispositionem, Philippo elocutionem. Quid igitur fecit Spiritus S.?

IV. Causam assignat Mylius,[22] cur θεόπνευστον,[23] hoc est, divinitus inspiratum opus hoc possit debeatque appellari, quia firmissimo Scripturarum Sacrarum fundamento solo totum nititur; sed sicut aliorum quorumcumque sectariorum confessio. Hanc eandem causam assignat Lobecchius,[24] quae quam vera sit postea expendetur. Sed commune dicterium est omnium novatorum confessiones suas, licet inter se pugnantissimas, solo niti fundamento Scripturarum Sacrarum.

Iuxta Mylium et Lobecchium inspirata dicitur, quia in Scripturis fundatur; sed est dicterium omnium novatorum.

Sed non gravemur ex historia ipsa, quam, Sleidano[25] et Chytraeo[26] auctoribus, referunt Lobecchius Myliusque dare operam, an vel minimum reperire possimus Spiritus Sancti vestigium in *Confessionis* istius fabricatione.

« Occasionem, inquit Lobecchius,[27] scriptioni et exhibitioni praebuit tum edictum Imperatoris tum comitiorum propositio, ut *Praefatio ad Imperatorem* testatur. Nam Carolus V imperator, publico diplomate comitia Augustae indicens, Bononia ad ordines imperii dimissis litteris simul protestantibus principibus scripsit, ut confessionem fidei ad comitia adferrent, ex qua de doctrina ipsorum cognosci posset..., ut, schismate sublato, concordia in religione constitueretur ».

Occasio, iuxta Lobecchium, fuit edictum Imperatoris et comitiorum propositio.

« Huic edicto ut corresponderent ordines imperii, protestantes doctrinam a Luthero repurgatam amplexi suis theologis iniunxerunt, ut ad rationem fidei reddendam confessionem in comitiis coram Imperatore et imperii statibus edendam parati essent, et summam doctri-

21) Ibid. 22) Ibid. 23) Ms.: Θεοπνευστον. 24) Op. cit. pag. 5. 25) *De Statu Religionis et Reipublicae Carolo V Caesare*, lib. 7, pag. 212-215. 219-230, typis Simonis a Bosco 1566, sine loco. 26) *Historia Augustanae Confessionis*, cuius nullam editonem consulere potuimus. 27) Op. cit. pag. 2.

nae in suis ecclesiis sonantis scripto complecterentur; in primis vero id diligenter factum ab electore Saxoniae Ioanne, attestante historia *[Confessionis Augustanae]* », etc.

G. Mylius addit quod elector Saxoniae mandavit theologis Wittembergensibus, ut formulam *Confessionis* conficerent, quae a Luthero 17 articulis concinnata, archetypus *Confessionis* evasit.

V. Addit Mylius [28] quod elector Saxoniae, Torgavia datis litteris, ad theologos Wittembergenses serio mandavit, ut, sepositis omnibus aliis negotiis, de certa quadam confessionis forma deliberarent eamque scripto comprehensam statim ad se Torgaviam ulterius deliberandam ponderandamque afferrent. Et post pauca: [29] « Cum de conscribenda confessionis formula theologi Wittembergenses mandatum ab electore accepissent, post deliberationem habitam Luthero commissum fuit hoc negotium a theologis, ut summam confessionis paucis capitibus ipse comprehenderet. Conscripti sunt ergo articuli, quos vocant 17, quibus summa religionis nostrae comprehensa fuit, quos secum ad comitia attulit [29a] elector. Hoc scriptum Lutheri archetypus fuit *Confessionis Augustanae;* nam ad huius normam Augustae illam postea esse conscriptam », etc.

Lobecchius eadem dicit de 17 articulis,

Ita etiam Lobecchius de 17 articulis: « Cum, inquit, [30] iubente Imperatore, scribenda esset confessio fidei ecclesiarum nostrarum ab ipso primum Luthero articuli 17, qui tomo 5 Germ. extant, delineati sunt, quibus tota christianae doctrinae ratio eruditissime comprehenditur ». Una in re a Mylio discrepat, quod hic quidem primas [partes] tribuit ecclesiae evangelicorum, Luthero autem secundas; Lobecchius vero Lutherum principem facit organicam causam *Augustanae Confessionis:* « Quae electorum, inquit, [31] principum ac statuum imperii evangelicorum iussu deliberata a Luthero primum omnium delineata et tum ab ipso, tum a praecipuis illorum temporum theologis exacte pensitata, gravi iudicio approbata et concinnata fuit, calamum moderante Philippo, et auctoritate publica Imperatori exhibita est, ut esset symbolum publicum et tessera communis nostrarum ecclesiarum ». Et ita quidem ipsi Lutherani scribunt de *Confessionis* suae primaria origine καθ' ἱστορίαν. [32]

sed amplius Lutherum facit causam organicam praecipuam *Confessionis Augustanae.*

Ex dictis patet

Nunc, quaeso, quid hic Divini Spiritus elucet? Iussu Caroli V conscripta fuit, mandato electoris Saxoniae a theologis Wittember-

28) Op. cit. f. 2-3. 29) Ibid. f. 3. 29a) Ms.: *Abstulit.* 30) Op. cit. pag. 6.
31) Ibid. pag. 7. 32) Ms.: Κατ ιστοριαν.

Spiritum S. non esse eius auctorem;

gensibus deliberata, sed ulterius deliberanda et ponderanda, a Luthero delineata, a Philippo descripta, a principibus protestantibus Caesari exhibita ; quid, quaeso, in his omnibus divinitatis est ? Sane cum ab ipsis Lutheranis ostenderimus originem *Confessionis* istius, perspicuum est nonnisi humanum esse inventum, neque enim ipsi divinam ei originem tribuunt, ut fuerit vel a Deo scripta sicut Decalogus, vel per Spiritum Sanctum revelata sicut omnis Divina Scriptura, vel per Angelum aut Prophetam tradita.

fuit enim pensitata et approbata a theologis, qui errori obnoxii erant;

Fuit a theologis exacte pensitata et gravi iudicio approbata ; sed haud dubium spiritu non divino, sed de vino in imperialibus comitiis Germanorum, in quibus quis nescit quantum temporis poculis etiam prodigiosis exhauriendis singulis ferme diebus insumatur ? Sed fuerint theologi temperantes a vino beneque docti ; num extra aleam infirmitatis humanae positi fuerunt, ut errare minime possent ? Omnes orthodoxi Patres etiam in sacrosanctis conciliis, Lutheranorum sententia, errare potuerunt cum universa Ecclesia ; [33] et theologi, sed anonymi, a quibus *Augustana Confessio* a Luthero delineata pensitata fuit et iudicio approbata, errare minime potuerunt ? Fuit ne ipsorum istud iudicium adeo superhumanum ac superangelicum, ut esset per omnia divinum ? Alioquin L u t h e r u s ipse [34] nunquam non habebat in ore : [35] *Docentes doctrinas et mandata hominum ;* et : [36] *Si quis aliud evangelizaverit etiamsi Angelus de coelo..., anathema sit.* [37]

Ideoque nonnisi doctrina humana est.

Cum igitur, ipsis fatentibus, nonnisi ab hominibus pensitata et concinnata sit, neque enim Spiritus Sanctus opus habet pensitatione ista : *Cum steteritis ante reges et praesides..., nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ;* [38] manifestum est quod nonnisi humana doctrina est, radix *quam non plantavit Pater... coelestis*, ac propterea eradicanda. [39]

Ceterum etiam

Mitto autem quod, sicut Lutherani *Confessionem* suam Caesari in Augustanis comitiis exhibuerunt a theologis suis pensiculatam et

33) Brentius *Confessio Piae Doctrinae*, etc. I, 1-3. Tubingae. Cf. etiam Lutherus *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 467^{b}-472^{b}. 475^{a}-483^{a}. 34) *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 283^{a}; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 318^{b}; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 337^{b}; *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum*, ibid. t. 7, f. 458^{a}. 35) Mt 15, 9. Ms.: *Doctrina*. 36) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 319; *Comment. in Psal. 81*, ibid. t. 3, f. 547^{b}; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 276^{a}. 37) Gal 1, 9. 8. Vulg.: *Sed licet nos aut Angelus*, etc. 38) Mt 10, 18-19, ut est in *Brev. Rom.* respons. 3 de Com. Apost. 39) Ibid. 15. 13.

Zwingliani Confessionem suam Caesari obtulerunt,

concinnatam, ita etiam Zwingliani per quattuor oratores imperialium civitatum Argentinensis, idest, Constantiensis, Memmingensis et Lindaviensis, quae Zwinglii sectam haeresimque sequebantur, a suis theologis pensiculatam et concinnatam obtulerunt Imperatori.[40]

causamque eius faciunt Spiritum S. Quae ergo ex duabus vera est?

Quî ergo sciemus lutheranam confessionem a Spiritu Sancto fuisse, zwinglianam autem a satana? Zwingliani enim asserunt suam quidem confessionem a Spiritu Sancto esse, lutheranam vero a diabolo; Catholici utramque tanquam novam damnarunt, ab orthodoxis Patribus ignoratam et catholicae Ecclesiae inauditam damnarunt: *Si quis aliud praedicaverit... anathema sit.* Semper enim in Ecclesia Dei quaecumque nova circa fidei doctrinam dogmata a novitate praescriptionem habuerunt, et anathemate indicto damnata fuerunt.[41]

Quoad auctoritatem, iuxta Mylium et Lobecchium, non est aequiparanda Scripturae aut symbolis catholicis.

Aiunt autem de auctoritate *Confessionis* istius Mylius et Lobecchius eam non aequiparari canonicis Scripturis, imo ne symbolis quidem catholicis, quae sunt communi omnium fidelium applausu comprobata: « Proinde, inquit Mylius,[42] non alio quam symboli loco illam esse volumus, non eo gradu quo ad symbola ista catholica universus Ecclesiae grex adstrictus est, sed qui in nostrarum dumtaxat ecclesiarum usu valeat ». Et Lobecchius:[43] « Quod vero ad symbola vetera nec illis prorsus hanc *Confessionem* aequamus; illa enim universalis ecclesiae consensu et communi omnium fidelium applausu comprobata esse, nostram vero particularis ecclesiae homologeticum esse non inficiamur ». Mirum quod ipsimet lutheranam ecclesiam a catholica separant, et faciunt alienam. Sed satis de auctore sit dictum.

Nunc agendum est de doctrina Augustanae Confessionis,

VI. De doctrina, quam continet credendamque tradit, nunc videndum. Dicitur quidem ipsa Lutheranis, ut vidimus, tantum opus; cum tamen opus ipsum, si molem consideremus, breve admodum et angustum sit, minimi voluminis libellus et sermone quidem valde simplici tenuique compositus. Sed tantum opus propter divinam, quam continet, sapientiam dicunt; sane, si divina sapientia in erroribus haeresibusque consistit et in apertis mendaciis.

40) Cf. Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 6, pag. 99.
41) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, *Praescript. 4*, cp. 29-31, (P. L. 2, 41-44); Vincentius Lirinensis *Commonit. 2*, ibid. 50, 688. 42) Op. cit. f. 8. 43) Op. cit. pag. 16. Per errorem ponitur pag. 14.

Est ipsa *Confessio* in duas partes divisa,[44] quarum prior continet articulos viginti et unum de doctrina fidei; posterior vero articulos septem de mutatis abusibus. Articuli prioris partis sunt per ordinem: Primus, de unitate essentiae divinae et Trinitate personarum; secundus, de peccato originali; tertius, de incarnatione Verbi; quartus, de iustificatione peccatoris ex Christi meritis per fidem et iustitiam imputativam; quintus, de ministerio verbi et sacramentorum; sextus est de salute per solam fidem; septimus, de Ecclesia et duabus Ecclesiae notis; octavus, de ministris ecclesiae, quod etiam mali possint administrare sacramenta et praedicare verbum; nonus, de Baptismo et quod etiam pueri sint baptizandi; decimus, de Coena Domini; undecimus, de Confessione et absolutione peccatorum; duodecimus, de poenitentia, quod lapsis post Baptismum contingere potest poenitentia; decimus tertius, de usu sacramentorum et fine, ad quem divinitus instituta sunt; decimus quartus, de Ordine ecclesiastico et vocatione ad ecclesiastica ministeria; decimus quintus, de ritibus ecclesiasticis et traditionibus humanis; decimus sextus, de magistratibus politicis et civilibus officiis; decimus septimus, de iudicio finali, quo Christus salvaturus est pios et damnaturus est omnes impios diabolos et homines; decimus octavus, de libero arbitrio, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam; decimus nonus, de causa peccati, quod non Deus, sed voluntas humana sit causa peccati; vigesimus, de bonis operibus, quod non prohibeantur ab evangelicis ecclesiis; et vigesimus primus, de cultu Sanctorum tantum ad memoriam et exemplum, non autem ad invocationem et venerationem.

quae in duas partes divisa est: Prior agit de doctrina fidei, posterior de abusibus; prior continet 21 articulos,

Articuli autem posterioris partis de abusibus, ut diximus, septem sunt: Primus, de utraque specie, quod sub utraque specie sit communicandum; secundus, de coniugio sacerdotum; tertius, de Missa; quartus, de Confessione; quintus, de discrimine ciborum; sextus, de votis monasticis; et postremus, de potestate ecclesiastica.

posterior 7 articulos.

Notandum vero est quod in *Praefatione* istius posterioris partis a Protestantibus dicitur:[45] «Cum ecclesiae, inquiunt, apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia catholica, tantum quosdam paucos abusus omittant, qui novi sunt et contra voluntatem canonum

In *Praefatione* notatur, quod ecclesiae apud eos in nullo arti-

44) I. L. t. 4, f. 162-170. 45) Ibid. f. 164[b].

culo dissentiunt ab Ecclesia catholica;

vitio temporum recepti; rogamus ut Caesarea Maiestas clementer audiat ». Nam, nescientes quid dicant, similes mihi videntur Caiphae prophetanti,[46] ipsimet enim dicunt ecclesias suas distinctas esse ab Ecclesia catholica propter quosdam abusus, licet in nullo fidei articulo dissentiant.

sed, si non sunt unitae Ecclesiae, non sunt eius partes, et ideo haereticae sunt.

Sed si non sunt cum Ecclesia catholica unitae, ipsorum ecclesiae non sunt ipsius partes, extra catholicam Ecclesiam sunt, extra arcam Noe. Ecclesia autem, quae catholica non est sub nomine christianae professionis, haeretica est; et cum Ecclesia ista catholica, a qua ecclesias suas in nullo fidei articulo dissentire asserunt, non possit esse alia quam Romana, a qua propter abusus aliquos sese diviserant et schismate separarant, ipsimet dicunt Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam catholicam, quae cum in nullo fidei articulo erret, non potest non esse catholica.

Cum vero in singulis fere articulis dicatur: Ecclesiae apud nos magno consensu docent, etc., ostendunt se a catholica Ecclesia separatos.

Voluimus autem hoc adnotare, quoniam in *Confessione* ecclesiae istae a catholica Ecclesia separatae sunt, quae fidei doctrinam tradere per summam auctoritatem dicuntur. Ita enim primus articulus incipit:[47] « Ecclesiae magno consensu apud nos docent decretum Nicaenae synodi de unitate essentiae divinae et de tribus personis verum et sine ulla dubitatione credendum esse ». Et postea in singulis fere articulis dicitur: « Item docent, item docent, item docent », videlicet ecclesiae superius dictae. Ostendunt itaque *Augustanam Confessionem* doctrinam esse ecclesiarum a catholica Ecclesia separatarum, hoc [est], schismaticarum et haereticarum.

At etiam falsum est eorum ecclesias magno consensu docere; non enim fuit communibus suffragiis probata,

VII. Quam verum autem sit quod aiunt: « Ecclesiae apud nos magno consensu docent », ipsi viderint. Si enim *Confessio* ista in generali aliquo evangelicorum concilio communibus omnium suffragiis composita subscriptaque fuisset, non longe a vero dicerent in doctrinam istam magno consensu omnes evangelicas ecclesias convenire; sed nonnisi a paucis theologis Wittembergae, iussu principis electoris, meditata fuit.

sed a paucis tantum, praecipue a Luthero,

Nec tamen ab ipsis fuit composita, sed Luthero eam componendi cura commissa fuit, sicut ex Mylio et Lobecchio paulo ante notavimus. Lutherus autem summus *Confessionis* istius archite-

46) Cf. Io 11, 49-51. 47) I. L. t. 4, f. 162ª.

ctus, septemdecim articulis, qui adhuc inter ipsius opera extant,[48] simul collectis, veluti archetypum *Confessionis* construxit. Ita totam fere a fundamentis ad culmen usque fabricatus fuit, quattuor[48a] tantum articulis exceptis. Fuit itaque a paucis hominibus, maxime vero a Luthero composita. Quomodo ergo dicitur quod « ecclesiae magno consensu docent ? »

qui inconstans fuit, praesertim in articulo de libero arbitrio.

Est autem meridiana luce clarius omnibus, qui mentis oculis minime capti sunt, nec omnino caeci, Lutherum in doctrina ne sibi ipsi quidem consensisse, sed multis in rebus a seipso dissensisse. Testis sit liber *De Servo Arbitrio in Erasmum Roterodamum* ab ipso scriptus,[49] quam bene consentiat cum articulo *Confessionis* istius de libero arbitrio, ut mittam controversiam longe maximam inter Lutheranos rigidos et molles circa articulum de libero arbitrio.[50] Ubi igitur est magnus iste ecclesiarum consensus, tantopere praedicatus ?

Quod autem non dissentiant in articulis fidei cum Ecclesia catholica, etiam falsum est. Equidem in aliquibus articulis plane concordant;

VIII. Sed res istas leviculas missas faciamus ; quod spectat ad articulos ipsos dicendum nunc est minime in omnibus ecclesias istas a catholica Ecclesia dissentire. Sicut enim ex elenchtica censura Caesaris et aliorum catholicorum principum in *Augustanam Confessionem*, quae extat in *Harmonia Confessionis Augustanae* Andreae Fabricii Leodii, perspicuum est in primo articulo de unitate essentiae divinae et Trinitate personarum[51] nullam nobis Lutherani contestati sunt litem, nec in tertio de mysterio incarnationis et passionis Christi,[52] neque in octavo de ministris Ecclesiae, quod etiam mali ministri possint administrare sacramenta,[53] nec in nono de necessitate Baptismi et Baptismo parvulorum,[54] non in decimo sexto de rebus civilibus et politicis magistratibus,[55] nec in decimo septimo de finali iudicio,[56] non in decimo octavo de libero arbitrio,[57] neque in decimo nono de causa peccati.[58] Sunt etiam nonnulli alii articuli, qui, si tantum verba spectentur, nihil prorsus videntur adversus catholicam fidem continere incommodi, veluti undecimus de Confessione, duodecimus de communione et decimus tertius de usu sacramentorum, si rite intelligantur prout in elenchtica censura explicatur, sed propinant saepe haeretici mellita venena, latetque anguis sub herba.[59]

in aliquibus concordant quoad verba, sed venenum propinant;

48) I. G. t. 5, f. 18. 48a) Ms.: *Tribus.* 49) W. L. t. 2, f. 469-471 sqq. 50) Cf. I. Döllinger *Die Reformation*, B. 3, S. 437-466 passim. 51) Pag. 10, Coloniae 1587. 52) Ibid. pag. 32. 53) Ibid. pag. 180. 54) Ibid. pag. 186. 55) Ibid. pag. 279. 56) Ibid. pag. 288. 57) Ibid. pag. 290. 58) Ibid. pag. 295. 59) Virg. *Eclog.* 3, vr. 93.

in aliis demum manifesti errores continentur, iam pluries damnati:

Reliqui omnes articuli exploratos continent errores profligatasque et iam olim damnatas haereses. Cuius rei gratia ab omnibus theologis longe doctissimis, ab omnibus catholicis academiis Italicis, Hispanicis, Gallicis, Belgicis atque Germanicis ac tandem ab universa universum per christianum orbem catholica Ecclesia magno, mirabili, unanimi consensu, nemine contradicente, damnata fuit.

ideoque *Confessio Augustana* in imperiali conventu non fuit probata,

Quin praeterea in ipso Augustano conventu imperiali, in quo Caesari exhibita fuit, nonnisi ab uno tantum Saxoniae electore, sex principibus et duabus civitatibus liberis subscripta et probata fuit; ab imperatore autem Carolo V, a quinque electoribus et quinque supra centum principibus ecclesiasticis et saecularibus, et tandem triginta novem liberis civitatibus damnata et reprobata fuit, sicut ex Ioanne Cochlaeo patet in *Actis Lutheri*,[60] atque ita ab universo christiano orbe *Augustana Confessio* damnata reperitur.

et sic ab universo orbe christiano damnata.

Quod etiam Melanchthon fatetur

Quare Philippus Melanchthon, qui in Augustanis comitiis Lutheranorum causam, absente Luthero, egit et tanquam eorum promachus moderatus fuit, scribens *ad Ioannem Obernburgerum*, qui Carolo V a secretis [erat], ait:[61] « In comitiis Augustanis tristi et atroci sententia damnati sumus ».

et ipse Lutherus de hoc conqueritur.

Sed et Lutherus, cum intellexisset sententiam Augustanorum comitiorum de sua *Confessione*, impotenti ira percitus, insano et furibundo clamore, in sua *Praemonitione ad Dilectos Germanos suos* ostendit quam bene tunc temporis Augustae audierit, dum ait:[62] « O infelices omnes qui ex parte Papae Augustae fuistis, pudori eritis cunctis successoribus et posteris vestris, qui non poterunt iucunde audire nomina vestra, quod habuerint tam infelices maiores! O turpem diaetam imperialem, qualis nunquam vel celebrata vel audita fuit, nec unquam celebrabitur aut audietur propter tam turpem actionem, quam oportet cunctis principibus totique imperio sempiternam esse maculam, quae nos Germanos omnes et coram Deo et coram toto mundo rubore confundit! » Haec et multa alia ibi Lutherus in vituperationem Augustanorum horum comitiorum, in quibus a toto fere imperiali conventu reprobata damnataque fuit ista *Confessio*.

60) An. 1531, pag. 218. 61) *Corpus Reform.* vol. 2, *Epist.* lib. 6, an. 1532, col. 1602.
62) I. G. t. 5, f. 295.

IX. Damnata etiam ab haereticis, cum primis Calvinianis est. Nam Calvinus, epistola 313: « *Augustana*, inquit,[63] *Confessio*, ut scis, fax est vestrae furiae ad excitandum incendium, quo conflagrat tota Gallia. Sed quaerendum est quorsum obtrudatur, cum semper eius mollities cordatis displicuerit, auctorem eius poenituerit et in plerisque locis accommodata sit ad peculiarem usum Germaniae. Omitto quod eius brevitas et obscura et praeteritis quibusdam maximi momenti capitibus mutila est ». Damnata etiam fuit a Calvino,

Theodorus Beza epistola prima *De Confessione Augustana*: « Fateor, inquit,[64] illam nobis in quibusdam non satisfacere atque adeo in nonnullis ac praesertim in capite de Coena Domini non probari nisi commoda interpretatione leniatur, quod etiam eruditissimos quosque videmus facere ». a Theod. Beza,

Denique auctor quidam anonymus in libro, cui titulus est: *Animadversiones in Novum Doctrinae Corpus*, ita pronunciat:[65] « *Confessio Augustana* neque fuit primo conscripta generali omnium principum ordinumque Germaniae nomine et consensu, sed septem dumtaxat principum et duarum civitatum, neque postea nisi paulatim, modo ab his, modo ab illis approbata fuit. Itaque sine ecclesiastica disquisitione et examine admitti non debet. Nec unquam fuit recepta ab ecclesiis Helvetiorum vel eorum, qui iis foedere iunguntur. Ergo non potest esse symbolum ecclesiarum reformatarum; et, si esset, subiaceret adhuc ecclesiae universali examini et iudicio per verbum Dei ». Atque ita quidem etiam ab haereticis *Augustana Confessio* nigro est signata lapillo. ab auctore libri *Animadversiones in Novum Doctrinae Corpus*.

X. Cum igitur tantopere confutata opus non habeat alia confutatione, videndum tantum est an tam solide sit in verbo Dei fundata, quam a Lutheranis iactatur, quod solum firmissimo Scripturae divinitus inspiratae fundamento nitatur. Inquirendum nunc quam solide sit in verbo Dei fundata.

Sciendum autem est quod, cum *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* et *ad arguendum*,[66] sive convincendum; duplex est ex Divina Scriptura docendi ratio: altera quidem demonstrativa Duplex est Scripturae docendi ratio:

63) Op. Omn. t. 9, part. 2, pag. 156-157, ed. cit. 64) Epist. 1 *ad D. Andream Duditium*, t. 3, pag. 189, excudebat Eust. Vignon 1582, sine loco. 65) Non invenimus hoc opus. 66) 2 Tim 3, 16.

altera demonstrativa, altera critica.

veritatis, quae didascalica dicitur, eaque fidei et pietatis nostrae veritatem divinis Scripturarum oraculis comprobamus; altera vero critica atque censoria, quae dicitur elenchtica, qua errores et falsa dogmata veritati fidei contraria Spiritus Sancti testimoniis confutamus. Hinc Paulus, *ad Titum* scribens, iubet Episcopum esse *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere,* [67] hoc est, argumentis revincere.

Eadem docendi ratio invenitur in *Augustana Confessione.*

Augustana quidem *Confessio* ita composita est, ut plerique articuli fere omnes duabus partibus constent, quarum altera didascalica est, tradens quid sit credendum; altera vero elenchtica, qua errores confutantur. Sed quibusnam Divinarum Scripturarum argumentis, viderint ipsi.

Quod ad criticam spectat, non argumentis Scripturae utuntur, sed propria auctoritate; adhibent enim verba: Damnant,

Sane quod spectat ad confutationem errorum haeresumque nulla prorsus alia quam propria auctoritate utuntur; tantum dicunt: [68] « Damnant, scilicet ecclesiae, omnes haereses, ut in primo articulo de Trinitate, contra hunc articulum exortas: Manichaeos, Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahumetistas, et omnes harum similes, damnant et Samosatenos », etc. Ita in secundo articulo de peccato originali: « Damnant, inquiunt, [69] Pelagianos et alios, qui vitium originis negant esse peccatum ». In quinto articulo damnant [70] Anabaptistas. In articulo octavo damnant [71] Donatistas et similes, qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia. In articulo decimo de Coena Domini tantum dicunt regio verbo: [72] « Improbant secus docentes ».

vel improbant secus docentes.

Et in hunc quidem modum propria tantum auctoritate damnant haereses quascumque, nullis adductis apodicticis argumentis, nullis ex doctrina sana validis rationibus, nullis Divinarum Scripturarum testimoniis. Quare quod spectat ad elenchticam *Confessionis* istius partem, manifestum est, quod nullo prorsus nixa est Scripturae divinitus inspiratae fundamento, cum nonnisi propria auctoritate ac verbo veluti regio haereses quascumque damnent: « Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas ». [73]

Quare haec pars testimoniis Scripturae minime fundatur.

67) 1, 9. 68) I. L. t. 4, f. 162a. 69) Ibid. 70) Ibid. f. 162b. 71) Ibid. 72) Ibid. 73) Iuvenalis *Satir. 6*, vr. 223.

XI. Sed forte pars didascalica fulta erit Spiritus Sancti oraculis fundataque solidissimo fundamento solius verbi Dei ex Scripturis Divinis. Hoc explorandum nobis est, maxime vero in praestantissimis articulis, de quibus non sane minima fuit olim et adhuc in praesentiarum est inter Catholicos et haereticos controversia. Sunt autem articuli de Trinitate, de incarnatione Verbi, de Coena Domini, Corporis scilicet et Sanguinis Christi in Sacramento.

Nec pars didascalica Spiritus S. oraculis fulcitur.

At vero in *Confessione Augustana* articulus de Trinitate nonnisi auctoritate Nicaeni concilii fulcitur, Scripturis omnino silentibus, in hunc modum : « Ecclesiae magno consensu apud nos docent decretum Nicaenae synodi de unitate essentiae divinae et de tribus personis verum et sine ulla dubitatione credendum esse, videlicet, quod sit una essentia divina, quae et appellatur et est Deus aeternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator et conservator omnium rerum visibilium et invisibilium, et tandem tres sint personae eiusdem essentiae et potentiae et coaeternae : Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et nomine personae utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit. Damnant omnes haereses », etc. Articulus itaque, qui aliorum omnium radix et caput summum est, nonnisi auctoritate concilii Nicaeni fulcitur.

Et quidem articulus de Trinitate in sola auctoritate concilii Nicaeni fundatur.

Articulus vero de incarnationis mysterio auctoritate tantum symboli Apostolici nititur : « Item docent [74] quod Verbum, hoc est, Filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero B. Mariae Virginis, ut sint duae naturae divina et humana in unitate personae inseparabiliter coniunctae, unus Christus vere Deus et vere homo, natus ex Virgine Maria, vere passus, crucifixus », etc. iuxta symbolum Apostolorum. Quare etiam in articulo isto, sane gravissimo et summe controverso, Scripturae Divinae silentium plusquam pythagoricum [75] servant.

In articulo de incarnatione adducitur tantum symbolum Apostolicum;

Et articulus de Coena Domini nulla auctoritate fultus invenitur, tantum enim ita habet : [76] « De Coena Domini docent, quod Corpus et Sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in Coena Domini, et improbant secus docentes ». Sed et alii plerique articuli in *Confessione* ista absque ulla prorsus auctoritate sunt positi, nisi quod ecclesiae ita docent, et propterea ita credendum est.

et pro articulo de Coena Domini tantum traditio.

74) I. L. t. 4, f. 162b. 75) Cf. *Dissert.* 7, not. 128, sect. 2 huius vol. 76) I. L. t. 4, f. 162.

Nunc videndum est, quaenam sit soliditas fundamenti horum trium articulorum, qui omnium praestantissimi sunt, et praesertim primi de Trinitate.

XII. Adduximus autem tres articulos omnium praestantissimos, qui aliorum omnium veluti bases sunt et fundamenta primaria. Quod si fundamenta ista super arenam iacta sint, non autem super solidam petram, totum aedificium necesse est ut sit sane ruinosum. [77] Videndum itaque quam bene fundatus sit primus vel maxime articulus, qui primum maximumque christianae fidei continet dogma. Non est autem nisi auctoritate Nicaeni concilii firmatus et roboratus. Tanta autem est aedificii soliditas quanta est fundamenti et basis, cui innititur; diruto enim sublatoque fundamento, corruit aedificium, et, si arenaceum infirmumque fuerit, non potest aedificium solide consistere.

Auctoritas conciliorum gravissima semper fuit apud Catholicos;

Et quidem apud Catholicos gravissima fuit semper maximique momenti sacrorum conciliorum auctoritas. Scimus enim quod in conciliis rite celebratis, maxime vero generalibus, in quibus Spiritus Sanctus praesidet, per unanimem Patrum orthodoxorum consensum Christus ipse Spiritu suo Ecclesiam *docet... omnem veritatem.* [78]

non ita tamen apud Lutheranos

et Lutherum, qui eis fidem negavit,

Sed dicant Lutherani quanti faciant conciliorum auctoritatem. Summum apud ipsos axioma est: Quidquid manifestis et expressis Scripturae testimoniis non probatur, illud in evangelicis ecclesiis minime creditur, sed inter humanas doctrinas computatur. [79] Conciliis autem, Luthero patriarcha summo Lutheranorum auctore, non est habenda fides, quoniam errare potuerunt et errarunt. [80] Ita Lutherus ab omnibus conciliis et Patribus ad solas Scripturas provocavit.

eaque damnat in libro *De Ministris Ecclesiae Instituendis*

XIII. Quanti autem fecerit concilia Lutherus ex multis perspicuum est. Primo quidem in libro *De Ministris Ecclesiae Instituendis ad Pragenses,* ubi omnes nervos intendit ad probandum quod in Novo Testamento sacerdos non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur, [81] sciens omnia sacra concilia sibi hac in re adversari: « Sacerdotium, inquit, [82] commune erit, ut nihil valeant adversus haec divina fulmina, innumera concilia, aeterna consuetudo, universi mundi multitudo; nec habent papistae quod his opponant nisi Patres, concilia, consuetudinem ». Quam nihili facit hic Lutherus innumera concilia!

77) *Cf.* Mt 7, 24-27. 78) Io 16, 13. Vulg.: *Docebit.* 79) Cf. *Assert. Art. 29*, W. L. t. 2, f. 108b-109a; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 88a; *Defensio Verborum*, etc. ibid. t. 7, f. 380a; *Corpus Reform.* vol. 12, col. 1018-1022, apud L. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 5, cp. 1, pag. 48 et 51. 80) Io. Roffensis *Assert. Lutheranae Confutatio*, f. 268-273b; *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 473a. 81) W. L. t. 2, f. 364b-395a. 82) Ibid. f. 395b.

Sane quoniam ipse, magistro satana, melius intellexit divina fulmina Scripturarum quam concilia innumera.

et in libro Adversus Regem Angliae.

In libro *Adversus Regem Angliae* de conciliis ita loquitur: [83] « Tu vide, lector, cuius spiritus fuerint sacrilega illa et abominanda concilia, quae adversus tanta totius Scripturae fulmina apertissimasque sententias ausa sunt sibi Pontificibus arrogare ius iudicandi et imperandi et condendi canones. Absque dubio satanae fuerunt istae cogitationes ».

Speciatim autem invehitur in concilium Nicaenum,

Et de concilio Nicaeno ita pronunciat: [84] « Non nego ius rapti iuris tyrannidem ultra annos mille durasse; nam in ipso concilio Nicaeno omnium optimo iam tum incipiebant leges condere et ius istud sibi vindicare, atque ab eo tempore invaluit. At hic vides sacrilegium et impietatem esse adversus evidentissimas et invictas Scripturas Dei. Quare si tantus error et tale sacrilegium in illo concilio regnavit adversus veritatem Dei tanta longitudine temporis, tota multitudine », etc. Ut mittam quod in libro, quem inscripsit *Confutatio Rationis Latomianae,* accusat [85] Patres concilii Nicaeni quod receperint vocem h o m o u s i o n, quae in Scriptura non reperitur, et indulgendum esse Patribus illis condonandumque hunc errorem.

in libris: Confutatio Rationis Latomianae

et De Conciliis.

In libro *De Conciliis* in parte prima libri ait [86] se non posse intelligere Spiritum Sanctum fuisse in concilio Nicaeno, cum concilium in uno canone statuat non esse ad sacerdotium aptos eos qui seipsos castrassent, et in alio prohibet sacerdotes ne habeant uxores. Affirmat etiam [87] errasse concilium in canone, quo statuit Paulinianos haereticos esse rebaptizandos, et praeterea in canone quo visum est damnare militiam.

Quin etiam ausus fuit dicere, quod nec Apostolorum concilium fuit sine errore.

Et ita L u t h e r u s statuit omnia concilia errare potuisse et errasse. Sane ita est; omnes homines, omnes Sancti Patres, concilia omnia errarunt; solus Lutherus sine errore fuit, adeo ut ausus etiam [dicere] fuerit concilium Apostolorum non fuisse sine errore. Ait enim in *Assertione Articuli 29* [88] quod in concilio Ierosolymitano Iacobus mutavit Petri sententiam. [89] Et in libro *De Conciliis* multa dicit [90] de lege, qua ab Apostolis cautum fuit in concilio, ut gentes ad fidem conversae

83) Ibid. f. 371^a. 84) Ibid. 85) Ibid. f. 252. 86) W. G. t. 7, f. 472^b.
87) Ibid. f. 473^a. 88) W. L. t. 2, f. 114^b. Advertat lector ad errorem in numeratione foliorum. 89) Cf. Act 15, 13-21. 90) W. G. t. 7, f. 468^b.

Igitur, cum nulla sit infallibilis auctoritas conciliorum apud Lutheranos, articulus de Trinitate solido fundamento caret.

abstinerent a fornicatione, *ab immolatis simulacrorum, suffocato et sanguine*, [91] aitque legem istam non posse defendi nisi dicatur concilium minime obligare. Ita Lutherus concilia omnia pessumdedit, [92] nec concilio Apostolorum pepercit.

Si itaque tam facili negotio cuiusque concilii auctoritas tanquam humana negari potest; profecto et articulus divinae Trinitatis negari poterit, cum in *Confessione* nonnisi auctoritate concilii Nicaeni nitatur. Nec possunt Lutherani articulum hunc ex Scripturis manifestis probare, cum Lutherus ex suis bibliis expunxerit [93] illud Ioannis: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.* Quare necesse est ut apud Lutheranos vel nulla sit Trinitatis fides, vel quam infirma, quam a novis Arianis et Trinitariis, qui concilia nihili faciunt, tueri nullo modo possint. Expugnato autem hoc articulo, qui aliorum fundamentum est, totius fidei aedificium in terram corruit; et in hunc quidem modum *Augustana Confessio* ad perdendam prorsus omnem fidem non minime valet, ad hoc enim viam planam brevemque et perquam facilem omnibus stravit.

In *Confessione Augustana* nonnulla inepte probantur per rationem negativam, ut in articulo de cultu Sanctorum.

XIV. Nonnulla praeterea sunt in *Augustana Confessione*, quae nonnisi ineptissime probantur, nunc quidem per auctoritatem, ut aiunt, negativam, quod, ut dialectici norunt, ineptissimum est et insulsissimum argumentandi genus. Ita in articulo vigesimo primo de cultu Sanctorum: [94] « Scriptura non docet invocare Sanctos aut auxilium petere a Sanctis ». Miror cur etiam non prohibeant ne Christum *in spiritu et veritate* adoremus; [95] neque enim alicubi Scriptura ita praecipit, ut Christum adoremus, nam Pater ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* [96] Non dixit: Ipsum adorate. Sed pulcherrimum est quod sequitur: [97] « Quia unum Christum nobis proponit mediatorem ». Sed dico: Ergone omnis, qui orat pro alio, mediator ipsius est? Omnes fideles, qui pro invicem orant, erunt mediatores? Et Paulus, qui non raro seipsum commendavit orationibus fidelium, [98] multos voluit habere praeter unum Christum mediatores?

91) Act 15, 29. Vulg.: *Et sanguine et suffocato.* 92) Ms.: *Pessumdavit.* 93) 1 Io 5, 7. 94) I. L. t. 4, f. 164^b. 95) Io 4, 23. 96) Mt 17, 5. 97) I. L. t. 4, f. 164^b. 98) Cf. Col 4, 3; 1 Thess 5, 25; 2 Thess 3, 1; Hebr 13, 18.

XV. Aliquando *Confessio* ista Scripturas ineptissime adducit, veluti in articulo quarto :[99] « Docent quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificantur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso, *Romanis* 3 et 4 ». Nec adducit ullum verbum Pauli ex tertio aut ex quarto capite, ubi Paulus dicat quod hanc fidem, qua quis credit se in gratiam recipi, Deus imputat pro iustitia coram ipso.

Aliquando inepte Scriptura adducitur, ut in articulo de iustificatione;

Et in articulo sexto :[100] « Quod fides quidem debet bonos fructus facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per eam iustificationem coram Deo ; nam, inquit, remissio peccatorum et iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur vox Christi: *Cum feceritis haec omnia..., dicite : Servi inutiles sumus* ». Mirabilis sane probatio ! Christus ait : *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus;*[101] ergo non est confidendum in bonis operibus ad iustificationem; ergo non est verum quod Paulus ait quod *factores legis iustificabuntur ;*[102] et : *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus... iustus iudex!*[103] Cum tamen Dominus ibi non loquatur de operibus bonis in genere, sed de operibus bonis praeceptis.

et in articulo de iustificatione sine bonis operibus, ubi citantur verba Christi: *Cum feceritis*, etc.; quae non recte exponuntur.

Docet enim quod homo, etiam si omnia divina praecepta servaverit, gloriari non debet veluti de praestanti sanctitate et perfectione virtutum, sicut servus qui in cultu domini sui nonnisi, quod ex necessitate obligationis incumbit, operatur, non potest apud dominum praestantem aliquam vel gratiam vel laudem praeter mercedem ex conventione mereri, quam utique mereretur, si ex animi affectu supra debitum in domini sui gratiam multa praestaret. Ostendit Dominus quod quisquis tantum divinorum praeceptorum observatione contentus est, non est praestanti laude dignus, quia facit, sed vituperatione dignus esset, nisi faceret ; non enim laude digna sunt, nisi quae egregia, praestantia, singularia videntur. Solent domini ob laborem praestitum omnibus servis dare mercedem ex pacto debitam ; at vero non omnibus ex liberalitate et gratia in signum specialis favoris dare aliquid supra mercedem, sed tantum melioribus et diligentioribus. Et

Ibi enim docet Dominus quod homo, etiamsi omnia praecepta servet, non debet gloriari, nec magna laude dignus est, qui praeceptorum observatione contentus est.

99) I. L. t. 4, f. 162ᵃ. 100) Ibid. f. 162ᵇ. 101) Lc 17, 10. 102) Rom 2, 13. 103) 2 Tim 4, 8.

revera servi inutiles, homines nauci nihilique aestimantur, qui nonnisi praecepta servitia faciunt; nec tamen mercede privantur, sed cumulum ac veluti corollarium mercedis non recipiunt.

Igitur sententia Christi maxime distat a doctrina Confessionis Augustanae.

Ita autem intellecta Christi sententia, manifestum est quod toto coelo distat a *Confessionis* sententia, quod non sit confidendum in operibus, quae Deus ipse et Christus per Spiritum suum operantur in nobis ad iustificationem; nam *qui facit iustitiam iustus est, sicut et ille,* Deus, *iustus est;*[104] et: *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*[105]

Inepte etiam adducitur ibi S. Ambrosius, nam textus est dubius;

XVI. In eodem articulo alia per transennam inspicienda nobis probatio est; sequitur enim et ait:[106] « Idem docent et veteres scriptores ecclesiastici ». Quinam, quaeso? Unum tantum adducit, dicens: « Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum ». Unum tantum adducit Ambrosium in *Commentario Epistolae ad Romanos,*[107] super illud: *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*[108] Est autem Ambrosius probatissimae fidei auctor; sed an *Commentarii* illi *in Paulum* ipsius sint a viris doctis dubitatur.[109]

et si esset certus, Ambrosii sententia manifesta apparet ex Commentariis in Epist. ad Hebraeos, ubi docet quod magna quidem res est fides, sed sola non sufficit,

cum necessaria sit etiam vita condigna.

Sed, ut demus esse Ambrosii, ex alio loco in iisdem *Commentariis in Epistolam ad Hebraeos,* ad illud: *Festinemus ergo ingredi in illam requiem,*[110] patet non eam fuisse Ambrosii sententiam, quam affingit ei *Confessio;* ait enim:[111] « Magna quidem res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile alicui, sicut dictum est: *Sine fide... impossibile est placere Deo.*[112] Sed sola fides non sufficit, operari per dilectionem[113] fidem necessarium [est] et conversari digne Deo », et praeterea: « *Festinemus,* inquit, quoniam non sufficit fides; sed debet addi et vita fidei condigna, et multum studium debet adhiberi, ne fides sit otiosa ». Quare manifestum hinc est quod Ambrosius non loquitur de fide absque omnibus operibus bonis, sed de fide sine operibus legis. Sed hoc hic per transennam; alibi Deo dante copiosius.[114]

104) 1 Io 3, 7. 105) Apc 22, 11. 106) I. L. t. 4, f. 162ᵃ. 107) P. L. 17, 82. 108) Rom 4, 5. 109) Cf. O. Bardenhewer op. cit. vol. 2, pag. 252. 110) 4, 11. 111) T. 3, pag. 489, Romae 1579. 112) Hebr 11, 6. 113) Cf. Gal 5, 6. 114) Cf. 3 pars proxime edenda.

XVII. Praeter ineptas autem et futiles probationes non desunt in *Augustana Confessione* mendacia, quale est illud :[115] « Falso accusantur ecclesiae nostrae quod Missam aboleant ; retinetur enim Missa apud nos, et summa reverentia celebratur ; servantur et usitatae ceremoniae fere omnes ». In capite sequenti, ubi agitur de Confessione peccatorum, aliud habetur huic simile ; ait enim :[116] « Confessio in ecclesiis apud nos non est abolita ; non enim solet porrigi Corpus Domini nisi ante exploratis et absolutis ». Ita sane Missa et Confessio Catholicorum apud Lutheranos non sunt abolitae, sed sicut abolita non sunt sacrificia mosaicae legis. Nec desunt his similia mendacia.

In *Confessione Augustana* inveniuntur etiam mendacia, quando asseritur quod Missa et Confessio non sunt abolitae;

Sed insigne illud est, quod in conclusione prioris partis de articulis doctrinae fidei habetur, dum dicitur :[117] « Haec fere summa doctrinae est apud nos, in qua cerni potest nihil inesse quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, vel ab Ecclesia Romana quatenus ex scriptoribus nota est ». Quod etiam in peroratione posterioris partis replicatur :[118] « Tantum recitata sunt ea, quae videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit in doctrina ac ceremoniis apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut Ecclesiam catholicam, quia manifestum est nos diligentissime cavisse, ne qua nova et impia dogmata in ecclesias nostras serperent ». Sane ita est, nihil prorsus *Augustana Confessio* continet contra catholicam et Romanam Ecclesiam, et nulla nova dogmata evangelicae ecclesiae receperunt ! Sed si haec mendacia non sunt, nescio quidnam poterit iure appellari mendacium.

et praesertim in peroratione prioris partis, ubi dicitur quod nihil in *Confessione* reperitur contra Scripturam et Ecclesiam Romanam.

Atque in hunc quidem modum *Augustana Confessio* quasi Pandorae pyxis, cui omne malorum genus inerat[119] et quasi vas illud aureum in manu apocalypticae Babylonis plenum abominationum[120] veluti synopsis est haeresum, errorum, falsitatum, mendaciorum et ineptiarum longe insulsissimarum ; ita ut confusio babylonica multo verius dici possit quam *Confessio Augustana*.

Ergo *Confessio Augustana* est synopsis haeresum et mendaciorum.

XVIII. Nunc nonnihil dicendum de mutatione et quam vere P o l y c a r p u s noster eam incommutatam dixerit, sive impermuta-

Nunc dicendum de mu-

115) I. L. t. 4, f. 165ª. 116) Ibid. f. 166ª. 117) Ibid. f. 164ª. 118) Ibid. f. 170ª.
119) In mythologia confingitur Pandoram a Iove urna donatam fuisse, quae ab Epimetheo, ipsius sponso, aperta fuit, statimque omnia mala, quibus terra exundat, erupisse. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Pandora* nomine. 120) Cf. Apc 17, 4.

tatione Confessionis Augustanae.

tam. Sed forte per antiphrasim impermutatam dixit, alioquin longe notissimum est quam saepe fuerit mutata, variata, cocta, recocta, cusaque atque recusa.

Et primum quidem editio an. 1540 amplior est ea, quae facta fuit an. 1530.

Nam, ut mittam quod *Augustana Confessio,* quae edita fuit anno 1540 duplo et amplius maior est ea, quae edita fuit anno 1530 et in Augustanis comitiis Carolo V exhibita fuit, ut manifestum est ex duobus exemplaribus, quae in *Harmonia Augustanae Confessionis* Andreae Fabricii Leodii habentur,[121] de multiplici variatione theologi Saxonici plurimum conquesti fuerunt in *Colloquio Altemburgensi,* dicentes :[122] « Non possunt multi pii fasciculum illum librorum Philippi, quem corpus doctrinae appellat, sine discrimine pro norma doctrinae accipere..., primo quia priora exemplaria non habent veram et germanam *Confessionem Augustanam.* Substituta est enim alia quaedam, quae neque scripta neque exhibita est Augustae, neque a statibus *Augustanae Confessionis* unquam approbata. Posteriora vero exemplaria confundunt ipsa collatione praepostera veram cum falsa. Non enim habuit auctor potestatem corrigendi quod alii suum fecerint subscriptione et exhibitione... Praeterea Philippus adeo subinde mutare ausus est *Confessionem,* ut tandem Sacramentariis fenestram aperuerit, qua in eam irrepserunt ». Indicant theologi isti statim a principio corruptam fuisse *Augustanam Confessionem,* dum dicunt quod priora exemplaria non habent veram et germanam *Confessionem Augustanam,* substituta enim est, etc.

Saxonici theologi conqueruntur quod priora exemplaria non haberent genuinam *Confessionem Augustanam.*

In *Praefatione* perantiqui exemplaris dicitur, quod depravata fuit a typographo,

Habeo ego apud me perantiquum exemplar *Confessionis* istius impressum Wittembergae anno 1530, in cuius *Praefatione ad Lectorem* sic dicitur :[123] « Haec Confessio prorsus ignorantibus principibus, qui eam Caesari exhibuerunt, ab avaro aliquo typographo ante duos menses[124] publicata est, et ita excusa est, ut multis in locis appareat de industria depravatam esse. Cum autem principes, nec si velint, queant eam nunc e manibus hominum extorquere, et tamen periculum sit ne mendae illae primae editionis pariant novas calumnias, necesse

121) Pag. 1 sqq. Coloniae 1587. 122) *Colloquium Altemburgense,* f. 402b-403a, Ienae 1570. 123) Non invenimus editionem an. 1530 ab Auctore adhibitam, sed consulere potuimus reimpressionem an. 1579 factam, cuius titulus est: *Confessio Fidei Exhibita Invictissimo Imperatori Carolo V in Comitiis Augustae 1530,* edita vero an. 1531; nunc ex vero exemplari impressa sine loco 1579. *Ad Lectores,* f. 1. *Praefatio* ab Auctore citata invenitur etiam inter *Opera Melanchthonis, Corpus Reform.* vol. 26, col. 259-260. 124) Editio nostra habet: *Ante semestre,* loco: *Ante duos menses.*

fuit recognitam et emendatam denuo edere, quia non solum ad existimationem principum, sed etiam ad religionem pertinet praestare ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emittimus probe et diligenter descriptam *Confessionem* ex exemplari bonae fidei ». Sed homo iste, qui in *Praefatione* ista ita loquitur, voluit latere in tenebris, anonymus est, nec appositum est nomen typographi. *Qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.*[125]

sed novus editor anonymus manere voluit.

Aiunt praeterea Saxonici theologi quod non modo priora, verum etiam posteriora exemplaria minime habeant veram germanamque *Confessionem*, quoniam praepostera collatione confundunt veram cum falsa. Quare ab ipsis Lutheranorum coryphaeis Altemburgi in plena synodo longissima et molestissima disputatio habita est de *Augustana Confessione*, quaenam sit vera et germana, his unam, illis aliam praeferentibus. Et tandem hac veluti coronide concluserunt:[126] « Tam frequentem mutationem *Confessionis* scandalum obiecisse infirmioribus, ut dubitarent de fundamentis religionis, et sine dubio multos absterruisse ne suae isti *Confessioni* se adiungerent ».

Theologi Saxonici item dicunt non tantum priora, sed etiam posteriora exemplaria corrupta fuisse.

G e o r g i u s M y l i u s in sua *Explicatione Confessionis Augustanae, Praeludio Tertio* agnoscit variam mutationem *Confessionis*, dicens:[127] « Vix usa decennio libertatis suae privilegio haec nostra *Confessio* servitutem pati indignam coepit. Nam, cum iuri dicata publico iudicio privato quovis longe debuerit esse superior, liber legis[128] virgulam huius censoriam experta varie mutata fuit. Coepit haec licentia anno ipso post promulgationem primam decimo, cui quamvis anno statim sequente proximo frenum iniectum est in Ratisbonensi colloquio, ruptis tamen postea iterum repagulis, sic invaluit ut nulla fere tandem nova eius editio in lucem prodiret, prodiit autem non infrequens, quin novae aliquid mutationis attulerit ».

G. Mylius de hac mutatione vehementer conqueritur.

Et postea:[129] « Ex his mutationibus, inquit, id secutum fuit, ut pessime a pontificiis audiret nostrarum ecclesiarum *Confessio*, quasi quae nihil certi haberet et in singulos annos esset mutabilis ». Quare ipse in singulis articulis, qui utcumque mutati sunt, prius ponit verba

quia ex hac mutatione *Confessio Augustana* male audivit

125) Io 3, 20. 126) Op. cit. f. 402ᵃ sqq.; cf. etiam f. 206ᵇ. 127) Op. cit. *Prolegomena*, cp. 3 *De Mutatione Confessionis*, f. 5ᵇ-6ᵃ. 128) In textu G. Mylii adiungitur: « 4 Reg. 23; 2 Paralip. 30, Liber legis ». 129) Ibid. f. 6ᵃ.

apud pontificios.

prototypi, deinde mutationem, maxime vero posterioris editionis, quae facta fuit anno 1540, sicut in *Harmonia Augustanae Confessionis* Andreas Fabricius Leodius [ait].[130]

Et non tantum in locutionibus, sed in rebus mutatio facta fuit, uti testatur Lobecchius.

Et, quoniam non desunt qui dicant mutationem factam esse tantum in locutionibus, non in rebus ipsis, David Lobecchius in suis *Disputationibus Theologicis super Articulis Augustanae Confessionis* eos redarguens, dicit[131] quod id responso vix dignum est, diversum enim lippis et tonsoribus [est].[132] Quod probat ex pluribus articulis quarto et decimo et decimo octavo, subditque :[133] « Hinc pessime a pontificiis *Confessio* nostra audivit, quasi quae nihil certi haberet, utpote cuius nulla fere nova editio in lucem prodiret, quae non aliquid novae mutationis adferret. Hinc, inquit, calumniae illae sunt secutae *Augustanae Confessionis* socios et patronos de sua confessione adeo esse incertos eamque toties mutasse, ut nec principes nec theologi scirent quidnam genuinum et imperatori Carolo V exhibitum *Augustanae Confessionis* exemplar esset ».

Harum mutationum auctor fuit Melanchthon; ideo a Luthero obiurgatus, ut referunt Mylius et Lobecchius.

XIX. Tantarum autem mutationum *Confessionis* istius auctorem omnes Philippum Melanchthonem faciunt, inscio Luthero; quin habet Mylius loco superius indicato quod Philippus propter *Confessionis* mutationem a Luthero graviter fuerit obiurgatus: « Lutherus, inquit,[134] aliquoties ipsum Philippum compellavit, ut relinqueret *Confessionem* invariatam, abstineret a mutatione, imo etiam hoc nomine cum ipso expostulavit, dicens : Quis hoc tibi mandavit ? » Probat autem hoc Mylius[135] ex instructione electoris Saxoniae *ad D. Gregorium Pontanum*, quae in Saxonicis archivis extat, quaque iussus fuit Pontanus, ut nomine electoris Philippum coram obiurgaret propter mutatam *Confessionem.* Lobecchius autem ex historia *Confessionis Augustanae* affirmat[136] quod Lutherus acriter reprehenderit, et saepe quidem factum mutationis et eo nomine cum Philippo expostulaverit.

Ceterum Melanchthon

Quam verum autem sit, ipsi viderint ; extat enim epistola Philippi Melanchthonis *ad Lutherum* die 22 Maii anni 1530, in

130) Op. cit. *Ad Christianum Lectorem Praemonitio.* Cf. etiam not. 121. 131) Op. cit. cp. 2 *De Mutatione*, pag. 7. 132) Hor. *Satir.* lib. 1, *Satir.* 7, vr. 3. 133) Ibid. pag. 7-8. 134) Op. cit. f. 6ᵇ. 135) Ibid. 136) Op. cit. cp. 2 *De Mutatione*, pag. 11.

qua sic loquitur:[137] « Quotidie multa mutamus; articuli enim fidei subinde mutandi sunt atque ad occasionem accommodandi ». Dixit, et factum est; saepe mutavit articulos fidei *Augustanae Confessionis*, ut esset lutheranae ecclesiae fides versatilis, quovis cothurno longe versatilior. Fides enim Philippo et suis non una est, certa et infallibilis veritas, quae mutari nullo modo potest, sed haeresis est quae instar Protei[138] et Vertumni[139] in mille mutatur formas. Fides apostolica semper eadem fuit, nunquam vel minimum quid in aliquo articulo mutata.

ad Lutherum scripserat an. 1530: Quotidie multa mutamus; articuli, ad occasionem mutandi sunt;

Visus est autem Philippus admodum studuisse, ut *Augustana Confessio* quasi regula quaedam Lesbia[140] ad omnes haereses sese accommodare posset, essetque omnium quidem non modo medicamentorum, sed venenorum narthecium. Exemplum huius rei illustre est in articulo decimo de Coena Domini, nam in prototypo habetur:[141] « De Coena Domini docent quod Corpus et Sanguis Domini vere adsint et distribuantur vescentibus in Coena Domini, et improbant secus docentes ». Et hic quidem articulus in *Germanica Confessione* habetur paulo expressior in hunc modum:[142] « De Coena Domini sic docetur, quod verum Corpus et Sanguis Christi veraciter sub specie panis et vini in Coena praesens sit, et ibi distribuatur ac sumatur; idcirco et reiicitur doctrina contraria ». At vero *Confessio* mutata et variata articulum istum sic habet:[143] « De Coena Domini docent quod cum pane et vino exhibeantur Corpus et Sanguis Christi vescentibus in Coena Domini ». Ubi perspicuum est quod, ut sese accommodaret Sacramentariis, dempta sunt illa verba ex *Confessione*, quod « Corpus et Sanguis vere adsint », et illa: « Improbant secus docentes ». Nam quod in Coena Domini in pane et vino exhibeantur Corpus et Sanguis Christi etiam Sacramentarii docent, sed in figura et imagine tantum.[144] Ita in articulis longe gravissimis mutata et variata reperitur *Au-*

studuitque *Augustanam Confessionem* ad omnes haereses accommodare, ut patet ex articulo de Coena Domini, qui alius est in prototypo, alius in *Confessione Germanica*, alius in *Confessione variata*.

137) *Corpus Reform.* vol. 2, col. 60, an. 1530. Textus est in *Apologia*, ubi legitur: « Quotidie multa mutamus... Subinde enim mutandi sunt [articuli] atque ad occasionem accommodandi ».
138) Vates fuit praestantissimus, qui ad vitanda responsa se in varias formas vertebat, modo animalium, modo arborum, etc., prout opportunius sibi videbatur. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Proteus.*
139) Deus originis Etruscae, sed cultus etiam a Sabinis atque Latinis, qui credebatur in omnigenas formas se vertere, ut de Proteo Graeci sentiebant. Cf. ibid. sub *Vertumnus* nomine.
140) Cf. *Dissert. 4*, sect. 2, not. 101, lib. 1 huius vol.
141) I. L. t. 4, f. 162ᵇ.
142) *Corpus Reform.* vol. 26, col. 559-560.
143) Phil. Melanchthon Op. Omn. part. 4, f. 40ᵇ.
144) *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. W. L. t. 7, f. 381ᵃ sqq.

gustana Confessio. Et tamen Polycarpus audet eam non modo puram, verum etiam immutatam dicere; sed sane ita pura sicut et immutata est.

Dicunt immutatam *Confessionem* eam, quae Carolo V exhibita fuit; sed, si certa res erat, cur tot controversiae?

XX. Dicunt autem immutatam *Confessionem* illam, quae in prototypo exhibita fuit Carolo V a principibus; ad hanc enim omnes tanquam ad sacram ancoram confugere et ad eam solam provocare videntur. Sed nugae sunt longe nugacissimae. Si enim extabat ista vera et germana, pura, immota, incorrupta *Confessio;* unde illa tam cruda controversia et sanguinaria digladiatio inter Saxonicos theologos in colloquio Altemburgensi de vera et germana *Confessione Augustana?* [145] Ubinam, quaeso, tunc erat istud tam certum et tam indubitatae fidei prototypum? Quid opus fuit ut Lutheranorum coryphaei de re tam certa et indubitata longissima et molestissima concertarent disputione? Si tam certa res esset, non erat sane quod dubitarent quaenam esset vera puraque *Augustana Confessio.* Et quomodo ex uno tam solido fidei prototypo tam variae confessiones prodierunt, ut alia *Confessio* esset Augustae, alia Norimbergae, alia Ratisbonae, alia Wesaliae, alia Argentorati, alia Wittembergae, alia Ienae? [146] Sunt autem varietates longe notissimae, multis semper verbis et particulis inflexis, ablatis, additis, immutatis et novo sensu per quam alieno indutis.

Quomodo ex isto prototypo tot *Confessiones* exortae sunt?

Ipsa *Germanica Confessio* inter Lutheri opera existens non parum discrepat a prototypo.

Inter opera Lutheri extat *Augustana Confessio Germanica,* [147] quae in multis discrepat ab ea, quam iuxta prototypum indubitatae fidei editam dicunt, praesertim vero in articulo quarto de iustificatione, [148] in articulo duodecimo de Poenitentia [149] et aliis. [150] Inter articulum vigesimum et vigesimum primum duo integra capita posita sunt: alterum de fide, et alterum de bonis operibus; [151] et in peroratione prioris partis, ubi dicitur: [152] « Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest nihil inesse quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, vel ab Ecclesia Romana », omissa est particula de Ecclesia Romana. [153] Ita *Augustanae Confessionis* multiplex mutatio, imo transmutatio et transformatio lippis etiam et tonsoribus notissima est.

145) *Colloquium Altemburgense,* f. 259-260. 146) Cf. *Corpus Reform.* vol. 26, col. 271 sqq. 147) I. G. t. 6, f. 387 sqq. ed. 1551. 148) Cf. *Corpus Reform.* vol. 26, col. 352-353. 149) Ibid. col. 359. 150) Ibid. col. 351-374. 151) Ibid. col. 365-371; Phil. Melanchthon Op. Omn. part. 4, f. 42^b-45^a. 152) I. L. t. 4, f. 164. 153) I. G. t. 6, f. 387 sqq.

XXI. Et tamen boni viri immutatam volunt, iactantque in Augustanis comitiis longe augustissimis non modo exhibitam, sed et probatam fuisse. Et Lutherum lego in epistola quadam *ad Expulsos Lipsienses Consolatoria* scripsisse,[154] quod doctrina ista Augustae coram Caesare confessa et agnita sit, quod in Scripturis sit fundata et quod ipsi adversarii coacti sint fateri quod per Sacram Scripturam confutari non queat.

Lutherani et Lutherus affirmant agnitam fuisse et probatam in Augustanis comitiis.

Quam verum autem sit, quod tam confidenter affirmant, non opus est pluribus demonstrare. Saxonici theologi in *Altemburgensi Colloquio* 22 Decembris palam asserunt,[155] quod invictissimo imperatori Carolo V *Augustana Confessio* ita displicuit, ut neque nomen illius audire aequo animo posset. Sed praeterea ad arguendum tantum mendacium extat *Elenchtica* in *Augustanam Confessionem* Caesaris et catholicorum principum *Censura.*[156] Et Lutherus ipse eo tempore scripsit epistolam *ad Cardinalem Archiepiscopum Moguntinum,*[157] in qua declarat *Psalmum: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?*[158] quasi Augustam convenissent principes adversus Christum et Evangelium eius.

Sed falsum est, ut patet ex assertione theologorum Saxonicorum in *Altemburgensi Colloquio*, ex *Elenchtica Censura in Confessionem Augustanam*; ex epistola Lutheri *ad Card. Moguntinum*;

Et manifestum est colloquium Augustae in comitiis institutum inter septem Catholicos et septem Lutheranos, qui delecti fuerunt, ut super contentiosis articulis inter se invicem benigne et amice tractarent, si quomodo possent concordiam invenire; et, ut Cochlaeus scribit in *Actis,*[159] primo die colloquii in undecim articulis *Confessionis* ex uno et viginti, qui ad fidem spectant, concordarunt, sequenti vero consessus die in aliis quattuor concorditer convenerunt, ita ut habuerint quindecim articulos concordis fidei, in tribus mansit ex parte discordia et tres alii ad posteriorem *Confessionis* partem de abusibus remissi fuerunt. Atque ita saepe usque ad comitiorum finem disputatum semper fuit, facta aliquando in publico consessu ad omnes principes ordinesque imperii relatione actorum in disputatione et colloquio. Et cum circa septem articulos de abusibus durius diutiusque laboratum fuerit, in nullo ad plenum concordia reperta fuit; convinci

et maxime ex historia Augustani colloquii;

in quo acriter disputatum semper fuit.

154) Trostbrieff *an die Christen von im aus Leitpzig Unschüldig Verjagt*, W. G. t. 12, f. 247a; Io. Cochlaeus op. cit. an. 1533, pag. 251. 155) Op. cit. f. 206b. 156) *Corpus Reform.* vol. 27, col. 5-40 latine, germanice 39-47. 157) Ein Brieff *an den Cardinal Erzbischoff zu Meinz*, W. G. t. 9, f. 435a-437b. 158) Ps 2, 1. 159) An. 1530, pag. 211-212.

potuerunt Lutherani et confundi a Catholicis in illo colloquio, non autem persuaderi.

Imperator vero iussit, ut edita Lutheranorum *Confessio* a Catholicis confutaretur.

Sed tantum abest ut fuerit *Augustana Confessio* probata, ut fuerit validissime et verissime confutata reprobataque; Caesar enim, Lutheranis sine concordia discedentibus, cum omnibus aliis electoribus principibus et ordinibus imperii in publico recessu firmiter conclusit, ut omnes in sua prisca maiorum suorum religione et fide permanerent. Tunc, ut subiungit Cochlaeus, [160] Lutheranorum *Confessio* per typographos divulgata fuit, et antequam solveretur principum conventus Augustae[160a] typis excusa venit. Quare Caesar quoque theologis quibusdam commissum esse voluit, ut confutationem eius Augustae typographo alicui excudendam traderent. Quod si hoc probasse *Confessionem* istam dicendum est, etiam maxime reprobata quaeque dicenda erunt probata. Sed dicant et iudicent viri, quibus nonnihil est cordis, nec sunt, sicut apud Oseam legimus: *Ephraim factus est quasi columba seducta, non habens cor!* [161]

Praeter haereses etiam calumniae inveniuntur in *Augustana Confessione*;

XXII. Multa alia dicenda suppetunt de *Augustana* ista *Confessione* maxime quoad doctrinam pestilentem, quam tradit; nam praeter errores et haereses, praeter falsitates et mendacia, quae supra tantum attigimus, multas continet in Catholicos haud leves calumnias, multa blateramenta sane perquam virulenta. Demus rei istius illicem.

ut cum dicitur falso accusari Lutheranos, quod opera bona prohibeant;

In articulo vigesimo de bonis operibus habet: [162] « Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant ». Quasi vero ignota sit Lutheri doctrina quod « iustus in omni opere bono peccat »; quod « omne opus bonum, etiam optime factum, est suapte natura peccatum mortale, sed misericordia Dei veniale ». [163] Si igitur ex Lutheri doctrina omne opus bonum est suapte natura peccatum mortale, dignum iudicio Dei, morte aeterna; quomodo doctrina ista non prohibentur opera bona?

cum affirmatur apud Catholicos de iustitia fidei altum esse silentium;

Habet in eodem articulo quod apud Catholicos altissimum fuerit de iustitia fidei silentium, in concionibus tantum doctrinam operum versatam fuisse in ecclesiis. [164] Verissimum est de iustitia fidei lutheranae, hoc est, novitiae, fictitiae, commentitiae, haereticae altissi-

160) Ibid. pag. 216-217. 160a) Ms.: *Augustam.* 161) 7, 11. Vulg.: *Factus est Ephraim*, etc.
162) I. L. t. 4, f. 163b. 163) *Assert. Art. 32*, W. L. t. 2, f. 116a. 164) I. L. t. 4, f. 163b.

mum fuisse silentium; falsissimum autem de iustitia fidei catholicae, apostolicae, christianae, quae nondum exortam lutheranam fidem prorsus ignoravit.

cum dicitur Lutheranos falso accusari, quod Missam aboleant;

In articulo de Missa cum insigni mendacio coniuncta est insignis calumnia: [165] « Falso, inquit, accusantur ecclesiae nostrae, quod Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos, et summa reverentia celebratur, servantur et usitatae ceremoniae fere omnes ». O dignum regia corona mendacium! Itane Lutherani retinent Missam, prout ante Lutherum in ipsa etiam Saxonia et per universam Germaniam sicut et in toto christiano orbe celebrabatur? Dicant ipsimet ex publico facto et praxi ecclesiarum suarum. Scio habere Lutheranos in Saxonia umbram quandam Missae catholicae, sed vix umbra est.

quasi non esset notissimum quid Lutherus de hac re saepissime docuerit.

Quid autem Lutherus, cuius doctrinam tenent, de Missa catholica senserit, quidve docuerit, manifestum est ex libro *De Abroganda Missa Privata*, [166] in libro *De Abominatione Canonis Missae*, [167] in libro *De Confessione Coenae Domini adversus Zwinglium et Oecolampadium*, [168] ubi inter cetera ait quod super omnes abominationes tenebat Missam et quod nihil magis dolebat quam quod tam sanctus monachus fuerit et tot Missas celebraverit. [169] Tandem in libro *De Missa Angulari et Unctione Sacerdotum*, in quo non erubuit dicere se a diabolo edoctum fuisse, quod Missa sit maxima idololatria, [170] mirisque modis Lutherus summaque impietate Missam blasphemavit.

Alia mendacia continentur in *Augustana Confessione*; ut de communione sub utraque specie, etc.

Multa sunt alia in *Confessione* ista mendacia, ut puta quod communio sub altera specie sit contra mandatum Dei, contra Scripturam, contra veteres canones et contra exemplum Ecclesiae; [171] quod caelibatus sacerdotum sit contra mandatum Dei, et prohibere sacerdotibus nuptias sit doctrina daemoniorum; [172] item quod in articulo de Confessione ait: [173] « Confessio in ecclesiis apud nos non est prohibita; non enim solet porrigi Corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis ». Sane perquam verum est non esse abolitam apud Lutheranos catholicam peccatorum Confessionem. O hominum impudentiam! In articulo de ciborum discrimine, quod prohibitio ci-

165) Ibid. f. 165ᵇ. 166) W. L. t. 2, f. 260ᵃ sqq. 167) Ibid. f. 419ᵇ sqq. 168) Ibid. t. 7, f. 384ᵇ sqq. 169) Ibid. et W. G. t. 2, f. 206ᵇ. 170) W. L. t. 2, f. 228-229. 171) I. L. t. 4, f. 164ᵇ. 172) Ibid. f. 165ᵃ. 173) W. G. t. 9, f. 313ᵇ, fere ad verbum.

borum sit doctrina daemoniorum, quia pugnat cum Evangelio ; [174] et tandem in articulo de votis monasticis tam multa sunt mendacia cum virulentis calumniis coniuncta, [175] ut referre pigeat taedeatque.

Conclusio.

Nunc, ut finiam, quis sanae mentis homo existimabit *Confessionem* istam tot mendaciis consarcinatam posse esse regulam veritatis in doctrina fidei ?

DISSERTATIO SECUNDA

DE AUGUSTANAE CONFESSIONIS APOLOGIA A PHILIPPO MELANCHTHONE PRO EA ADVERSUS CATHOLICOS ASSERENDA NON MINIMIS IMPOSTURIS FABRICATA [1]

Agendum nunc de *Apologia Confessionis Augustanae* Ph. Melanchthonis.

I. Quoniam una cum *Augustana Confessione* coniuncta est, et a Lutheranis omnibus et habetur iugiter prae manibus, et legitur Philippi Melanchthonis *Apologia;* nonnullius operae pretium esse duximus de ipsa etiam *Apologia* nonnihil dicere, haec enim Lutheranis videtur esse *turris David..., quae aedificata est cum propugnaculis,* [2] tutissimum et securissimum *Augustanae Confessionis* praesidium.

Voluit Deus ut Ecclesia haberet semper optimos defensores.

Tales fuerunt Stephanus, Paulus, etc.

Voluit Deus ut vera fides semper optimos habuerit defensores, sicut in *Cantico Canticorum* sub eleganti metaphora legimus : *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladium et ad bella doctissimi.* [3] S. Stephanus invictissimus fuit christianae fidei adversus Iudaeos Ierosolymis propugnator. [4] Post ipsius autem martyrium vocavit Christus Paulum, [5] et Stephani spiritu replevit ad propugnandam ubique *gladio spiritus, quod est verbum Dei,* [6] sanctissimam Christi fidem. Post Apostolos Iustinus martyr *Apologiam Christianae Fidei* edidit, [7] Tertullianus *Apologeticum,* [8] librum sane aureum ; et ita semper omnibus saeculis

174) I. L. t. 4, f. 166b-167a. 175) Ibid. f. 167b-168.

1) Cod. 2, f. 357a-364b. 2) Ct 4, 4. 3) Ibid. 3, 7. Vulg: *Gladios.* 4) Cf. Act 6, 8 sqq. 5) Cf. ibid. 9, 1-22. 6) Eph 6, 17. Vulg.: *Gladium.* 7) P. G. 6, 327 sqq. 8) P. L. 1, 258 sqq.

fuerunt in Ecclesia Dei homines sane fortissimi et ad huiuscemodi bella doctissimi. Sed quoniam haeretici sunt Catholicorum simiae, ecce tibi *Augustanae Confessionis Apologiam*, a praestantissimo scilicet theologo Philippo Melanchthone fabrefactam.[9]

Lutherana secta habuit Melanchthonem,

II. Hic homo, qui tandem, ut fama notum est, sicut a catholica Ecclesia ad Lutheri partes transivit, iuvenis cum esset, ita senex a Luthero ad Calvini castra transfugit,[10] cum *Augustanae Confessionis*, veluti Pandorae[11] operosissimus paranymphus, postquam eam novo veluti stybio lenocinatam et purpurissa fucatam rethoricando fecerat mundo commendatiorem; suscepit eius patrocinium et in defensionem novi symboli novae fidei lutheranae librum apologeticum composuit, et in lucem dedit, sane dignissimum qui una cum ipsa *Confessione* Vulcano traderetur emendandus,[12] tantis plenus est erroribus atque haeresibus, sed et mirabili quadam theologia. Nam accidit quasi miraculum, ut grammateus homo, sine theologia theologus, apologiam theologicam scriberet;[13] non enim sine miraculo asina Balaam locuta lingua humana fuit.[14] Nunc autem purus grammaticus lingua theologica locutus invenitur. Est autem non multo aptior criticus litterator et grammatistes ad altissima sacrosanctae theologiae pertractanda mysteria quam rude animal ad lyram.[15]

qui *Augustanae Confessionis Apologiam* scripsit,

erroribus plenam; cum Melanchthon grammaticus fuerit

Testatur autem Lutherus in *Praefatione* primi tomi Operum suorum[16] vocatum fuisse Philippum Melanchthonem a Friderico duce Saxoniae Wittembergam ad docendas litteras graecas. Non negamus hominem fuisse graece et latine doctum, sed humanis tantum non divinis litteris imbutum, nec theologiae nec philosophiae studiis operam, ut par est, navasse, sed e grammaticorum pulvere in theologicam cathedram se recepisse. Mirabile dictu! Heri gramma-

repente theologus factus;

9) Ms.: *Fabrefacta*. 10) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 19, pag. 212. 11) Cf. not. 3, *Dissert. 1*, sect. 1 huius libri. 12) Vulcanus, deus ignis, Venerem in uxorem duxit. Quam, cum aliquando una cum Marte in adulterio deprehendisset, ambos retibus et invisibilibus catenis ita colligavit, ut neuter abire posset, donec ab omnibus diis et deabus visi et derisi essent. Ita Melanchthon, qui primam *Confessionem Augustanam* novo stylo concinnatam adulteravit, eadem poena dignus censetur. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Vulcanus* nomine. 13) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 1, pag. 30. 14) Cf. Nm 22, 28-30. 15) Hoc proverbio notantur ii, qui se scire dicunt et tractant, quae non intelligunt, vel ea ad quae sunt natura ipsa impediti. Cf. P. Manuccii *Adagia*, col. 245. 1448. 16) W. L. t. 1, f. III*.

ticus, hodie theologus admirandus, ut omnes mirari potuerint, dicentes: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?*[17]

more omnium haereticorum.

Sed propria est haereticorum ἀταξία,[18] sicut Tertullianus in *Praescriptionibus adversus Haereticos* scribit, dicens:[19] «Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni quam edocti», hoc est, priusquam edocti et instructi fuerint, sunt perfecti, sua ipsorum opinione, divinarum scientiarum magistri. Videmus hoc in dies, et obstupescimus, quam multi apud novos evangelicos etiam ex cerdonibus, ex sutoribus statim in theologos, in doctores et magistros fidei, in praedicantes mirabili metamorphosi, qui e suggestis et pulpitis ad populos evangelium crepant, sed maxime omnium in Philippo Melanchthone, Lutheri parastata. Tam subitanea ista transformatio ex grammatico in summum theologum mirabilis fuit!

Lutherus laudat Melanchthonis opera,

Lutherus in *Praefatione* citata socium facit laboris sui in theologia, et subiungit, dicens[20] quod «quid operatus sit Dominus per hoc organum non in litteris tantum, sed etiam in theologia, satis testantur eius opera». Quae quidem opera suis etiam operibus Lutherus in eadem *Praefatione* visus est praeferre, dicens:[21] «Multum diuque restiti illis, qui meos libros, seu verius confusiones mearum lucubrationum, voluerunt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis novitatibus obrui et lectorem a legendis illis impediri, tum quod nunc Dei gratia extent methodici libri quam plurimi, inter quos *Loci Communes* Philippi excellunt, quibus theologus et episcopus pulcre et abunde formari potest».

suisque praeferre videtur,

imo eum Paulo proximum facit,

Praefatione vero *Commentariorum* Philippi *in Epistolam ad Romanos* ipsum facit[22] Paulo proximum, asseritque quod prae Philippi explicationibus Hieronymus et Origenes meras naenias scribunt. Alibi vero, dum *adversus Erasmum* scribit *De Servo Arbitrio*, affirmavit[23] *Locos Communes* Philippi dignos esse, qui in canonem recipiantur. Tantus fuit theologus Luthero Philippus! Doctissimus sane, sicut etiam iuxta novum evangelium sanctissimus sua tantum opinione, qua universam etiam theologorum scholam ausus

eiusque *Locos Communes* dignos esse ait, ut in

17) Io 7, 15. 18) Ms.: Αταξια. Cf. not. 18, *Dissert. Praeambula* huius vol. 19) *Praescript. 9*, cp. 41, (P. L. 2, 56). 20) W. L. t. 1, f. III^a. 21) Ibid. f. II^a. 22) Inter opera Melanchthonis, t. 1, pag. 285, Basilea apud Io. Hervagium 1541. Cf. etiam Iac. Gretzerus Op. Omn. t. 13, pag. 140, Ratisbonae, typis Io. Lang 1730. 23) W. L. t. 2, f. 457^a.

fuit perstringere,[24] summa sane litteratoris hominis non licentia et audacia, sed impudentia, cum sacram theologiam ne extremis quidem labris degustasset.

canonem recipiantur.

III. Sicut autem qui iniquam causam tuentur, necesse est ut verbose et loquaciter rethoricentur, inepta sophismata ad fucum faciendum adducant et mendaciis imposturisque et sycophantiis utantur; ita sane Philippus in *Augustanae Confessionis Apologia* multa verbositate garrit, inepte admodum argumentatur et egregie multa mentitur. Verbositas loquaculo grammatistae ignoscenda est, eamque homini tanquam naturalem et propriam facile condonamus; mendacia et imposturas condonare non possumus. Inepta argumenta uno tantum adducto exemplo indicabimus.

Apologia Melanchthonis verbositate, inepta argumentatione et mendaciis laborat.

In articulo de iustificatione ad probandum quod remissionem peccatorum sola fide in Christum consequamur, ita argumentatur:[25] «Consequi remissionem peccatorum est iustificari, iuxta illud: *Beati quorum remissae sunt iniquitates.*[26] Sola fide in Christum, non per dilectionem aut propter dilectionem aut opera, consequimur remissionem peccatorum, etsi dilectio sequitur fidem. Igitur sola fide iustificamur, intelligendo iustificationem ex iniusto iustum effici seu regenerari». Hoc est Philippi argumentum in re gravissima plane levissimum et ineptissimum. Non loquor de forma syllogistica, cum nullam habeat, informe enim sophisma est.

Inepte argumentatur, dum vult probare iustificationem ex sola fide, citans verba: *Beati quorum*, etc.,

Possemus autem propositionem admittere, nisi obstaret sensus et intellectus haereticus, quo novi dogmatistae volunt iustificationem in sola remissione peccatorum consistere; nullam enim agnoscunt iustitiam formalem, nisi imputativam tantum per remissionem peccatorum, cum peccata ipsa non imputantur. Novum monstrum et inauditum in Ecclesia Dei ante Lutheri haeresim figmentum!

intelligens iustificationem in sola peccatorum remissione consistere, quod falsum est;

Christus enim *sol iustitiae* appellatur,[27] quoniam ita iustificat, sicut sol illuminat. Unde et Paulus ait quod *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris per illuminationem scientiae claritatis Dei,*[28] ita ponens illuminationem sym-

Christus enim infusione gratiae peccata remittit, non e converso.

24) *Adversus Furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum*, t. 1, pag. 390-400 ed. cit. Revera in hoc libello multas invectivas iacit in universas Catholicorum scholas. Cf. etiam *De Officio Principum*, t. 1, pag. 441-442; *Loci Communes, De Lege Divina*, t. 2, pag. 476. 25) I. L. t. 4, f. 179ᵃ. 26) Ps 31, 1. 27) Mal 4, 2. 28) 2 Cor 4, 6. Vulg.: *Ad illuminationem.*

bolum iustificationis. Sol autem, dum illuminat, non expellit tantum tenebras et obscuritatem, verum etiam lumen infundit; imo nonnisi per illuminationem, hoc est, infusionem luminis tenebras expellit, sicut ignis nonnisi per communicationem caloris expellit frigus. Sic itaque nonnisi per infusionem gratiae et caritatis divinae per Spiritum Sanctum fit peccatorum remissio. Quare propositio in sensu P h i l i p p i falsissima est.

In Scripturis vero beatitudo tribuitur etiam innocentiae, bonis operibus, etc.

Et beatitudo non tribuitur tantum remissioni peccatorum, verum etiam innocentiae, timori Domini aliisque virtutibus et bonis operibus: *Beati immaculati in via.*[29] *Beati omnes qui timent Dominum.*[30] *Beati pauperes spiritu..., beati mites..., beati qui lugent..., beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam..., beati misericordes..., mundo corde..., pacifici..., et qui patiuntur persecutiones propter iustitiam,*[31] multisque aliis virtutibus et operibus bonis. Nemo autem potest esse sine iustificatione beatus.

Ergo nulla est probatio ex Scriptura.

Quare probatio propositionis per illud *Psalmi: Beati quorum remissae sunt iniquitates*, futilis est; nam ibi etiam innocens dicitur beatus, cum subditur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,*[32] hebraice, *non cogitavit Dominus peccatum,* hoc est, quem Deus iudicat sine peccato esse; Dei enim cogitare iudicare est et scire, cum Deo non succedat nova cogitatio. Igitur beatus praedicatur, qui a Deo cogitatur esse sine peccato, unde ait: *Nec est in spiritu eius dolus,*[33] sicut de Nathanaele Dominus affirmavit: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*[34]

Adducit etiam alios Scripturae textus, qui probant fidem esse necessariam, non autem solam fidem.

Sed videamus quam bene probet optimus dialecticator et tanti argumenti fabricator assumptum, quod per solam fidem consequamur remissionem peccatorum. Ad hoc probandum multas undequaque ex Sacris Litteris corradit, et consarcinat auctoritates,[35] quibus asseritur fide homines iustificari atque salvari. Sed ad quid tantus auctoritatum cumulus, Philippe? Quis Catholicorum negat necessariam cum primis esse fidem ad nostram iustificationem? Probandum est quod per solam fidem. Dicas: Ubinam dicit Scriptura homines per solam fidem iustificari?

29) Ps 118, 1. 30) Ps 127, 1. 31) Mt 5, 3-10. Vulg.: *Persecutionem patiuntur,* loco: *Persecutiones,* etc. 32) Ps 31, 2. 33) Ibid. 34) Io 1, 47. 35) I. L. t. 4, f. 179-181.

Agit hic Philippus ut olim Ariani ad probandum quod Christus homo non item Deus esset, corrogabant undique magnas auctoritatum Divinae Scripturae sarcinas, quae de Christi humanitate loquuntur.[36] Saltabant extra chorum, neque enim Catholici humanitatem Christi inficiabantur. Errorem autem suum, quem per Scripturas probare summis viribus conabantur, quod Christus non Deus verus, sed homo tantum esset et credi oporteret, nunquam probare potuerunt, licet multa, sicut hic Philippus, rethoricarentur et dialecticarentur.

Arianos imitans, qui, ut probarent Christum non esse Deum, textus corrogabant de humanitate Christi tractantes.

Quare lignea, ut dicitur, serra vires suas hac in re fatigavit Philippus, et in hunc modum nonnisi ineptissime in *Apologia* argumentari solet ac veluti ex arenulis funiculos nectere et ex aranearum filis retia texere. Quae enim falsa sunt, veritatis patrocinio destituta, argumentis veris probari nullo modo possunt. Hoc nanque est, quod legitur: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem sequitur aves volantes.*[37] Impotens et elumbis est falsitas adversus veritatem.

Inepta ergo sunt ista argumenta.

IV. Non intermittam autem unum, quam mirabilis sit Philippus in interpretandis Scripturis, quas adducit ad probandum assumptum de iustificatione per solam fidem. Inspiciamus, quaeso, primam probationem.

Supponit unum, quod in remissione peccatorum oportet in cordibus vinci terrores peccati et mortis aeternae. Sed ubinam scriptum hoc est? Sicut, inquit, Paulus testatur, dicens: *Aculeus... mortis peccatum est, potentia autem peccati lex. Gratia autem Deo, qui dat nobis victoriam per... Iesum Christum.*[38] Idest, inquit,[39] peccatum perterrefacit conscientias, id fit per legem, quae ostendit iram Dei adversus peccatum, sed vincimus per Christum. Quomodo? Fide, cum erigimus nos fiducia promissae misericordiae per Christum.

Male etiam interpretatur verba Pauli: *Aculeus mortis*, etc., per ea intelligens terrores conscientiae,

Ex hoc autem supposito probat minorem, dicens: « Sic igitur probamus minorem: Ira Dei non potest placari, si opponamus nostra opera, quia Christus propositus est propitiator, ut propter ipsum fiat nobis placatus Pater. Christus autem non apprehenditur mediator nisi fide. Igitur sola fide consequimur remissionem peccatorum ».

ut probet quod per solam fidem consequimur remissionem peccatorum.

36) S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 69*, (P. G. 42, 223 sqq.). 37) Prv 10, 4.
38) 1 Cor 15, 56-57. Vulg.: *Stimulus..., virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis*, etc. Textum refert ex Melanchthone. 39) I. L. t. 4, f. 179a.

Optima sane demonstratio atque plusquam potissima, sed suppositum falsum est.

Sed ibi Paulus non de terroribus agit, sed de morte temporali.

Ibi enim Paulus non loquitur de terroribus mortis aeternae, sed mortis temporalis, quae in universali resurrectione absorbenda penitus est. Ait enim: *Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex.* [40] Ubi sunt hic terrores conscientiae et mortis aeternae?

cuius causa fuit peccatum.

Loquitur per prosopopeam de morte veluti de Bellona, [41] cuius telum, quo in nos armata est, dicit esse peccatum, sane quia si non fuisset peccatum, mors nullum habuisset ius in humanum genus. Legem autem dicit vires praebuisse peccato, quoniam, ut Paulus *ad Romanos* ait, ubi non est lex et mandatum, ibi non est praevaricatio. [42] In resurrectione autem mortuorum nulla erit amplius lex, nullum peccatum, ac propterea neque mors, atque ita mors mortua iacebit, et, ut Paulus ait, *novissime... inimica destruetur mors.* [43] Loquitur itaque Paulus de victoria mortis, quoniam per Christum data nobis est gratia, qua mortem vincere possumus.

Quid hoc ad rem? Fides nec nominatur a Paulo.

Quid hoc ad rem, quam intendit Philippus? Et tamen, cum in hoc loco Paulus fidem non nominet, acutissimi ingenii homo fidem hic vidit et solam fidem, per quam iustificemur, et quam mirabili metamorphosi transformat in fiduciam, et cum Luthero fidem transmutat in spem. Ita sane perquam optime per suam grammaticen interpretatur Scripturas.

Nec melius interpretatur verba Petri: *Huic omnes*, etc. et Pauli: *Iustificati*, etc.

Adducit illud Petri in *Actis: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum,* [44] et subiungit: [45] «Quid potuit clarius dicere?» Nihil sane; sed ad quid? Ubi hic sola fides? Illud Pauli *ad Romanos: Iustificati... ex fide pacem habeamus ad Deum,* [46] interpretatur: [47] «Habemus conscientias tranquillas et laetas coram Deo». Quod Paulus ait habere pacem cum Deo, hoc est, per gratiam

40) 1 Cor 15, 52-56. 41) Cf. not. 12, *Dissert.* 2, sect. 2, lib. 1 huius vol. 42) Cf. 7, 7 sqq. 43) 1 Cor 15, 26. Vulg:. *Novissima.* 44) 10, 43. 45) I. L. t. 4, f. 180ª. 46) 5, 1. 47) I. L. t. 4, f. 180ª.

iustificationis reconciliatos et pacificatos Deo esse, ipse ait habere tranquillas conscientias.

Praeterea illud *ad Romanos: Corde enim creditur ad iustitiam:* [48] «Hic, inquit,[49] pronunciat fidem esse iustitiam cordis». Et ista est optima et elegantissima interpretatio, sicut si dicamus confessionem esse salutem oris. Nam, cum dixisset Paulus: *Hoc est verbum fidei quod praedicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris, quoniam illum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris;* subiunxit: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* [50] docens quod per fidem et confessionem, qua Christum confitemur, iustitiam et salutem consequimur, fidem autem esse non fiduciam, qua confidimus, sed persuasionem mentis, qua firmiter tenemus, sentimus, credimus Christum a Deo suscitatum, hoc est, esse Messiam Filium Dei. Philippus autem fidem fiduciam et iustitiam ipsam facit. Ita ad interpretandas Scripturas grammaticus iste sicut ad lyram asinus aptissimus est.

et alia: *Corde enim*, etc., ubi contra mentem Pauli fidem facit fiduciam et iustitiam.

Nec contentus homo *corruptus mente et reprobus circa fidem* [51] Scripturas falsa interpretatione depravare, quod haereticorum omnium proprium et solemne est, voluit etiam manifeste falsificare, dum ex Isaia falsum testimonium adducit: [52] *Notitia eius iustificabit multos.* «Quid est autem notitia Christi, inquit, nisi nosse beneficia Christi?» Sed ubi invenit grammatologus in Isaia dictum istud? Citat caput quinquagesimum tertium; sed ibi Isaias non ita loquitur, legitur enim: *In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit;* [53] et ita est etiam in fonte. [54] Philippus itaque Scripturae falsificator ad imponendum simplicioribus infami nota falsarii inurendus est.

Sed et Scripturas falsificat, ut illud Isaiae: *In scientia sua*, etc.

V. Nunc ipsius mendacia, imposturas et calumnias in Catholicos videamus. Nolumus autem ad vivum omnia resecare; mittimus critici litteratoris superbam audaciam, vel, ut mitius dicam, parum christianam modestiam, qua saepe theologos catholicos perstringit, sophistas dicit suo more ineptos, [55] eisque non modo iudicium, verum etiam

Nunc ad illius mendacia deveniendum est.

48) 10, 10. 49) I. L. t. 4, f. 180ᵃ. 50) Rom 10, 8-10. Vulg.: *Quod Deus illum suscitavit.* 51) Cf. 2 Tim 3, 8. 52) I. L. t. 4, f. 180ᵇ. 53) Vr. 11. 54) Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, t. 18, col. 1480-1482. 55) Cf. *Discrimen Legis ac Evangelii*, t. 1, pag. 24; epist. nuncupatoria *ad Albertum Moguntinum Archiep.* praemissa ad

candorem animi deesse, saepissime adversarios nominat Catholicos omnes. [56] Ita nanque semper haeretici Catholicos adversarios suos dixerunt, sicut fures et latrones magistratus sibi adversarii dicunt, et lupi de fidelibus canibus tanquam adversariis conqueri hac ratione possunt.

Mentitur Philippus, dum contra Scripturas ait theologos damnasse aliquot articulos,

Primum mendacium esto, quod habet in *Praefatione Apologiae ad Lectorem* quod theologi, qui confutationem *Confessionis Augustanae* adornarunt, articulos aliquot contra manifestam Scripturam Spiritus Sancti damnaverint. [57] Sed quinam sint isti aliquot articuli contra manifestam Scripturam damnati, silet omnino. Mendacium est, calumnia et impostura est.

ac tribuere naturae vires integras ad summe diligendum Deum;

Circa articulum secundum simili modo et calumniatur et mentitur, dicens quod theologi scholastici tribuunt humanae naturae integras vires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda praecepta Dei quoad substantiam actuum. [58] At vero haec sententia non scholasticorum, sed Pelagianorum haeresis est, [59] ab omnibus theologis uno ore damnata; sciunt enim quod Dominus ait: *Sine me nihil potestis facere,* [60] et quod Paulus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* [61]

postea vero sibi contradicit.

Et ipse Philippus, sui immemor, oportet autem mendacem esse memorem, [62] in eodem articulo, agens de notitia Dei, de fiducia erga Deum, de timore et amore Dei, ait: [63] « Et ipsi theologi in scholis tradunt ista non effici sine certis donis et auxilio gratiae ». Quomodo ergo tribuunt naturae humanae vires integras ad diligendum Deum super omnia et servanda praecepta divina?

Mentitur, dicens theologos de originali peccato loquentes omittere

Adhuc in eodem articulo inscite admodum et mentitur, et calumniatur, et falsum docet, dum ait [64] quod theologi, cum de peccato originis loquuntur, graviora vitia humanae naturae non commemorant, scilicet ignorationem Dei, contemptum Dei, vacare metu et fiducia

Commentarios in Epist. ad Rom. t. 2, pag. 4; *De Iustificatione coram Deo,* ibid. pag. 182, et alibi passim. 56) I. L. t. 4, f. 170b-171a. 172b-173a. 57) Ibid. f. 171a. 58) Ibid. f. 12a. 59) S. Augustinus epist. 176, (P. L. 33, 763); epist. 179, ibid. col. 774-775; *De Gestis Pelagii,* ibid. 44, 355-357; *De Gratia Christi,* cp. 18, ibid. col. 309-316; *Contra Duas Epist. Pelagianorum,* lib. 3, cp. 8, ibid. col. 606; Denzinger n. 106. 176-183. 60) Io 15, 5.
61) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Non quod sufficientes simus.* 62) Idest, perdifficile est, ut, qui mentitur, semper sibi constet, nisi summa memoria polleat. Est enim fictarum rerum memoria difficilior quam verarum. Cf. S. Hieronymus *Apologia adversus Libros Rufini,* (P. L. 23, 467); P. Mannuccii *Adagia,* col. 795. 63) I. L. t. 4, f. 172b. 64) Ibid.

Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, etc., haec enim omnia vult bellissimus iste theologus in originali peccato, quatenus est carentia originalis iustitiae, contineri.

graviora vitia, ut concupiscentiam, etc.;

Sed quod ait theologos, dum de peccato originis loquuntur, non commemorare vitia humanae naturae graviora, mendacium est; loquuntur enim et de concupiscentia et de ignorantia et de infirmitate et de malitia perquam seriose. Quod autem ait originale peccatum continere vitia, quae enumerat, insania est. Quis enim sanae mentis culpet infantem recens natum quod non cognoscat, non amet, non timeat Deum, nec ei fidat, cum nondum liceat per aetatem? Aut quis dicat infantes odisse Deum, fugere, contemnere Deum, irasci Deo, gratiam desperare?

loquuntur enim de veris consequentiis peccati originalis; alia crimina tribuere peccato originali insania est,

Sed indoctus litterio, qui, cum ne assem quidem theologiae haberet, voluit theologiam per summam audaciam superbe tractare, nesciens vitia ista effectus esse peccati originalis, morbosque et plagas sive vulnera naturae ex illo peccato; existimavit contra omnium theologorum sententiam pertinere ad peccati originalis essentiam et naturam, cum, sicut etiam ipse fatetur,[65] peccatum originis nihil aliud sit quam privatio sive carentia iustitiae originalis debitae; dimisso autem per gratiam Christi in Baptismo huiuscemodi debito et reatu, iam est ablatum peccatum. Sed non mirum si hallucinatus Philippus erravit; errantem enim Lutherum secutus est caecusque caecum ductorem; *si autem caecus caecum ducat, ambo*, etc.[66]

ignorantiae Melanchthonis concedenda.

VI. Adhuc autem in eodem articulo mentitur cum calumnia Philippus, dum ait:[67] «Hic flagellant adversarii etiam Lutherum, quod scripserit peccatum originis manere post Baptismum; addunt hunc articulum iure damnatum esse a Leone X. Sed Caesarea Maiestas in hoc loco manifestam calumniam deprehendet, sciunt enim adversarii, in quam sententiam Lutherus hoc dictum velit: Quod peccatum originis reliquum sit post Baptismum; semper ita scripsit quod Baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamsi materiale, ut isti vocant, peccati maneat, videlicet concupiscentia».

Mentitur, dum negat Lutherum affirmasse post Baptismum manere peccatum,

65) Ibid. 66) Mt 15, 14. Vulg.: *Caecus autem si caeco ducatum praestet*, etc. 67) I. L. t. 4, f. 172^b-173^a.

Sed, ut manifestum fiat Philippi mendacium, ipsum Lutherum loquentem audiamus.

Lutherus enim clare hoc docet,

In articulo 2 sic loquitur :[68] « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum est Paulum et Christum simul conculcare ». Dico : In puero recens nato quidnam aliud quam originale peccatum reperiri potest ? Infantes enim, sicut in *Deuteronomio* legimus, nesciunt quae sit distantia boni et mali,[69] et, sicut Deus Ionae prophetae dixit, *ignorant quid sint inter dextram et sinistram.*[70] Si igitur post Baptismum remanet in infante peccatum ; ergo Baptismus non tollit originale peccatum.

dum saepius affirmat concupiscentiam esse vere ac proprie peccatum,

At, inquit, Lutherus in hanc sententiam dixit reliquum esse peccatum post Baptismum, quia remanet concupiscentia. Ad quid ergo tam horrisona verborum tonitrua, quod « negare peccatum in puero post Baptismum est Christum cum Paulo conculcare ? » Quis unquam negavit in hominibus etiam baptizatis concupiscentiam ? Quod si iuxta mentem Catholicorum locutus fuit tantum de concupiscentia, quae est veluti materiale originalis peccati, cur in *Assertione* istius *Articuli* non ita mentem suam declaravit, sed pertinacissime contendit[71] ostendere concupiscentiam revera esse peccatum ? Et ex ista quidem doctrina dixit in tertio articulo quod fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur a corpore animam ab ingressu coeli,[72] quasi vero etiam in anima separata a corpore esset concupiscentia carnis, qua caro *adversus spiritum concupisceret.*[73]

ut ipse Philippus postea fatetur.

Legenti autem totam *2 Articuli Assertionem* tam notum est quam quod notissimum esse Lutheri sententiam, quod concupiscentia sit suapte natura proprie ac vere peccatum aeterna damnatione dignum, nisi quod non imputatur.[74] Et ipsemet Philippus paulo post ait adversarios disputare concupiscentiam poenam esse non peccatum, Lutherum autem defendisse peccatum esse.[75]

Mentitur, dicens Augustinum scripsisse

VII. Sed addit aliud mendacium, nempe Augustinum definiisse peccatum originis quod sit concupiscentia, et subiungit :[76] « Expostulent cum Augustino, si quid habet incommodi haec sententia ».

68) *Bulla Leonis X contra Errores M. Lutheri*, W. L. t. 2, f. 57ª. 69) 1, 39. 70) Ion 4, 11. Vulg.: *Nesciunt quid sit inter dexteram.* 71) W. L. t. 2, f. 102ᵇ-105ª. 72) Ibid. f. 105ª. 73) Gal 5, 17. Vulg.: *Concupiscit adversus*, etc. 74) W. L. t. 2, f. 97ª-99ᵇ. 75) I. L. t. 4, f. 173ª. 76) Ibid.

Sed ubi, quaeso, Augustinus definivit ita peccatum originis? Silet. Petrus Lombardus, cognomento Magister *Sententiarum*, alicubi dixit peccatum originale esse concupiscentiam et fomitem peccati. [77] Augustinus ubi hoc dixerit non reperitur, nec a Philippo aut manipularibus suis notatus locus invenitur, bene autem quod sit poena peccati. Scribens enim *in Iulianum* haereticum: « Concupiscentia, inquit, [78] poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientiae ». Et *Contra Duas Epistolas Pelagianorum* [79] itemque libro *De Nuptiis et Concupiscentia* idem docet. Ait autem praesertim: [80] « Homo primus, Dei lege transgressa, aliam legem repugnantem suae menti habere coepit in membris, et inobedientiae suae malum sensit, quando sibi retributam dignissime inobedientiam suae carnis invenit ».

peccatum originale esse concupiscentiam; dum e converso eam dicit poenam peccati originalis.

Ita cum D. Augustino theologi omnes docent concupiscentiam poenam esse peccati, non autem peccatum; licet aliquando a Paulo dicta sit peccatum, [81] sed per tropum, per metonymiam, quia effectus peccati est, sicut scriptura dici consuevit manus scriptoris et loquela hominis appellatur lingua. Ita Augustinus docet, [82] dicens: « Concupiscentia etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit ». Quod etiam docet in libro *De Nuptiis et Concupiscentia*, addens posse etiam dici peccatum, quia est causa peccati, sicut frigus dicitur pigrum, quia facit homines pigros. [83] Semperque Augustinus constanter docet concupiscentiam carnis, qua oriuntur carnalia desideria, *quae militant adversus animam*, [84] non esse verum peccatum, sed fomitem originemque peccati, sicut D. Iacobus ait: *Unusquisque... tentatur a concupiscentia sua, abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* [85]

Augustinum omnes theologi sequuntur.

Quare quod addit Philippus, [86] Lutheri vestigiis insistens, illud Pauli: *Concupiscentiam nesciebam* esse peccatum, *nisi lex diceret: Non concupisces*, [87] mera impostura est. Primum enim in Paulo non est: *Nesciebam* esse peccatum, sed tantum: *Concupi-*

Corrumpit etiam Philippus Scripturam, nam verbis Pauli:

77) *Sententiarum*, lib. 2, *Distinct. 30-31*, (P. L. 192, 720-726). 78) Lib. 5, cp. 3, ibid. 44, 787. 79) Lib. 1, cp. 10, ibid. col. 559-561. 80) Lib. 1, cp. 6, ibid. col. 417. 81) Cf. Rom 7, 18. 20. 82) *Contra Duas Epist. Pelagianorum*, lib. 1, cp. 13, (P. L. 44, 563). 83) Lib. 1, cp. 23, ibid. col. 428. 84) 1 Petr 2, 11. 85) 1, 14-15. 86) I. L. t. 4, f. 173ᵃ. 87) Rom 7, 7.

Concupiscentiam nesciebam addit: Esse peccatum.

scentiam nesciebam; sed ex Luthero hoc addit.[88] Deinde aequivocationem imponit; non enim loquitur ibi Paulus de potentia, sed de actu concupiscendi; hinc ait: *Nisi lex diceret: Non concupisces,* et loquitur de concupiscentia non quidem naturali, sed voluntaria et animo deliberato. Sed, cum iniquam causam foveat, necesse est ut imposturis ad eam sustentandam utatur.

Falsificat etiam cum Luthero textum Augustini, ut deducat Augustinum docuisse peccatum post Baptismum manere; dum Augustinus de concupiscentia loquitur,

VIII. Necdum finis mendaciorum in hoc uno articulo, quem cum primis defendendum suscepit. Ex Lutheri officina in *Assertione 2 Articuli*[89] adhuc mendacium profert, quo probet concupiscentiam carnis proprie esse peccatum, renatis per Baptismum non imputatum: « Ad eundem, inquit,[90] modum loquitur et Augustinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur ». Sed ubi dicit hoc Augustinus? Silentium. Una cum suo impostore Luthero crimen incurrit falsi; nusquam enim reperitur dixisse tale quid Augustinus. Sed in libro primo *De Nuptiis et Concupiscentia,* verba faciens de concupiscentia, ait[91] quod per Baptismum in renatis dimittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.

quam constanter docet esse poenam et effectum peccati,

Miror quod ex eodem Luthero non et aliud insigne mendacium fuerit mutuatus, quo Augustinum asserere ait[92] peccatum in Baptismo reatu transire, actu vero manere. Sed Augustinus in eodem quidem libro hoc etiam de concupiscentia, non de peccato affirmat,[93] nam, sicut diximus, Augustinus in renatis concupiscentiam nunquam affirmavit esse peccatum, sed causam, sed effectum, sed poenam peccati. Quemadmodum etiam in libro *Retractationum* priore ait:[94] « Hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et poena peccati est ».

quam etiam languori comparat.

Et alibi concupiscentiam similem facit languori, quem febris relinquit; ita enim scribit:[95] « Quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quae febribus facta est, revalescere; itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus, quod eo factum est, secunda curatione sanare; ita prima curatio est causam

88) W. L. t. 2, f. 120b. 89) Ibid. f. 105a. 90) I. L. t. 2, f. 173a. 91) Lib. 1, cp. 25, (P. L. 44, 430). 92) W. L. t. 2, f. 104b. 93) Cp. 26, (P. L. 44, 430). 94) Cp. 15, ibid. 32, 608. 95) *De Trinitate,* lib. 14, cp. 17, ibid. 42, 1054.

removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione huius imaginis. Quae duo demonstrantur in *Psalmo*, ubi legitur: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos* ». [96] Docetque in Baptismo dimitti omnes iniquitates, languores vero sanari quotidianis accessibus. Quod etiam in libro *De Continentia* tradit, [97] et alibi non semel aut iterum. [98]

IX. Replicat insuper Philippus [99] mendacium, quod scholastici doceant hominem propriis viribus posse mandata Dei facere. Et alia superaddit, [100] quod concionatores sui de materia peccati originalis nihil novi tradiderunt, sed Sanctam Scripturam et Sanctorum Patrum sententias proposuerunt; quod adversarii puerilibus et frigidis cavillationibus articulum istum calumniati sunt; quod ipsi cum catholica Christi Ecclesia recte sentiunt, scilicet Lutherani; quod sententiam Sanctorum Patrum sequuntur; quod adversarii in hac causa magna ex parte non intelligunt quid loquantur, et saepe pugnantia dicunt.

Mentitur, dicens quod scholastici doceant hominem posse ex propriis viribus mandata Dei servare.

Theologica nanque melius per suam grammaticam Philippus intelligere potuit quam theologi in his rebus versatissimi eruditissimique, tam enim ingeniosus fuit, ut Scripturas subtilissime interpretatus fuerit. Nam, ut probet [101] naturam humanam in peccati originalis poenam non solum morti et aliis corporalibus malis fuisse subiectam, sed etiam regno diaboli, subtilissima interpretatione ait: « Nam ibi fertur haec horribilis sententia: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et inter semen tuum et semen illius* ». [102] Quis autem unquam intellexit per hanc sententiam genus humanum subiectum fuisse diabolo? Philippus acutissimus gymnasiastes novit sententiam a Deo in diabolum latam transferre in genus humanum, atque ita quidem theologica melius ipse quam theologi quique intellexit.

Scientia theologica Philippi eruitur ex inepta interpretatione textus: *Inimicitias ponam*, etc.

Non pauca autem haec mendacia, quae ex unius tantum articuli defensione adduximus, ostendere possunt quam cara fuerit Philippo fides, et quam religiose coluerit circa doctrinam fidei veritatem. Nec

Haec adnotasse sufficeret, sed crassiora

96) Ps 102, 3. Vulg.: *Infirmitates tuas.* 97) Cp. 7, (P. L. 40, 360). 98) *Sermo 151*, cp. 8, ibid. 38, 819; *De Continentia*, cp. 8, ibid. 40, 362; *De Natura et Gratia*, cp. 26, ibid. 44, 261. 99) I. L. t. 4, f. 173a. 100) Ibid. f. 173b. 101) Ibid. f. 173a. 102) Gn 3, 15.

Indicanda sunt.

est necesse omnia quae in aliorum articulorum defensionibus habet longe plura, huc afferre; indicabo tantum nonnulla alia crassiora, quibus magis magisque mendax, impostor verusque sycophanta revincatur.

In articulo de iustificatione scribit Catholicos tribuere iustificationem meritis operum sine fide.

Supponit vero Scripturam dividi in legem et promissiones.

X. Et quidem in defensione articuli de iustificatione, quae omnium longissima est, semper haeret in luto, dum per summam calumniam et impudentem sycophantiam, ut suis imponat, scribit[103] Catholicos iustificationem tribuere meritis operum sine fide, et sexcentis falsitatibus conatur ostendere, nonnisi ex sola fide iustificationem nobis contingere. Praesupponit autem unum, quod hominis inscitiam manifestissimam facit; est autem praesuppositum[104] quod universa Scriptura in duos locos praecipuos distribui debet: in legem et promissiones. Per legem autem Decalogum intelligit; ait enim: « Vocamus autem legem in hac disputatione Decalogi praecepta ».

Quod suppositum est evidenter falsum;

Mirabile sane suppositum hominis versatissimi in Sacris Litteris! Quo ergo loco reponenda sunt dogmata et doctrina fidei innumeraque mysteria? D. Paulus novum istud Philippi suppositum non agnovit; sed *ad Romanos* scribens, ait quod *quaecumque... scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.*[105] Et *ad Timotheum* ait: *Ab infantia Sacras Litteras didicisti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Iesu. Omnis... Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*[106] Nihil dicit de Decalogo, nihil de promissionibus, cum de Scriptura agit, sed de doctrina fidei et bonorum operum.

nam in Scriptura sunt quidem promissiones, sed etiam exhortationes, historiae, etc.

Sunt quidem in Scriptura promissiones, sed sunt etiam comminationes; sunt exhortationes ad virtutes et dehortationes a vitiis; sunt praemia bonorum et punitiones malorum; sunt historiae cum exemplis virtutum sanctorum virorum, quae nos ad imitationem provocant, et mille alia saluberrima documenta. Philippus tamen, optimus scilicet scripturista, sed lutherista, tantum duo haec praecipua capita decem praeceptorum et promissionum invenit in Scripturis; catechismum et articulos fidei non invenit, praecepta duo

103) I. L. t. 4, f. 174a. 104) Ibid. f. 173b. 105) 15, 4. 106) 2 Tim 3, 15.

caritatis non invenit. Et talem doctorem post Lutherum optimum maximum Lutherani suspiciunt, mirantur, sequuntur, praesertim vero in *Apologia Augustanae Confessionis*. Sed proprio nomine dicenda foret *Apologia* non *Confessionis Augustanae*, sed confusionis babylonicae, tam multis est plena mendaciis, blasphemiis, calumniis, dicam quod res est, haeresum pestilentissimarum venenis, propter quae tantopere stomachum bilemque mihi movet, dum eam lego, ut vix temperare mihi possim.

XI. In articuli 12 de Poenitentia defensione veluti fascem mendaciorum sarcinamque coegit:[107] quod per bona opera extra gratiam facta mereamur ex pacto divino gratiam; quod per attritionem mereamur gratiam; quod ad deletionem peccati sola detestatio criminis sufficiat; quod propter contritionem, non fide in Christum consequimur remissionem peccatorum; quod potestas clavium valeat ad remissionem peccatorum non coram Deo, sed coram Ecclesia; quod susceptio sacramenti Poenitentiae ex opere operato sine bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum, consequatur gratiam; et alia id genus mendacissime impingit scholasticis theologis et canonistis; ita ut neminem nominet. Sed, si sub crimine falsi probanda haec Philippo fuissent, proculdubio tanquam infamis nebulo ab aequis iudicibus damnatus fuisset.

In articulo de Poenitentia mendacia in scholasticos consarcinat.

Sed bono viro impunitatis confidentia egregie mentiri nulla prorsus fuit religio, ac propterea nobilis impostor et sycophanta tam multa scholasticis theologis imposuit. Sed, ut dixi, qui causam iniquam fovet, mendaciis opus habet. Falsum dogma in *Confessione* traditum tueri voluit,[108] nempe quod Poenitentia duabus tantum partibus proprie constet: contritione, hoc est, terroribus incussis conscientiae, agnito peccato, et fide, quae concipitur ex Evangelio. Inauditum in Ecclesia dogma quod fides sit Poenitentiae pars, cum causa sit, basis et fundamentum omnium virtutum et bonorum operum, ac, ut Paulus ait, *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*[109] Et Divina Scriptura manifeste distinguit poenitentiam a fide; Dominus enim ait: *Poenitentiam agite, et credite Evan-*

Falsum dogma tradit, affirmans Poenitentiam constare contritione et fide, cum fides non sit Poenitentiae pars.

107) I. L. t. 4, f. 196ᵃ. 108) Ibid. f. 195ᵃ. 109) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum.*

gelio.[110] P a u l u s etiam ait in *Actis: Testificans Iudaeis atque gentilibus in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*[111]

Figmentum inducit, dicens terrores conscientiae esse partem Poenitentiae.

Novum etiam figmentum est terrores conscientiae incussos, agnito peccato, esse Poenitentiae partem,[112] hi enim potius inducunt hominem ad Poenitentiam. Sicut P a u l u s, cum propter gravem obiurgationem Corinthios perterrefecisset, ostensa gravitate peccati, et pudefactos contristasset, ait: *Nunc gaudeo; non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini... Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur.*[113] Sic tristitiam animi ex agnitione peccati P a u l u s causam, non partem Poenitentiae facit. Ad tuendam igitur novam istam de duabus hisce partibus Poenitentiae doctrinam in Ecclesia Dei inauditam, Sanctis Patribus ignotam, revera falsam, opus fuit multis mendaciis. Multa alia in eodem loco egregie mentitur; sed non omnia numeranda sunt.

Calumniatur Catholicos, vocans eos iudaizantes, quia traditiones servant,

XII. In *Apologia* articuli 15 de traditionibus ecclesiasticis simul calumniatur et mentitur, dum ait[114] quod adversarii observantes traditiones ecclesiasticas ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, ad satisfaciendum pro peccatis, iudaizant, aperte obruunt Evangelium doctrinis daemoniorum. Tunc enim Scriptura vocat traditiones doctrinas daemoniorum, quando docetur quid sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum et gratiam. Sed ubi, quaeso, Scriptura ita loquitur? Ubi dicit quod audire Ecclesiam, quam qui non audit ethnicus est et publicanus,[115] servare leges ecclesiasticas praeceptaque sanctae matris Ecclesiae, et propterea ieiunare, orare, poenitentiam facere et id genus alia ad placandum Deum, sicut Ninivitae ex mandato regis,[116] sit doctrinas daemoniorum servare, iudaizare, Evangelium Christi aperte obruere?

Sed P h i l i p p u s inimicus est omnis iustitiae[117] cum suo Luthero, nec nisi putativam, hoc est, falsam iustitiam docet. Haec autem doctrina revera doctrina daemoniorum est, P a u l u s enim errores

110) Mc 1, 15. Vulg.: *Poenitemini.* 111) 20, 21. 112) I. L. t. 4, f. 195^b.
113) 2 Cor 7, 9-10. 114) I. L. t. 4, f. 206^a. 115) Cf. Mt 18, 17. 116) Cf. Ion 3, 6-9.
117) Cf. Act 13, 10.

circa fidem et haereses doctrinas daemoniorum appellavit: *Discedent,* inquit, *quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum,*[118] hoc est, doctrinis erroneis, falsis haereticorum, qui satanae spiritu ducuntur loquunturque, satanas enim spiritus mendax est[119] in ore pseudoprophetarum. Nusquam autem Divina Scriptura ecclesiasticas traditiones damnat; nam *Ecclesia... columna* est *et firmamentum veritatis;*[120] quin Paulus *ad Thessalonicenses* ait: *Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.*[121] Est autem proprium haereticis omnibus et solemne contemnere et damnare ecclesiasticam traditionem; est enim lapis lydius, quo sane perquam facile dignoscitur verum fidei aurum itemque adulterinum haereseos.

quas tamen Scriptura commendat.

XIII. In defensione articuli 18 praeclare sycophantatur cum magna calumnia, dicens:[122] « Quid interest inter Pelagianos et adversarios nostros? Cum utrique sentiant hominem sine Spiritu Sancto posse Deum diligere et praecepta Dei facere quoad substantiam actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, quae ratio per se efficit sine Spiritu Sancto? » Quod quam apertum mendacium sit, testantur innumeri Catholicorum libri adversus Pelagianos scripti.

Item calumniatur Catholicos, vocans eos Pelagianos.

In articulo 21 de cultu et invocatione Sanctorum habet insigne mendacium,[123] quod « veteres scriptores ante Gregorium nullam fecerunt mentionem invocationis Sanctorum ». Et praeterea agens de libro S. Hieronymi *Adversus Vigilantium,* nomen suum ipse Catholicis tribuens, ait:[124] « Nec vident isti asini apud Hieronymum contra Vigilantium nullam extare syllabam de invocatione ». Quod rationibus non potest, calumniis, mendaciis et malis artibus tueri conatur iste Momus.[125]

Mentitur, negans scriptores ante Gregorium quicquam scripsisse de Invocatione Sanctorum, imo ipsum Hieronymum.

Sed non est opus ista confutare mendacia, non enim desunt viri doctissimi, qui adductis apertis testimoniis Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii Nazianzeni aliorumque antiquissimorum Patrum, qui Sanctos invocarunt et invocandos docue-

Non est opus haec mendacia refutare;

118) 1 Tim 4, 1. 119) Cf. Io 8, 44. 120) 1 Tim 3, 19. 121) 2 Thess 2, 14. 122) I. L. t. 4, f. 209ª. 123) Ibid. f. 210ª. 124) Ibid. 125) Momus fuit divus ex patre Somno et matre Nocte prognatus, cui mos erat nihil quidem operis edere, sed aliorum deorum opera curiosis oculis contemplari, et, si quid esset omissum aut perperam factum, id summa cum libertate carpere. Cf. P. Mannuccii *Adagia,* col. 321.

runt, Philippum manifesti mendacii convicerunt.[126] In eo autem quod ait in libro Hieronymi *Adversus Vigilantium* nullam extare syllabam invocationis Sanctorum, nescio quid dicam de tanto magistro in Israel isto novo.

Hieronymus enim in libro *Adversus Vigilantium* clarissime tuetur invocationem Sanctorum.

Vigilantius enim, referente Hieronymo, docebat quod tantum dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus, post mortem autem nullius pro alio sit exaudienda oratio.[127] Negavit igitur ille intercessionem Sanctorum. Quis autem adeo tardus est, ut hinc non intelligat eum docuisse Sanctos non esse invocandos? Ad quid Sanctos in coelo ut pro nobis orent invocare, si non possunt intercedere?

Postquam autem Hieronymus errorem istum confutavit, *ad Vigilantium* ait:[128] «Post haec de barathro pectoris sui coenosam spurcitiam evomens, audet[128a] dicere: Ergo cineres suos amant animae martyrum, et circumvolant eos, semperque praesentes sunt, ne forte, si aliquis precator advenerit, absentes audire non possint?» Dicat haereticus, qui a partibus Philippi stat et *Apologiam* tuetur, quid est quod ait: «Ne forte, si quis precator advenerit, absentes audire non possint?» An aliud est precari Sanctos, aliud invocare, ut animae Sanctorum possint audire precantem, non autem invocantem?

Impingit adhuc nobis Philippus divinitatem tribuamus.

Multa alia mendacia habet in defensione huius articuli Philippus, impingitque[129] nobis quod Sanctis divinitatem tribuamus, et Christo aequales faciamus. Necdum mendaciorum finis; quanta quanta est, tota mendaciis scatet.

Affirmat communionem sub utraque specie laicis dandam esse ex instituto Christi, cum nullibi inveniatur hoc praeceptum.

XIV. In defensione articuli de communione sub utraque specie habet[130] non minimum mendacium, quod adversarii contra mandatum Christi prohibeant laicis communionem sub utraque specie, sicut a Christo institutum fuit venerabile Sacramentum. Sed ubi, quaeso, reperitur praeceptum istud communicandi sub utraque specie? Scimus institutum fuisse sacramentum sub utraque specie, sed scimus etiam quod aliud est institutio sacramenti et aliud usus sacramenti, sicut aliud est creatio rerum comestibilium, aliud usus. Creavit Deus omnes cibos ad humani generis utilitatem, nec tamen praecepit ut comestibilia omnia ab omnibus comederentur. Dixit quidem Christus: *Bibite*

126) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae Christianae Fidei*, t. 3, lib. *De Ecclesia Triumphante*, pag. 335 sqq. 127) P. L. 23, 345. 128) Ibid. col. 346-347. 128a) Ms.: *Audes*. 129) I. L. t. 4, f. 211a. 130) Ibid. f. 212a.

ex hoc omnes;[131] sed Marcus ait quod *biberunt ex illo omnes,*[132] ut sciremus dictum illud fuisse Apostolis tunc cum Christo coenantibus. Praeceptum Christi est, ut audiatur Ecclesia, non ut sumatur Sacramentum sub utraque specie, cum Paulus *ad Corinthios* agens de usu Sacramenti indigne sumpti, sub alternativa locutus sit, dicens: *Si quis manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*[133] Mendacium itaque est, quod contra mandatum Christi prohibita sit communio sub utraque specie.

Premit[134] insulsus sophista Sacramentum institutum pro tota Ecclesia, quasi vero alia sacramenta non fuerint pro tota Ecclesia instituta. Sacerdotium institutum a Christo fuit pro tota Ecclesia; num propterea omnes debent esse sacerdotes, omnes celebrare, omnes a peccatis absolvere, omnes verbum Dei praedicare?

Urget hoc Sacramentum esse institutum pro tota Ecclesia, quasi alia sacramenta non sint instituta pro tota Ecclesia.

XV. In articulo de coniugio sacerdotum, bone Deus, quam impudenter mentitur quamque virulenter calumniatur Catholicos homo iste revera illius filius, qui mendax fuit ab initio![135] Theologos appellat homines nihili, Sardanapalos, nebulones, qui Curios simulant et bacchanalia vivunt.[136] Mentitur, asserens legem de caelibatu clericorum in nullo concilio reperiri, sed a solo Romano Pontifice contra synodorum sententiam inductum esse.[137] Bone Deus, quantum mendacium! Quod hominis vel summam imperitiam ostendit, vel summam malitiam. Ait legem caelibatus esse contra ius divinum, contra ius gentium, contra ius naturale et contra sacros canones.[138] Mirum cur non dixerit quod Christus summus sacerdos, quia caelibem vitam duxit, omnia divina humanaque iura transgressus fuerit. Et ubi est divinum istud praeceptum, ut, qui Deo perpetuam castitatem voverunt, contra fidem Deo datam uxores ducant et votifragi seipsos incestis libidinibus polluant? Hoc quidem loco Philippus mirum in modum rethoricatur, et egregium patronum agit turpissimarum libidinum. Multa perbelle mentitur.

In articulo de coniugio sacerdotum ait legem caelibatus in nullo concilio reperiri, esse contra ius divinum et naturale, etc..

Unum tantum adhuc ex isto articulo referam. Ait Catholicos affirmare coniugium haeresim esse et quod, Ioviniani haeretici tempore,

Catholicos vero affir-

131) Mt 26, 27. Vulg.: *Ex hoc omnes.* 132) 14, 23. 133) 1 Cor 11, 27. Vulg.: *Quicumque.* 134) I. L. t. 4, f. 212ᵇ. 135) Cf. Io 8, 44. 136) I. L. t. 4, f. 213ᵃ. 137) Ibid. f. 214ᵃ. 138) Ibid. f. 213ᵇ. 215ᵇ.

mare coniugium haeresim esse; dum e contra docent Matrimonium esse sacramentum.

mundus nondum noverat legem de perpetuo caelibatu.[139] O impudentem! Et ubi dicunt Catholici coniugium esse haeresim, cum Matrimonium doceant esse sacramentum? Dicunt Ioviniani haeresim fuisse doctrinam, qua contra caelibatum docuit virginitatem aut continentiam apud Deum nihil praestare nuptiis,[140] et, ut scribit D. Hieronymus,[141] Catholicos appellabat Manichaeos, quod prohiberent nubere.

Sed hac de re in causis schismatis lutherani,[142] ut sciatur quam vere asserat non novisse mundum perpetui caelibatus legem tempore Ioviniani, hoc est, aetate S. Hieronymi.

In articulo de Missa mentitur, dicens theologos docere sacrificium Missae conferre gratiam ex opere operato; et S. Franciscum unam constituisse Missam quotidianam in singulis domibus.

XVI. Multa mentitur in articulo de Missa,[143] maxime vero impingit theologis quod doceant sacrificium Missae conferre gratiam ex opere operato; quod proprium sacramenti est, non sacrificii, quod suapte natura non est nisi genus orationis. Oratio autem impetrat, non confert gratiam; unde et sacrificium crucis non contulit gratiam mundo, sed impetravit et meruit. Mentitur etiam, quod S. Franciscus constituerit ut singula collegia una tantum communi Missa contenta quotidie essent.[144] Sed constitutio ista a Franciscanis prorsus ignoratur. Epistolam quandam hac de re scripsisse fertur, sed dubiae fidei est.[145] Mitto hic hominis imperitiam, qua duas tantum, non plures facit sacrificii species, propitiatorium et eucharisticum.[146] Ignoscenda grammatico Sacrarum Litterarum inscitia, sed non insolens petulansque audacia. Sacrificiorum species in *Levitico* manifeste traditae sunt: *victima pro peccato,*[147] *hostia pacifica*[148] et *holocaustum,*[149] quod tantum in reverentiam divinae Maiestatis offerebatur.

In articulo de votis monasticis multa

XVII. In articulo tandem de votis monasticis tam multa comminiscitur, tam multa mentitur et tam virulenter calumniatur, ut manifeste totum pectus suum aperiat, spiritumque nequissimum, qui in

139) Ibid. f. 216ᵃ. 140) *Contra Iovinianum*, lib. 1, (P. L. 23, 212-213). 141) Ibid. col. 217. 142) Cf. *Dissert. 3* huius sect. 143) I. L. t. 4, f. 216ᵇ. 144) Ibid. 145) Quoad huius ordinationis rationem et authenticitatem, cf. *S. Francisci Opuscula*, t. 1, pag. 8-9, ed. a Wadding-De La Haye, Lugduni 1653; *L' Ideale di S. Francesco* del P. Ilarino da Lucerna Ord. Min. Cap. vol. 1, cp. 3, pag. 63, not. 3. Vers. ital. del P. Leone da Lavertezzo dello stesso Ordine, Firenze, Libreria Editrice Fior. 1925. 146) I. L. t. 4, f. 217ᵃ. 147) 6, 25. 30; 10, 19. 148) Cf. ibid. 3, 1-9. 149) Ibid. 1, 3-17.

ipso hospitabatur, prodat, tam malignum est ipsius calumniandi monachos studium! Opera vitae monasticae appellat[150] non modo adiaphora, verum etiam invidiose admodum et contumeliose observationes fatuas, pharisaicas atque etiam mahumeticas, simulationes hypocritas, etc. Dicit[151] professionem monasticam esse traditionem humanam recens excogitatam; monasteria olim fuisse scholas doctrinae christianae, nunc vero degenerasse velut ab aureo genere in ferrum; locupletissima quaeque monasteria[152] tantum alere ociosam turbam, quae ibi falso praetextu religionis helluetur. mendacia evomit.

Sed quis enumeret hic Philippi portentosa mendacia semper autem cum perpetua calumnia? Quod doceamus monasticen esse cultum Dei, quo mereamur remissionem peccatorum, iustificationem et gratiam[153] paremque faciamus Baptismo. Calumniatur D. Thomam dicens:[154] « Illa blasphemia nullo modo ferenda est, quae apud Thomam legitur, professionem monasticam parem esse Baptismo ». Diris etiam maledictis invehitur[155] in theologos, *Confutationis Augustanae Confessionis* auctores, quod doceant fictitias religiones mereri iustificationem et gratiam, quae nonnisi fide consequi possumus. Sed neque D. Thomas unquam docuit monasticen parem esse Baptismo, nec monastica vita instituta est ad consequendam remissionem peccatorum, quam per Poenitentiam consequimur, sed ad serviendum Domino cum Anna, *quae non discedebat de templo, ieiuniis et orationibus serviens Domino.*[156] Nec separamus monasticam professionem a fide, sine qua *impossibile est placere Deo;*[157] sed lutheranam haeresim execramur de sola fide iustificante.

et calumniatur theologos et D. Thomam, quod professionem parem faciant Baptismo;

quod falsum est.

Sic, ut finiamus, *Apologia Confessionis Augustanae* multis et longe magnis consarcinata est mendaciis calumniisque. Conclusio.

150) I. L. t. 4, f. 223[b]. 151) Ibid. 152) Ibid. f. 222[a]. 153) Ibid. 154) Ibid. f. 223[a]. 155) Ibid. f. 223[a]. 156) Lc 2, 37. Vulg.: *Obsecrationibus*, loco: *Orationibus*. 157) Hebr 11, 6.

DISSERTATIO TERTIA

LUTHERANOS AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTOS ET A ROMANA ECCLESIA SEPARATOS NON MINUS ESSE SCHISMATICOS ATQUE HAERETICOS ANTIQUIS ARIANIS [1]

Deus non est auctor dissidii et schismatis;

I. Cum Deus, ut Paulus ait, *non... sit Deus dissensionis, sed* Deus *pacis,* [2] non potest auctor esse dissidiorum et schismatum haeresumque, quae idem Paulus enumerat inter opera carnis, quae hominem a regno Dei excludunt. Cum enim, *ad Galatas* scribens, enumerasset opera carnis adversus spiritum concupiscentis, ait: *Quae praedico vobis, sicut et praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur,* [3] sive ut graece est, *non hereditabunt.* Recensens autem opera carnis, non solum adulteria, fornicationes, impudicitias, ebrietates, commessationes et his similia ponit, verum etiam *contentiones, aemulationes..., dissensiones* et *sectas,* [4] graece διχοστασίαι, αἱρέσεις. [5] Est autem Graecis [6] διχοστασία *dissidium, discordia, divisio,* quando, ut Poeta ait,

« Scinditur incertum studia in contraria vulgus ». [7]

quae oriuntur, dum attenditur *doctrinis daemoniorum,* ut Paulus docet.

Unde ortae sunt, et in dies oriuntur in Ecclesia Dei sectae et haereses, dum homines *attendentes,* ut Paulus ait, *spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, discedunt a fide,* [8] hoc est, ab Ecclesia Dei. Et Ioannes ait: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis;* [9] non enim nisi corrupta iam mente [10] *et veritate* intrinsecus *privati,* [11] factique *reprobi circa fidem,* [12] separant se ab Ecclesia catholica. Hinc Iudas apostolus ait: *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* [13] Et haereticos comparat illis hominibus qui, facto in populo Dei schismate, *in contradictione Core perierunt.* [14] Habemus autem in Sacris Litteris schismatis veluti emblema in veste Ahiae prophetae scissa *in duodecim partes.* [15]

1) Cod. 2, f. 365ᵃ-372ᵇ. 2) 1 Cor 14, 33. Vulg.: *Non enim est dissensionis Deus.* 3) 5, 21. 4) Ibid. vr. 20. Vulg.: *Sectae.* 5) Ms.: Διχοστασιαι, αιρεσεις. 6) Cf. Henr. Stephanus *Thesaurus Graecae Linguae;* et C. Schenkl *Vocabolario Greco-Italiano* sub hac voce. 7) Virg. *Aeneid.* lib. 2, vr. 39. 8) 1 Tim 4, 1. 9) 1 Io 2, 19. 10) Cf. 2 Tim 3, 8. 11) 1 Tim 6, 5. 12) 2 Tim 3, 8. 13) Vr. 19. 14) Ibid. vr. 11. 15) Cf. 3 Rg 11, 29-31.

Ita docet vir sanctissimus et aeque doctissimus [C y p r i a n u s] [16] diabolum esse auctorem schismatum et divisionum in Ecclesia Dei, quae per Spiritum Sanctum unita unaque facta ab initio fuit, *multitudinis* enim *credentium erat cor unum et anima una*, [17] sicut oravit Christus ad Patrem: *Rogo... Pater..., ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* [18] Nam ad hoc Christus mortuus est, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [19] Scriptum est enim: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!* [20]

Cyprianus dicit diabolum esse auctorem schismatum in Ecclesia.

P a u l u s a p o s t o l u s summus fuit ecclesiasticae unitatis praedicator. Hinc *ad Ephesios* ait: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus..., unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum Baptisma; unus Deus et Pater omnium.*[21] Et *ad Romanos* scribens, rogat ut declinarent disseminatores zizaniorum et discordiarum, dicens: [22] *Rogo... vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones* διχοστασίας, [23] qua voce usus est *ad Galatas*, [24] *et offendicula* τὰ σκάνδαλα, [25] *praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.*

Paulus fuit summus unitatis Ecclesiae praedicator, ut patet ex epist. *ad Ephesios* et *ad Romanos*.

O utinam haec P a u l i monita attendissent Germani, cum Lutherus coepit tanquam novus Seba contra David, unctum Dei, [26] schisma in Ecclesia contra Romanum Pontificem excitare, non lapsi fuissent in haeresim multo plurimi!

Si Pauli monitis attendissent Germani, a schismate in haeresim non lapsi fuissent.

II. Schisma nanque, licet non fidei, sed caritati contrarium sit, salva nanque doctrinae fidei veritate pacem conturbat, et unitatem Ecclesiae scindit in factiones et partes; facile tamen in haeresim transit. Novatiani enim haeretici tempore S. Cypriani primum fuerunt schismatici, auctore Novato Carthaginensi presbytero, qui Romae, mortuo Fabiano Romano Pontifice, cathedram Petri invadere conatus, Cornelio, Fabiani legitimo successori, per summam invidiam insidias

Nam schisma facile in haeresim transit,

ut accidit Novato

16) *De Unitate Ecclesiae*, (P. L. 4, 497-505). 17) Act 4, 32. 18) Io 17, 20-22. 19) Ibid. 11, 52. 20) Ps 132, 1. 21) 4, 1-6. 22) 16, 17-18. Vulg.: *Huiuscemodi*, loco: *Huiusmodi*. 23) Ms.: Διχοστασια. 24) 5, 20. 25) Ms.: Τα σκανδαλα. 26) Cf. 2 Rg 19, 26-27.

struens, magnum schismatis excitavit incendium, et sub praetextu sanctioris disciplinae queritans dissolutam esse ecclesiasticam disciplinam et nimis facilem lapsis reditum esse ad Ecclesiam per unicam exhomologesim, schismati manifestos errores adiecit. Post Baptismum enim Poenitentiam negavit, secundas nuptias prohibuit, et baptizatos ab orthodoxis rebaptizandos docuit, atque in hunc modum schisma transivit in haeresim.[27] Ita de Meletianis,[28] de Luciferianis,[29] de Donatistis[30] legimus, quod ex schismaticis evaserint haeretici.

et Ario, qui prius fuit schismaticus cum Meletio.

De Ario similiter legimus, quod prius fuerit schismaticus; Meletio enim episcopo auctori magni schismatis adhaesit studuitque.[31] Cuius rei gratia a Petro, Alexandrino episcopo et martyre sanctissimo, a quo, ut Sozomenus scribit,[32] ordinatus fuerat diaconus, eiectus ab Ecclesia fuit, non quidem ob haeresim, in quam nondum inciderat, sed propter schisma, quod a partibus Meletianorum staret, cum Meletius a Petro fuisset ab episcopatu deiectus ob sua scelera, ut etiam S. Athanasius auctor est,[33] et post Athanasium Socrates litteris consignavit.[34]

et postea haereticus sane pessimus.

Post schisma autem factus fuit haereticus sane pessimus et pestilentissimus. Quam ob causam, sicut in *Actis* martyrii huius S. Petri legimus,[35] vir sanctissimus a Domino, qui paulo ante martyrium discissa veste apparuerat ei in carcere, monitus fuit ne ullo modo Arius in Ecclesiam reciperetur, eo quod ipse Domini vestem, quae est Ecclesia, ita scidisset ac dilacerasset. Ita infelix Arius, cum a schismate, cuius causa a Petro proscriptus fuerat ab Ecclesia, minime ex animo resipuisset; in haeresim lapsus satana impellente fuit. Et ex una tam modica scintilla tam magnum haereseos incendium excitatum fuit, ut pene universus christianus orbis eius flammis conflagrarit.[36]

Quod etiam Luthero accidisse compertum est.

Perinde autem et Luthero accidisse comperimus. Fuit ipse in primis in Ecclesia Catholica auctor schimatis indulgentiarii, et non parvo cum scandalo populorum contra Ioannem Tetzelium et universum Praedicatorum Ordinem irreconciliabile schisma bellumque accendit.[37]

27) Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 6, cp. 43, (P. G. 20, 615-630); S. Cyprianus epist. 12, (P. L. 3, 795 sqq.). 28) S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 68*, (P. G. 42, 183 sqq.). 29) S. Augustinus *De Haeresibus, Haeres. 81*, (P. L. 42, 45). 30) *Haeres. 69*, ibid. col. 43-44. 31) Ibid. (P. G. 42, 202 sqq.). 32) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 15, ibid. 67, 903-906. 33) *Orat. 1 contra Arianos*, ibid. 26, 18. 34) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 6, ibid. 67, 51-54. 35) Ibid. 18, 451. 36) S. Hieronymus *Comment. in Epist. ad Gal.* lib. 3, (P. L. 26, 403); Vincentius Lirin. *Commonit. 1*, ibid. 50, 642-643. 37) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1,

Quod, cum mirum in modum ipsomet in causa crevisset, brevi in magnam longeque pestilentem haeresim evasit.

Lutherani asserunt se graves causas habuisse separationis ab Ecclesia.

III. Autumant autem Lutherani non parvas, nec paucas causas habuisse separandi sese a catholica Romana Ecclesia. Georgius Mylius, agens de sensu et intellectu *Confessionis Augustanae*, ait,[38] quod « proprius et germanus sensus conscripti istius symboli ex consilio et scopo perspicue colligitur »; scopum autem duplicem esse: « prior... ut non tantum cum priscis haeresibus, sed cum recentibus etiam Sacramentariorum et Anabaptistarum furoribus nihil sibi commune esse ecclesia lutherana hoc scripto ostenderet; posterior vero, ut iustas sibi esse divortii ab Ecclesia Romana causas eadem commonstret ».

Assignant generatim sex causas,

Theologi academiae et ecclesiae Wittembergensis in *Confessione Doctrinae* suae, quam propositionibus 130 comprehensam anno 1570 ediderunt in lucem, asserunt[39] se necessarias causas habuisse, quibus se pontificiis coetibus seiunxerint, et ab Ecclesia, quae toto fere christiano orbe Romanum Pontificem agnoscit pastorem, separaverint. Assignant autem sex causas: Prima est, quod Catholici colunt idola et non bene docent de peccato originali, de iustificatione, de fide; secunda, quod prohibent coniugia quodque damnant Matrimonium et thorum immaculatum; tertia est, quod docent falsam panis transubstantiationem; quarta, quod pani tribuant adorationem; quinta, propter sacrificium Missae quod Catholici Deo offerunt; et sexta, quoniam laicis communio sub utraque specie sacrilege sit erepta.

quarum pleraeque expositae sunt in *Augustana Confessione*.

Sunt autem hae causae pleraeque omnes ex *Augustana Confessione* excerptae. Prima enim causa continetur in articulo postremo prioris partis, in quo agitur de cultu et veneratione Sanctorum;[40] in posteriori autem parte agitur de coniugio sacerdotum, de Missa, de communione sub utraque specie.[41] Et hae quidem causae visae sunt iustae et necessariae tanti schismatis et separationis a Romana Ecclesia, quamquam in Augustanis comitiis, cum Caesar dixisset Pro-

sect. 4, *Dissert. I*, pag. 137-140, et not. 14. 38) *Confessionis Augustanae Prolegomena*, cp. 2, T. 4b. 39) Agitur certe de opere, cui titulus: *Propositiones Complectentes Summam Praecipuorum Capitum Doctrinae Christianae* sonantis in Academia et Ecclesia Wittebergensi, de quibus *Confessionem* suam edituri sunt: Moller, Widebram, etc. Witebergae 1570. Notatur apud *Rosenthals Antiquariat*, München, Katalog 70, nr. 18612. Opus tamen invenire non potuimus. 40) I. L. t. 4, f. 164b. 41) Ibid. f. 164b sqq.

testantibus quod maxime timere deberent conscientiis suis, eo quod recederent ab unitate Ecclesiae et magis crederent apostatis quam Romanae Ecclesiae, Sanctis Patribus et generalibus conciliis; negaverunt, ut Cochlaeus scribit,[42] quod separaverint se ab Ecclesia generali.

Ostenditur has causas nec necessarias, nec iustas fuisse.

Non est autem necesse has causas, a tam multis viris sane doctissimis tantopere confutatas, hic amplius confutare ineptasque et vanas ac perquam falsas demonstrare. Sed, ne lacunam aliquam et locum vacuum relinquere videamur; tantum ostendemus causas istas tanti divortii neque necessarias, neque iustas fuisse, cum nulla solida veritate nitantur.

Et primo quidem doctrina *Confessionis Augustanae* non discrepat iuxta illos a doctrina R. Ecclesiae;

Et quidem quod spectat ad doctrinam ipsi principes, qui *Augustanam Confessionem* in Augustanis comitiis Caesari exhibuerunt, loquantur. In peroratione nanque et conclusione prioris partis ita aiunt:[43] « Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest nihil inesse quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est; sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa auctoritate in ecclesias irrepserunt ».

tantum pauci abusus in hac inveniuntur.

Et in epilogo ad calcem *Confessionis* dicunt[44] se in doctrina nihil recepisse quod sit contra Scripturam vel contra Ecclesiam catholicam. Sed et in *Praefatione* posterioris partis *Confessionis*, in qua de abusibus agitur, ita loquuntur: [45] « Cum ecclesiae apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt et contra voluntatem canonum vitio temporum recepti ».

Si ita est, quomodo pauci abusus fuerunt causa schismatis?

Nunc, quaeso, dicant Lutherani, cum, ut ipsi quidem autumant, in nullo fidei articulo ecclesiae ipsorum dissentiant ab Ecclesia catholica, prout asseritur; quomodo pauci quidam abusus potuerunt esse tanti schismatis necessariae causae?

At omnes schismatum auctores abusus prae-

IV. Omnes quidem schismatum auctores, ad turpem causam suam honestandam, solitos fuisse Ecclesiae abusus praetexere perquam notum est in ecclesiasticis historiis et Sanctis Patribus. Core, Dathan

42) *Acta M. Lutheri*, an. 1530, pag. 211. 43) I. L. t. 4, f. 164ª. 44) Ibid. f. 170ᵇ.
45) Ibid. f. 164ᵇ.

et Abiron contra Moysen et Aaron seditionem in populo et schisma non minimum excitantes, superbiam et usurpatam auctoritatem dominiumque tyrannicum sanctorum illorum principum praetexere conati fuerunt. Sed Deum fallere minime potuerunt, nec iram Dei iudiciumque iustissimum quidem, sed formidabili severitate plenissimum, evadere nequaquam valuerunt: [46] *Horrendum est incidere in manus Dei viventis!* [47] Nunquam autem legimus, nisi a similis farinae hominibus excitatum in Ecclesia Dei schisma.

texuerunt, ut Core, etc.,

sed a Deo puniti sunt.

Tempore Ioathan et Achaz regum Iuda, cum prophetarunt Isaias, [48] Amos, [49] Oseas, [50] Michaeas [51] et alii viri, Spiritu Dei pleni, longe magni erant abusus in populo Dei. Eos Isaias in principio suarum revelationum, Dei veluti personam indutus, Dei nomine et recenset, et arguit: *Audite, coeli,* inquit, *et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit..., populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra addentes praevaricationem? Omne caput languidum, et omne cor maerens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* [52] Et postea: *Nisi Dominus... reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrhae similes essemus.*

Fuerunt abusus tempore Ioathan et Achaz,

eosque Isaias arguit;

Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhae: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? [53] Et postea: *Manus...,* inquit, *vestrae sanguine plenae sunt.* [54] Et iterum: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* [55] Hos et multos alios abusus in populo Dei recenset Isaias multo maximos, nec tamen aut ipse aut aliquis alius aequalium suorum Prophetarum tales tantosque abusus existimavit necessarias causas schismatis faciendi.

et tamen causas necessarias schismatis non existimavit.

46) Cf. Nm 16, 1-35. 47) Hebr 10, 31. 48) Cf. Is 1, 1. 49) Cf. Am 1, 1.
50) Cf. Os 1, 1. 51) Cf. Mich 1, 1. 52) 1, 2-6. 53) Ibid. vrr. 9-11.
54) Ibid. vr. 15. 55) Ibid. vrr. 21-23.

Idem dicendum de temporibus Ieremiae,

Abusus in eodem populo Dei tempore Ieremiae prophetae, a matris utero sanctissimi, [56] praeter librum ipsius [57] apertissimo sermone recenset *Sacra Regum Historia*, [58] nec tamen vir Deo plenissimus propter eos schisma aliquod excitavit.

Quis est autem, qui vel a limine Sacras Litteras salutavit, qui ignorare possit abusus intolerandos in regno Israel iniquissimis temporibus vel maxime regis Achabi et Iezabelis? [59] Num propterea schisma aliquod instituit Elias propheta divinissimus? Aut post ipsum Eliseus eodem spiritu Eliae donatus? [60]

Eliae et Elisei.

Item tempore Apostolorum;

In Novo autem Testamento a tempore Apostolorum coeperunt in populo christiano abusus et multi et longe magni, quos in epistola *priore ad Corinthios* digna severitate castigat Apostolus. [61]

tempore Cypriani;

D. Cyprianus in commentario, quem scripsit *De Lapsis*, ostendit [62] quod suo tempore ante persecutionem Decii in Ecclesia christianae disciplinae vigor plane enervatus et corruptus erat. Et non modo populum christifidelium, verum etiam Episcopos haud levibus vitiis laborasse perditosque christianorum mores in causa fuisse crudelissimae sub Decio imperatore persecutionis Ecclesiae, iuxta illud *Psalmi: Si... dereliquerint... legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint, si iustitias meas profanaverint et praecepta mea non custodierint; visitabo in virga inquitates eorum et in verberibus peccata eorum.*[63] Neque tamen propter abusus tales Cyprianus, vir sanctissimus et doctissimus, excitavit schisma; sed Novatianus, facinorosus presbyter, praetexens corruptam ecclesiasticam disciplinam, auctor fuit magni schismatis, turbasque in Ecclesia movit. [64]

et non tantum in fidelibus, sed etiam in Episcopis;

tamen Cyprianus non movit schisma.

Nullus orthodoxus Pater propter abusus divisiones excitavit.

V. Et quidem mirabile est quod nunquam legimus aliquem orthodoxum Patrem, doctrina et sanctitate praestantem, propter quosvis abusus schisma aliquod in christiano populo excitasse, [nisi] de uno tantum Meletio, Lycopolis episcopo in Ægypto, qui schisma et haeresim Meletianorum, fautore Ario, conflavit.

Epiphanius

S. Epiphanius refert [65] quod fuerit vir bonus, nec a fide

56) Cf. Ier 1, 5. 57) Cf. ibid. 2, 7; 3, 25. 58) Cf. 4 Rg 17, 15-18; 21, 3-7; 23, 5-24; 24, 17-20. 59) Cf. 3 Rg 16, 30 sqq. 60) Cf. 4 Rg 2, 15. 61) Cf. 5, 1-5. 62) P. L. 4, 468-471. 63) Ps 88, 31-33. Vulg.: *Mandata*, loco: *Praecepta*. 64) Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 6, cp. 43, (P. G. 20, 615 sqq.); S. Cyprianus epist. 12, (P. L. 3, 795 sqq.). 65) *Adversus Haereses, Haeres. 68*, (P. G. 42, 183-190).

discesserit, licet fecerit sectam , quod una cum S. Petro, episcopo Alexandrino, in persecutione Christum confessus fuerit et zelo severioris disciplinae asseruerit eos, qui in persecutione lapsi fuissent et idolis sacrificassent, recipiendos facile non esse ad poenitentiam, sed post aliquot temporis spatium probatos in Ecclesiam colligendos. At vero, quoniam Petrus, vir sanctissimus, misericordia praeditus et velut pater ovium existens, lapsos recipiendos esse decernebat; Meletius cum suis separavit se a Petro, et ecclesiam constituit, quae dicta fuit martyrum ecclesia; at Petri nomen retinuit Catholicorum.

quidem refert, quod Meletius fuerit vir bonus;

Sed, ut Cardinalis Baronius in suis *Annalibus* scribit,[66] hac in re S. Epiphanius deceptus ab aliquo Meletiano scriptore fuit, a quo nesciens, historiam hanc minime veram mutuatus, a scopo veritatis aberravit. Sanctus enim Athanasius, vicinus illorum temporum, longe aliter scribit.

sed deceptus videtur a Meletianis;

Ita enim ait:[67] « Petrus, apud nos ante persecutionem episcopus et in persecutione martyr declaratus, Meletium, episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus et in primis quod idolis sacrificasset, in communi Episcoporum synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit, adeo ut illius sectatores etiam nunc pro christianis Meletiani vocitentur, ac iam tum in Episcopos convicia dicere incoepit, et primum Petrum, deinde eius successorem Achillam et post Achillam Alexandrum, idque magna cum calliditate exemplum ab Absalone mutuatus,[68] ut pudorem depositionis suae calumniis innocentium ulcisceretur ». Simili modo de isto Meletio Socrates scribit,[69] quod tempore persecutionis idolis immolavit, quod a Petro munere episcopatus abdicatus fuit, quod ducem haeresis se praebuit Petrumque maledictis conviciisque incesserit ac lacerarit.

nam Athanasius asserit Meletium multis criminibus convictum fuisse.

Idem refert Socrates.

Legimus in ecclesiasticis historiis[70] etiam Luciferum Calaritanum, in Sardinia episcopum, fuisse aliquando pium et pro catholica fide multa passum; nam a Constantio imperatore ariano una cum S. Eusebio Vercellensi episcopo in exilium relegatus fuit, pro eo quod

Etiam Lucifer Calaritanus pius aliquando fuit;

66) An. 306, t. 3, pag. 429-431; an. 310, ibid. pag. 474-475. 67) *Apologia contra Arianos*, (P. G. 25, 355). 68) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 69) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 6, (P. G. 67, 54). 70) Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 5, cp. 12, ibid. col. 1250-1251; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 2, ibid. 82, 1087-1090.

Nicaenam fidem damnare noluerit. Cuius rei gratia a S. Hilario in libro *Adversus Constantium Augustum* honorifice nominatur,[71] et a S. Hieronymo in *Dialogo adversus Luciferianos* beatus nuncupatur.[72]

sed in haeresim lapsus, separavit se ab Ecclesia et haereticus mortuus est, ut refert Eusebius Caesar.

Sed postea in errorem lapsus, ut auctor est Sulpicius,[73] separavit se a communione eorum, qui Episcopos, Arimini lapsos, Antiochiae sub satisfactione receperant, et, ut Rufinus Aquileiensis[74] scribit,[75] mortuus haereticus fuit. Eiusque sectatores, Luciferiani dicti, eo impudentiae devenerunt, ut dicerent in sola Sardinia esse veram Christi Ecclesiam, universum mundum esse diaboli factum de Ecclesia lupanar, et familiare eis erat hoc dicere, ut S. Hieronymus in vestibulo libri adversus eos scribit.[76]

Nullus ergo, doctrina et sanctitate clarus, schisma suscitavit propter abusus;

tantum perditi viri, ut Donatus, etc. hoc fecerunt.

Nunquam itaque reperimus a viro aliquo praestantis doctrinae et sanctitatis, quales fuerunt Irenaeus, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, schisma aliquod in populo christiano conflatum, virique prudentissimi et pientissimi iniquissimis etiam temporibus nunquam invenerunt necessarias imo ne iustas quidem schismatis faciendi causas. Tantum viri perditissimi Novatus, Donatus, Meletius, Arius similesque, iustissimas scilicet causas invenerunt, et post hos omnes, Lutherus una cum suis asseclis et manipularibus, apud quos longe plus valuit unus excucullatus monachus quam mille, quin etiam decies et centies mille Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini.[77]

In exponendis causis schismatis hoc firmiter tenendum: non esse quaerendam puriorem religionem, sed Patres esse sequendos,

Nos autem, ut parumper expendamus iustissimas et necessarias tanti schismatis causas, unum cum primis dicimus nolle nos pane triticeo meliorem quaerere, non fidem et religionem puriorem, quam prudentissimi, doctissimi, pientissimi sanctissimique maiores et parentes catholicae religionis sacrosanctae Romanae Ecclesiae habuerunt. Sufficit nobis Sanctorum Patrum in via salutis, in fide et religione sequi [vestigia].

et meminisse verborum

Satis nobis est quod Paulus, *ad Hebraeos* scribens, praecipit incunctanter et absque ulla haesitatione tenere: *Mementote praepo-*

71) Lib. 1, (P. L. 10, 562). 72) Ibid. 23, 175. 73) *Chronicorum*, lib. 2, ibid. 20, 155. 74) Ms.: *Eusebius Caesariensis*, cuius *Historia Eccles.* absolvitur lib. 9, et continuatur a Rufino. In antiquis editionibus *Historia* Rufini ut complementum Eusebii habebatur. Cf. Eusebii Op. Omn. t. 3, pag. 170-171, Basileae 1542. 75) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 3, (P. L. 21, 500-501). 76) Ibid. 23, 155. 77) *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 369[b].

sitorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ; optimum est enim gratia stabilire cor. [78] Nolumus transgredi *terminos..., quos posuerunt patres nostri,* [79] sed audire *disciplinam patris* nostri et non dimittere *legem matris* nostrae. [80]

Pauli: *Mementote praepositorum vestrorum*, etc.

VI. Dicunt cultum et venerationem Sanctorum esse idololatricam superstitionem ; [81] hanc nobis impingunt calumniam etiam Iudaei et Mahumetani. [82] Sed Sanctissimi Patres nostri Sanctos Dei, in coelo cum Deo beato aevo fruentes, honorarunt, venerati sunt, coluerunt, adorarunt, et Vigilantium [83] aliosque hagiomachos, [84] infami haereseos nota inustos, nigro lapillo signarunt, damnatosque anathemate diris devoverunt. Cumque per universum christianum orbem catholica Ecclesia cum in occidente, tum etiam in oriente ab antiquissimis temporibus Sanctos et Electos Dei tanquam Dei servos, amicos, filios heredesque, Christi autem fratres et coheredes a Deo et Christo honoratos, exaltatos, gloria et honore in coelo coronatos venerata fuit, coluit, invocavit, basilicis, imaginibus, festis, vigiliis, votis multisque aliis modis pie honoravit ; cum S. A u g u s t i n o [85] dicimus quod dubitare, an faciendum sit, quod ubique sancta facit Ecclesia, insolentissimae insaniae est. Prima igitur ratio non apodicticum argumentum, sed insolentissimae insaniae deliramentum est.

Dicunt ergo Lutherani cultum Sanctorum esse idololatriam;

sed hic est error in Vigilantio a Patribus damnatus.

Universa Ecclesia orientis et occidentis Sanctos semper coluit.

Scimus dixisse I o a n n e m : *Fugite idola ;* [86] sed scimus fugiendam docuisse gentilium idololatriam, hoc est, cultum summe impium daemonum, non piissimum cultum Sanctorum Dei.

Scimus non esse a Deo per expressum aliquod praeceptum mandatum nobis, ut Sanctos colamus ; sed scimus etiam non esse prohibitum, ut honoremus eos, de quibus dicitur : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus ; nimis confortatus est principatus eorum.* [87]

Ioannes quidem dicit: ***Fugite idola,*** **sed intelligit de cultu daemonum. Cultus Sanctorum non est praeceptus, sed commendatus.**

78) 13, 7-9. 79) Prv 22, 28. 80) Ibid. 1, 8. 81) I. L. t. 4, f. 210ᵃ-211ᵃ.
82) Quoad Iudaeos spectat, cf. Io. Seldenus *De Iure Naturali et Gentium*, etc. lib. 2, cp. 1. 6. Apud Bl. Ugolinum *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum*, vol. 27, col. 613-620.668-692. Quod vero ad Mahumetanos spectat, cf. Lud. Maraccius *Refutatio Alchorani, Refut. in Suram 2*, vr. 22, vol. 2, pag. 10. 17-18, Patavii, typographia Seminarii 1698. 83) S. Hieronymus epist. 109, (P. L. 22, 906-907). 84) Denzinger n. 984-988. 85) Epist. 54, cp. 5, (P. L. 33, 202).
86) 1 Io 5, 21. Vulg.: *Custodite vos a simulacris.* 87) Ps 138, 17. Vulg.; *Honorificati.*

Calumnia est dicere, quod Ecclesia Dei doceat homines posse instituere cultus Dei; cum sit Spiritus S., qui Ecclesiam docet.

Quod autem Romana Ecclesia doceat [88] posse homines cultus Dei instituere, [89] calumnia est, non enim homines, sed Spiritus Sanctus, qui in Ecclesia catholica Sanctos Dei docet *omnem veritatem,* [90] instituit speciales quosdam cultus secundum pietatem non praeceptos in lege Dei, sicut antiquos patres ante legem Moysi docuit sacrificiis et aliis piis actibus colere Deum. [91] Sufficit nobis quod calumnia ista minime nova est, nam antiqui hostes Ecclesiae calumniabantur christianos, quod homines mortuos pro diis colerent, sicut patet ex Cyrillo libro 6 *Adversus Iulianum* [92] et libro etiam 10,[93] ex Eusebio libro 4 *Historiae [Ecclesiasticae],* [94] et libro 8, [95] et ex Augustino *Contra Faustum,* [96] et ex S. Hieronymo *Contra Vigilantium.* [97]

Item calumnia est, quod non recte doceat de peccato originali, etc.

Calumnia item putida est, quod non bene doceat de peccato originali, iustificatione et fide, cum non aliter doceat quam Sanctissimi et doctissimi Patres ab initio semper hisce de rebus docuerunt.

Mendacium est dicere quod R. Ecclesia prohibeat coniugium; docet enim Matrimonium esse sacramentum.

VII. Secunda causa est, quod Romana Ecclesia prohibeat coniugium. Mirabile dictu! Magnum mendacii monstrum! Causa est a veritate quam alienissima. Quomodo, quaeso, Romana Ecclesia prohibet coniugia, quae constantissime docet Matrimonium esse de numero sacramentorum Christi? Si docet coniugia esse sacramenti divinitus instituti officia, praedicatque Matrimonium opus Dei spectare ad cultum Dei, imo esse sacramentum Dei; quomodo, quaeso, prohibet quod tantopere laudat, commendat, praedicat?

Damnat vero ut sacrilegium coniugium clericorum, qui se Domino devoverunt.

Sed de clerogamia loquuntur, de coniugio sacerdotum et monachorum, *qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum.* [98] At vero nos aliud putamus esse coniugium, aliud sacrilegium. Non prohibetur legitimum honorabileque coniugium, sed turpe et longe infame sacrilegium, ne quis fidem Deo datam frangat et damnationem sibi acquirat, ut serventur vota Deo facta iuxta illud: *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* [99] Quod si omne coniugium apud Deum et homines honorabile

88) Ms.: *Romanam Ecclesiam docere.* 89) Phil. Melanchthon *Loci Theologici*, part. 4, f. 294. 90) Io 16, 30. 91) Cf. Gn 4, 3-5. S. Athanasius, apud Migne *Cursus Completus Scripturae Sacrae*, t. 5, col. 231; S. Io. Chrysostomus *Hom. 18 in Genesim*, (P. G. 53, 155); S. Augustinus *Liber De Sex Quaest. contra Paganos, Quaest. 3*, (P. L. 33, 377); *De Civitate Dei*, lib. 10, cp. 4, ibid. 41, 281. 92) P. G. 76, 795. 93) Ibid. col. 1015. 1023. 94) Cp. 15, ibid. 20, 355-362. 95) Cp. 6, ibid. col. 754. 96) Lib. 20, cp. 4, (P. L. 42, 370). 97) Ibid. 23, 342-347. 98) Mt 19, 12. 99) Ps 75, 12.

est, cur multa Deus in lege vetavit coniugia ?[100] Cur non igitur coniugium inter fratrem et sororem ? Inter patrem et filiam, inter filium et matrem ?

In Luthero revixerunt Iovinianus et Vigilantius, ab Ecclesia damnati.

In Luthero[101] Iovinianus revixit, qui nuptias virginitati fecit aequales.[102] Quo auctore, ut Augustinus scribit,[103] sanctimoniales quaedam nupserunt, et, ut Hieronymus testis est,[104] Catholicos dicebat Manichaeos, quod prohiberent nubere. Primam asserebat[105] esse Dei sententiam: *Crescite et multiplicamini.*[106] Revixit et Vigilantius, qui neminem nisi uxoratum ad sacros ordines admittebat, ut D. Hieronymus litteris consignavit.[107] Episcopi, qui eius sceleris fuere consortes, nulli caelibi credebant pudicitiam, ac propterea diaconos non ordinabant, nisi prius duxissent uxores.

Ecclesiae doctrinam de clericorum caelibatu exponit Hieronymus, *in Vigilantium et Iovinianum* scribens.

Sed quid de clericorum caelibatu vetus Ecclesia senserit, vel unus Hieronymus, *in Vigilantium* scribens, palam faciat. Cum enim obiurgasset Vigilantianos episcopos, qui nonnisi uxoratis Christi sacramenta tribuebant, ait :[108] « Quid facient orientis ecclesiae ? Quid Ægypti et Sedis Apostolicae ? Quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt ? » Et ad calcem posterioris libri *in Iovinianum* ait :[109] « Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere, Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes, Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici ».

Patres concilii Carthaginensis asserunt, quod Apostoli docuerunt et antiquitas caelibatum servavit.

Sed quid, quod Patres concilii Carthaginensis II testificati fuerunt, quod Apostoli docuerint et antiquitas servaverit caelibatum ? « Omnibus, inquiunt,[110] placet ut Episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut, quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus ». Cumque hoc dixisset Aurelius episcopus, ab universis Episcopis dictum est : « Omnibus placet », etc. Quod si, ut aiunt, sacerdotum caelibatus iusta causa est schismatis

100) Cf. Ex 34, 15-16; Dt 7, 3; 1 Esr 9, 2; 10, 2 sqq. 101) *Exegesis in 7 cp. 1 Epist. ad Cor.* W. L. t. 5, f. 107. 102) S. Hieronymus *Contra Iovinianum*, lib 1, (P. L. 23, 212-213); S. Augustinus *De Haeresibus, Haeres. 82*, ibid. 42, 46. 103) Ibid. col. 45-46. 104) *Contra Iovinianum*, lib. 1, ibid. 23, 217. 105) Ibid. col. 213. 106) Gn 1, 28. 107) *Contra Vigilantium*, (P. L. 23, 340-341). 108) Ibid. 109) Epist. 48, seu *Liber Apologeticus ad Pammachium* pro libris *Contra Iovinianum*, ibid. 22, 510. 110) Can. 3-4, ibid. 67, 186-187.

et separationis ab Ecclesia, cur, quaeso, Sanctissimi Patres virique doctissimi Athanasius, Basilius, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus aliique istam ob causam non excitarunt in Ecclesia schisma, sed potius ad exemplum Christi caelibem vitam duxerunt, et religiosissime coluerunt?

Sophismata pro clerogamia non sunt referenda, quia putida.

Non est autem animus referre putida haereticorum sophismata, quae pro clerogamia adducunt, neque enim opus est. Satis sit ostendisse non iustam nec veram esse schismatis causam, sed meram calumniam, qua, uti diximus, tempore D. Hieronymi Iovinianus calumniabatur Catholicos, quod nuptias prohiberent sicut Manichaei.

Tertia causa est doctrina transubstantiationis, quam Lutherus introductam dicit a S. Thoma.

VIII. Inspiciamus tertiam causam. Est autem quod fingamus conversionem panis in Corpus Christi eamque novis et prodigiosis vocabulis nominamus. At vero nec Lutherus quidem transubstantiationem fecit iustam schismatis causam. In libro nanque *De Captivitate Babylonica*, ubi de Eucharistia agit, liberum cuique facit, [111] ut credat vel non credat transubstantiationem, dicens non esse articulum fidei, sed thomistarum opinionem ac S. Thomae inventum. Ubi etiam asserit [112] quod « Ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit, nec usquam, nec unquam, ait, de ista transubstantiatione, portentoso scilicet vocabulo et somnio, meminerunt Sancti Patres, donec coepit Aristotelis simulata philosophia in Ecclesia grassari in istis trecentis novissimis annis ».

Sed haec vox adhibita fuit in concilio Lateranensi sub Innocentio III.

Viderit Lutherus an D. Thomas fuerit auctor huius sententiae, cum transubstantiationis apertissima fiat mentio in Lateranensi concilio, [113] quod sub Innocentio III celebratum fuit, priusquam D. Thomas nasceretur, viderit etiam an transubstantiationis mentio facta sit ante annum 1200. [114]

Ipse Melanchthon ait, quod Romana et Graeca Ecclesia transubstantiationem tenuerunt et tenent.

Philippus in defensione articuli 10 de Coena Domini, ad probandam praesentiam veram Corporis Christi in sacramento; ait: [115] « Comperimus non tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem praesentiam Christi, sed idem et nunc sentire et olim sensisse Graecam ecclesiam, id enim testatur canon Missae apud illos, in quo aperte orat sacerdos, ut, mutato pane, ipsum Corpus Christi fiat ».

111) W. L. t. 2, f. 70. 112) Ibid. f. 70ᵇ. 113) Denzinger n. 416. 114) *Apologia Confess. Augustanae, Corpus Reform.* vol. 27, col. 534. 115) Ibid.

Et in hanc sententiam, Theophylactum adducens, ait:[116] «Bulgarius scriptor, ut nobis videtur non stultus, diserte inquit panem non tantum figuram esse, sed vere in carnem Christi mutari. Et quidem quod nos dicimus transubstantiationem Theophylactus transmutationem vel transformationem dicit». Vixit autem Theophylactus nono saeculo sub Michaele et Theodora.[117] Scribens autem *in Matthaeum* in illud:[118] *Hoc est corpus meum*, ait:[119] «Non enim dixit: Hoc est figura corporis mei, sed: *Hoc est corpus meum;* ineffabili enim operatione transmutatur, etiamsi nobis videatur panis».

citans ad hoc Theophylactum, qui hanc doctrinam proponit,

Quem locum ad eundem modum etiam Euthymius Zigabenus interpretatus fuit:[120] «Panem, inquiens, et vinum ineffabiliter transmutat in ipsum Corpus et Sanguinem suum». Idem Theophylactus *in Marcum* scribens, ait[121] quod panis convertitur in Corpus Christi. Et *in Ioannem* inquit:[122] «Transformatur arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem et accessionem Spiritus Sancti in carnem Christi». Ante Theophylactum S. Ioannes Damascenus hac de re ita loquitur:[123] «Panis vinumque et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutatur in Corpus et Sanguinem Christi».

sicut etiam Euthymius Zigabenus

et Damascenus,

Sed, ne causentur non adeo vetustos esse praenominatos auctores, cuius rei gratia Hugonem Victorinum intermittimus, qui ante D. Thomam docuit,[124] «quod vera panis et vera vini substantia per verba sanctificationis in verum Corpus et Sanguinem Christi convertitur, sola specie panis et vini remanente et substantia in substantiam transeunte»; audiant Patres antiquissimos.

D. Ambrosius ait:[125] «Panis iste panis est ante verba consecrationis; ubi accesserit consecratio, de pane fit Corpus Christi». S. Cyrillus Ierosolymitanus: «Aquam, inquit,[126] aliquando mutavit in vinum; et non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutarit?» Itemque:[127] «Sub specie panis datur tibi Corpus, et sub specie vini datur tibi Sanguis». Et praeterea:[128] «Hoc

item Ambrosius,

Cyrillus Ieros.

116) Ibid. W. L. t. 5, f. 208. 117) De tempore quo vixit Theophylactus, cf. apud Migne *Dissert. De Aetate, Gestis, Scriptis ac Doctrina Theophylacti*, (P. G. 123, 9 sqq.). 118) Mt 26, 26. 119) P. G. 123, 443. 120) Cp 64, ibid. 129, 667. 121) Ibid. 123, 650. 122) Ibid. col. 1307. 123) *De Fide Orthodoxa*, lib. 4, cp. 13, ibid. 94, 1146. 124) *De Sacramentis*, lib. 2, cp. 9, (P. L. 176, 468). 125) *De Sacramentis*, lib. 4, cp. 4, ibid. 16, 439-440. 126) *Catechesis Mystagogica 4*, (P. G. 33, 1098). 127) Ibid. col. 1099. 128) Ibid. col. 1103.

sciens et pro certissimo habens panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat ».

Cyprianus

Cyrillo antiquior Cyprianus in *Sermone De Coena Domini* ait: [129] « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro ».

et fere omnes, qui interpretati sunt verba Domini: *Hoc est corpus meum.*

Nec pluribus antiquorum Patrum testimoniis opus esse existimo ad veritatem hanc comprobandam, cum omnes, qui verba Christi interpretati sunt: *Hoc est corpus meum*, manifeste agnoverint et confessi fuerint conversionem panis in corpus Christi. [130] Non est igitur res nova, sed perquam vetus, omnibus Sanctis Patribus agnita, praedicata, celebrata.

Displicet Lutheranis nomen transubstantiationis, sicut displicuit Arianis homousion et Nestorianis theotocos.

Sed forte vocabulum transubstantiationis displicet tanquam novum, ac propterea inauditum, prodigiosum, monstruosum eis dicitur. Sed ita displicuit Arianis nomen homousion [131] et Nestorianis nomen theotocos. [132] Causa itaque ista tertia tanti schismatis non modo iusta non est, sed prorsus nulla est, falsissima est, mendaciis nititur, et mera calumnia est.

Doctrina Lutheri de remanentia panis cum corpore Christi damnata fuit in concilio Romano.

Et Lutheri quidem ac Lutheranorum communis sententia, quod panis cum corpore Domini in coena revera maneat, [133] damnata fuit in concilio Romano sub Nicolao II [134] et in concilio item Romano sub Gregorio VII, [135] in quibus damnata fuit haeresis Berengarii tempore S. Anselmi, sicut ipse testatur in epistola *De Corpore Domini*, dicens: [136] « Panis substantiam post Domini Corporis consecrationem in

129) T. 3, pag. 419, Antuerpiae 1589. 130) S. Iustinus *Apologia 1 pro Christianis*, (P. G. 6, 427-430); S. Io. Chrysostomus *Hom. 68 in Matth.* ibid. 58, 507-508; *Hom. 82 in Matth.* ibid. col. 743-744; Tertullianus *Adversus Marcionem*, lib. 4, cp. 40, (P. L. 2, 460); S. Gaudentius *Sermo 2*, ibid. 20, 858-859; S. Hieronymus *Comment. in Evang. Matth.* lib. 4, ibid. 26, 195; S. Augustinus *Enarrat. in Ps. 33*, ibid. 36, 306-308; S. Eligius *Hom. 8*, ibid. 87, 625.
131) S. Athanasius *De Synodis*, (P. G. 26, 742-743); epist. *ad Afros Episcopos*, ibid. col. 1035; S. Ambrosius *De Fide*, lib. 3, cp. 15, (P. L. 16, 614). 132) Cassianus *De Incarnatione*, lib. 2, cp. 2, (P. L. 50, 31-32); Vincentius Lirin. *Commonit. 1*, ibid. col. 654-655; S. Cyrillus Alex. epist. 13, (P. G. 77, 95); Nestorius epist. 1 *ad Coelestinum Papam*, (P. L. 50, 438-441); Socrates *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 32, (P. G. 67, 807-811). 133) M. Lutherus *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. W. L. t. 7, f. 382ᵇ sqq.; *Confessio Augustana*, art. 10: « De Coena Domini docent quod cum pane et vino vere exhibeantur Corpus et Sanguis Christi vescentibus in Coena Domini ». Phil. Melanchthon Op. Omn. part. 1, f. 40ᵇ. Et idem in *Apologia Confessionis Augustanae* ait: « Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores, scilicet: Confitemur nos sentire quod in Coena Domini vere et substantialiter adsint Corpus et Sanguis Christi, et vere exhibeantur cum illis rebus, quae videntur, pane et vino, his qui sacramentum accipiunt ». Ibid. f. 83ᵃ. 134) Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 9, col. 1101-1102.
135) Ibid. t. 10, col. 378-379; Denzinger n. 355. 136) P. L. 180, 342. Hoc opus olim S. Anselmo attribuebatur, nunc autem Guillelmo Abbati S. Theodorici vindicatur. Cf. *Praefat.*

altari superesse semper abhorruit pietas christiana, nuperque damnavit in Berengario ».

IX. Sed de tertia ista causa schismatis satis sit dictum; discutiamus quartam, quod pani tribuamus adorationem, et ἀρτολατρείαν [137] doceamus. Et quidem Luthero vehementer displicuit adoratio divini sacramenti Eucharistiae, et in libro *ad Waldenses* multa dicit [138] contra processionem, quae fit in die Corporis Christi, damnatque adorationem omnino, licet credat in Eucharistia esse Corpus Domini.

Quarta causa est, quod panem adoramus in Eucharistia.

Nescio autem quomodo causa haec cum superiore cohaereat. Ibi obiurgabamur, quod non crederemus verum panem in sacramento, sed doceremus totam substantiam panis converti in Corpus Christi; hic autem accusamur, quod adoremus panem. At quomodo adoramus panem, cum non credamus ibi esse panem, sed Corpus Domini vivum verumque?

Sed quomodo hoc dici potest, si non credimus ibi esse panem?

Mittam quod Lutherus ipse articulo decimo sexto contra Lovanienses dicit [139] S. Eucharistiam non modo venerabilem, sed etiam adorabilem, et quod ipsi Lutherani in actione coenae cantant: [140] « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis », et: « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem », ex veteri more Ecclesiae catholicae in Missa. [141] Tantum dico ad convellendam istam calumniam, quod nos orthodoxorum Patrum doctrinam obtinemus.

Lutherus ipse et Lutherani Eucharistiam adorabilem tenent.

Gregorius Nazianzenus in oratione *De Gorgonia* sorore sua ait [142] quod cum ipsa, pietatis omnis levissimum speculum, gravi morbo laboraret, in ecclesiam se proripuit, et eum, qui super altare colitur, adoravit, et pie precata exaudita fuit et sanitatem consecuta. Quod quidem exemplum manifeste ostendit indubiam tunc etiam temporis fuisse Ecclesiae fidem Christum Domini in Eucharistia esse adorandum.

Gregorius Naz. narrat, quod soror sua Gorgonia graviter laborans, Eucharistiam adoravit, et sanitatem consecuta est.

D. Augustinus interpretatur [143] illud *Psalmi: Adorate scabellum pedum eius,* [144] de Christi carne in Eucharistia adoranda. Itemque

Augustinus et Ambrosius

in Opera B. Guillelmi, ibid. col. 202-203. 137) Ms.: Αρτολατρειαν. 138) *Von Anbeten des Sacraments*, W. G. t. 7, f. 341b-342. 139) Cf. *Contra XXXII Articulos Lovaniensium Theologistarum*, W. L. t. 2, f. 503a. 140) Cf. M. Luthers *Ein Weise Christliche Messe zu halten*, W. G. t. 7, f. 365a. 368a; *Deudsche Messe und Ordnung Gottes Diensts*, ibid. f. 374a. 141) Cf. *Canon Missalis Romani*. Certe huius instituti auctor est S. Sergius I, qui pontifex fuit an. 687-701; quamvis alii censeant tribuendum esse concilio Nicaeno. (P. L. 89, 28-29, not. d). 142) *Orat. 8*, (P. G. 35, 810). 143) *Enarrat. in Ps. 98*, (P. L. 37, 1274-1275). 144) Ps 98, 5.

verba: *Adorate scabellum*, etc., de Eucharistia adoranda interpretantur.

illud: *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae,*[145] de Eucharistia exponit;[146] quod veniunt ad mensam, manducant et adorant.

S. Ambrosius alicubi versans illud: *Adorate scabellum pedum eius:* « Per scabellum, inquit,[147] terra intelligitur, per terram caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu adoraverunt ».

Eadem doctrina exhibetur ab Origene.

Origenes: « Cum, inquit,[148] manducas et bibis Corpus et Sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo, humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, et dicito: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum;*[149] ubi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti ».[150]

Si idololatria est Christum in Eucharistia adorare, idololatrica fuit adoratio Magorum.

Ex his autem manifesta est fides veteris Ecclesiae et mos adorandi Christum in Eucharistia. Nec tamen ullus Patrum improbavit, aut iustam causam schismatis et separationis ab Ecclesia arbitratus fuit. Bone Deus! Christum vivum verumque Dominum et Deum nostrum in Eucharistia adorare idololatricum est? Cur idololatricum non fuit Magis ipsum in praesepio adorare?[151]

Quinta causa est, quod dicimus Missam esse sacrificium, quod a Luthero abominatio dicitur.

X. Quintam causam brevi examinemus. Est autem quod fingamus Missam esse sacrificium, cum non sit nisi testamentum Christi, et sacramentum ac nullibi in Sacris Litteris dicatur sacrificium. Et quidem Lutherus multa admodum fuse et furiose scripsit contra Missam in libro *De Captivitate Babylonica,*[152] in libro *De Missa Privata,*[153] in libro *Adversus Regem Angliae,*[154] in libro *Adversus Canonem Missae,*[155] in libro *De Verbis Coenae Domini contra Zwinglianos,*[156] in libro *De Confessione* sua,[157] ubi ait supra omnem abominationem se habere Missam et nihil magis dolere quam quod per annos quindecim more Catholicorum celebraverit Missas, et tandem in libro *De Missa Privata et Unctione Sacerdotum.*[158]

Sed a diabolo hoc didicit.

Sed unde, quaeso, didicit Missam esse magnam abominationem? Ait ipse in novissime memorato libro a diabolo se hoc didicisse et

145) Ps 21, 30. 146) *Enarrat. in Ps. 21,* (P. L. 36, 170). 147) *De Spiritu Sancto,* lib. 3, cp. 11, ibid. 16, 794-795. 148) *In Diversos N. T. Hom. 6,* part. 2, pag. 441, Basileae 1571. 149) Mt 8, 8. 150) Cf. 1 Cor 11, 29. 151) Cf. Mt 2, 1-12. 152) W. L. t. 2, f. 71-73. 153) Ibid. f. 260ª. 261ª. 265ª. 268-269. 154) Ibid. f. 262ª-263ª. 267-309. 155) Ibid. f. 421-422. 156) Ibid. t. 7, f. 415-417. 157) *Bekentnis vom Abendmal Christi,* W. G. t. 2, f. 206ª. 158) W. L. t. 7, f. 236-237. 246.

quinque argumentis convictum fuisse.[159] Nos autem diabolum sequi nulla in re volumus aut habere magistrum, scimus enim quod mendax est et mendacii pater.[160] Ecclesiam sequimur et Sanctos Patres Divino Spiritu afflatos. Sancti autem Patres Missam saepe dicunt sacrificium secundum ordinem Melchisedech,[161] victimam, hostiam, quae offertur, immolatur, sacrificatur Deo a sacerdote super altare in Ecclesia Christi.[162] Quod cum probe nosset Lutherus, Patribus omnibus valedixit.

Nos Patres sequimur, qui unanimiter docent Missam esse sacrificium; quod probe noverat Lutherus.

In libro nanque *De Captivitate Babylonica*, loquens de dictis Patrum, ait:[163] «Tutius est omnia negare quam Missam sacrificium esse concedere». Et in libro *De Abroganda Missa:*[164] «Profiteor in primis quod adversus eos, qui clamaturi sunt quod contra ritum Ecclesiae, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum». Et in libro *De Missa Privata* quam arrogantissime:[165] «Hic non moramur, inquit, si clament papistae: Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus, scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse adeoque Apostolos. Verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos adeoque ipsos Angelos». Ita sane Lutherus diabolum audire et sequi maluit quam Sanctos Patres, quam Ecclesiam, quam Prophetas, Apostolos, Angelos ipsos.

Ideo Patribus valedixit.

et maluit diabolum sequi.

Et ubi, quaeso, dicit, Scriptura, quam tantopere iactat, Missam non esse sacrificium? Sine Scriptura docet Missam esse sacramentum,[166] et tam vehementer improbat quod sit sacrificium ea potissimum de causa quod in Scriptura non appellatur sacrificium. Sed ubi appellatur sacramentum?

Sine Scriptura docet Eucharistiam esse sacramentum, et negat esse sacrificium.

159) Ibid. f. 228-229. 160) Cf. Io 8, 44. 161) Clemens Alex. *Stromatum*, lib. 4, cp. 25, (P. G. 8, 1370-1371); S. Io. Chrysostomus *in Genesim*, *Hom. 35*, ibid. 53, 328; *Hom. 36*, ibid. col. 336-337; S. Cyprianus epist. 63, (P. L. 4, 375-376); S. Ambrosius *De Mysteriis*, cp. 8, ibid. 16, 403; *De Sacramentis*, lib. 5, cp. 1, ibid. col. 445-446; S. Augustinus epist. 177, ibid. 33, 769; *De Civitate Dei*, lib. 16, cp. 22, ibid. 41, 500; Alcuinus epist. 90, ibid. 100, 289; Rabanus Maurus *De Clericorum Institutione*, lib. 1, cp. 31, ibid. 107, 321. 162) S. Iustinus *Dialogus cum Tryphone Iudaeo*, (P. G. 6, 743-746); S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 4, cp. 17-18, ibid. 7, 1019-1029; S. Cyrillus Ieros. *Catechesis Mystagogica 5*, ibid. 33, 1115-1118; S. Io. Chrysostomus *Adversus Iudaeos*, ibid. 48, 918-919; *De Proditione Iudae*, *Hom. 1*, ibid. 49, 380; S. Cyprianus epist. 63, (P. L. 4, 376. 385-386); S. Ambrosius *Exposit. in Lucam*, cp. 1, ibid. 15, 1542; epist. 65, ibid. 16, 1223-1224; S. Augustinus *Confessionum*, lib. 9, cp. 13, ibid. 32, 778; *Enarr. in Ps. 39*, ibid. 36, 441-442; *De Civitate Dei*, lib. 10, cp. 6 et 20, ibid. 41, 284. 298; S. Fulgentius *ad Monimum*, lib. 2, cp. 6, ibid. 65, 184-185. 163) W. L. t. 2, f. 76a. 164) Ibid. f. 257b. 165) Ibid. t. 7, f. 231b. 166) *Kurtz Bekentnis vom Heiligen Sacrament*, W. G. t. 2, f. 226a; *Wider die XXXII Artickel der Theologisten zu Löuen*, ibid. t. 12, f. 340b.

Doctrina Ecclesiae confirmatur ex liturgiis totius christianni orbis.

Usum autem Missae in Ecclesia catholica toto christiano orbe ostendunt liturgiae Sanctorum Patrum Chrysostomi, [167] Basilii, [168] et etiam Iacobi apostoli. [169] Hoc nobis sufficit; nam, uti diximus, fidem, quam in Ecclesia Dei Sancti Patres tenuerunt, tenere volumus, nec cum Novatoribus quaerere meliorem et cum ipsis in haeresim incidere. Nemo Sanctorum Patrum Missam vituperavit, omnes summa cum pietate et coluerunt et venerati sunt tanquam divinissimum mysterium et gratissimum Deo sacrificium. Unus vel maxime haereticorum omnium Lutherus, auctore et magistro diabolo, horrenda summeque blasphema in Missam coniecit maledicta, unde patet quomodo auctores lutherani Missam faciant iustam causam sacrilegi et parricidalis schismatis.

Sexta causa est, quod laicis negamus communionem sub utraque specie. Dicendum quod Sancti Patres saepius sub una specie Eucharistiam ministrarunt.

XI. Nunc demum sextam postremam causam paucis expendamus strictimque retundamus. Est autem quod laicis alteram Coenae partem sacrilega impietate eripiamus contra institutionem et mandatum Christi, quo ait: *Bibite ex hoc omnes.* [170] Sed in hac sacrilegii causa non solum nos huius temporis Catholicos criminantur, sed universam pene priscorum Patrum antiquitatem impie blasphemant; manifestum est enim Sanctos Patres sub una specie S. Eucharistiam administrasse. Unde evincitur non fuisse unquam illa Evangelii verba: *Bibite ex hoc omnes*, a Patribus orthodoxis in eam sententiam accepta. Seipsos etiam constituunt gravissimi criminis reos, nam, contempto Ecclesiae antiquissimo usu, contra decretum Ecclesiae sibi sumunt utramque speciem, ubi moris non erat. [171]

Communio sub una specie est consuetudine introducta in Ecclesia occidentali. Ecclesia damnavit novatores Boihemos, qui hanc consuetudi-

Et quidem haec ab haereticis tantopere suggillata communio sub una specie non est aliqua Ecclesiae catholicae lege introducta, sed pio christiani populi in multis partibus usu, maxime in occidentali Ecclesia, nam in orientali ob studium antiquae consuetudinis etiam nunc utramque speciem sumunt, nec tamen ea de causa a quoquam male audiunt aut damnantur. Sed, quia Novatores quidam in Boihemia usum communionis sub altera tantum specie damnare coeperunt et sacrilegii accusare, sacrosancta Dei Ecclesia catholica audacem

167) P. G. 63, 902 sqq. 168) Ibid. 31, 1030 sqq. 169) *Bibliotheca Veterum Patrum*, t. 6, col. 1 sqq. Parisiis 1589. 170) Mt 26, 27. 171) Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 2, cp. 5, pag. 350-351.

istum sacrilegumque conatum in Constantiensi concilio retundere et frangere decrevit;[172] ita tamen ut declararit licere utramque speciem sumere ubi moris est et ex consensu atque arbitrio suorum praepositorum probatum fuerit.[173]

nem sacrilegam dicebant; declaravit tamen licere communionem sub utraque specie, ubi moris erat. Et haec ergo calumnia est.

Mera igitur calumnia est quod nos laicis alteram Coenae partem sacrilego more eripiamus, et contra Christi praeceptum faciamus, cum nullum prorsus extet Christi praeceptum communicandi vel sub altera vel sub utraque specie, sicut Lutherus ipse non semel atque iterum litteris consignavit.[174]

Antiquus est mos communicandi sub una specie.

Saepius in Evangelio et in *Actis* fractio panis *communio* dicitur.

Antiquissimum autem Ecclesiae catholicae morem fuisse communicandi sub una tantum specie maxime in laica communione ignorare, longe magnae inscitiae est. Nam, ut mittam quod non una tantum vice in Evangelio, verum etiam pluries in *Actis Apostolorum* a Luca panis fractio appellatur *communio*,[175] et quod Dominus ait: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;*[176] et: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum;*[177] et: *Qui manducat me..., vivet propter me;*[178] et: *Hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducet, non moriatur;*[179] habemus apertissima antiquitatis exempla.

Notissima sunt exempla a Patribus et scriptoribus adducta.

Notissimum est exemplum Serapionis senis, quod scribit Eusebius libro *Historiae* ex epistola Dionysii Alexandrini *ad Fabium Antiochenum;*[180] exemplum quod scribit Sozomenus libro 8 *Historiae*[181] et Nicephorus libro 13[182] de femina quadam haeretica macedoniana, quae, Chrysostomo sacris operante, accepit in manibus sacram Eucharistiam cum ceteris Catholicis, ut seipsam simularet catholicam; exemplum Satyri, fratris germani S. Ambrosii, qui secum Sacram Eucharistiam detulit, navigans, in orario repositam;[183] notissimum exemplum apud Leonem Papam,[184] quod Manichaei Romae, ut haeresim suam tegerent et catholicam fidem simularent, soliti fuerint panem Eucharistiae cum Catholicis sumere, non tamen calicem bibere, arbitrabantur enim *vinum esse fel*

172) Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia*, t. 12, col. 100; Denzinger n. 626. 173) Usus calicis *Utraquistis* concessus fuit a Pio IV. Cf. Lud. Pastor *Storia dei Papi*, vol. 7, cp. 7, pag. 353 sqq. 174) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 63^b-64^a; *De Formula Missae et Communionis pro Ecclesia Wittembergensi*, ibid. f. 386^a. 175) Cf. 2, 42. 46; 20, 7. 11. 176) Io 6, 59. 177) Ibid. vr. 52. 178) Ibid. vr. 58. 179) Ibid. vr. 50. Vulg.: *Manducaverit*. 180) Cp. 44, (P. G. 20, 630-631). 181) Cp. 5, ibid. 67, 1527-1530. 182) *Hist. Eccles.* lib. 13, cp. 7, ibid. 146, 954-955. 183) S. Ambrosius *De Excessu Fratris sui Satyri*, lib. 1, (P. L. 16, 1303-1305). 184) *Sermo 52*, cp. 5, ibid. 54, 279-280.

draconum... et venenum aspidum insanabile.[185] Unde manifestum est quod, si omnes Catholici semper sub utraque specie communicassent, Manichaei nullo modo latere potuissent. D. Hieronymus in *Apologia pro Libris adversus Iovinianum* scribit[186] quod Romae fideles solerent sacram Eucharistiam in domos suas deferre et ibi, cum magis liberet, communicare.

Addendum quod nullus Patrum Manichaeos, sub una specie Eucharistiam sumentes, ex hoc capite damnavit.

Unum adhuc dicam quod, cum Manichaei nonnisi sub specie panis Eucharistiam sumerent, et quidem ex errore, quoniam arbitrabantur Christum non habuisse verum sanguinem;[187] nemo tamen orthodoxorum Patrum, qui in eos scripserunt, eos sacrilegii coarguit, quod contra Christi institutum et mandatum sub altera tantum specie communicarent. Et cum ab antiquissimis temporibus multi tantum sub una specie communicarint, nemo Sanctorum Patrum communionem hanc ullo modo damnavit, nemo scivit tantum esse sacrilegium, ut esset iusta causa schismatis et separationis ab Ecclesia catholica.

Postremo dicunt Lutherani se a R. Ecclesia seiunxisse, quia tria priora symbola integra non tenet, quod falsum est. Nulla ergo fuit iusta causa schismatis.


XII. Dicunt autem boni viri se membra esse catholicae Ecclesiae nec nisi a Romana Ecclesia seipsos seiunxisse.[188] Catholicam Ecclesiam autem definiunt quae integra retinet tria symbola: Apostolicum, Nicaenum et Athanasianum,[189] quasi vero Ecclesia Romana non haberet tria ista symbola et non illibata et integerrima servaret.

Nunc, ut concludamus, manifestum est nullam iustam nec veram quidem habuisse Lutheranos causam discedendi et separandi sese ab Ecclesia Romana ac propterea revera crimen schismatis et haereseos incurrisse et in eo statu esse, in quo Paulus una cum multis aliis impietatis cultoribus schismaticos et haereticos constituit, dicens quod *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Connexio cum sequentibus.

Sed, iam cum pro instituto satis dixerimus, cum de Lutheri persona tum etiam de lutheranismo ab ipso excitato, hoc est, de arbore et fructibus eius, de parente et filiis; doctrina ipsius, quam veluti de coelo allatam Lutherani omnes suspiciunt, mirantur tuenturque, inspicienda nobis est, et a fundamentis qualis qualis sit ostendenda. Deus fortunet opus, ipse enim *adiutor noster* est *in aeternum.*[190]

185) Dt 32, 33. Vulg.: *Fel draconum vinum eorum.* 186) Epist. 48, (P. L. 22, 506). 187) S. Augustinus *De Haeresibus, Haeres. 4,* (P. L. 42, 37-38). 188) Cf. Phil. Melanchthon *De Ecclesia et de Authoritate Verbi Dei,* t. 1, pag. 445; *Confessio Augustana,* art. 21, t. 3, pag. 18, ed. Basileae 1541. 189) Cf. *Praefat.* Phil. Melanchthonis ad 2 t. Op. Lat. M. Lutheri, W. L. t. 2, f. V[a]; Phil. Melanchthon *Loci Theologici,* t. 1, f. 149[a] ed. postrema an. 1545. 190) Ps 61, 9.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII EX ORIGINALI QUARTA PARTE DEMINUTO

SECTIO SECUNDA

DE DOCTRINA ET INGENIO M. LUTHERI

DISSERTATIO UNICA

DISQUIRITUR AN MARTINUS LUTHERUS REVERA HOMO SOLERTI INGENIO FUERIT ET PRAESTANTI DOCTRINA REFERTUS [1]

I. Mirum quam magnum scientiae thesaurum tribuant protoparenti suo Lutherani; non enim tantum encyclopaediam, hoc est, omnium artium, disciplinarum doctrinarumque perfectam scientiam, verum etiam divinam quodammodo sapientiam ipsum autumant consecutum, cum ipsi soli longe magis quam omnium orthodoxorum Patrum aliorumque omnium Doctorum choro fidendum existimaverint, atque ita, relictis ac pessumdatis omnibus, uni tantum Luthero adhaeserunt. [2]

Lutherani extollunt ingenium et doctrinam Lutheri magis quam omnium;

Quin Lutherus ipse tantum sibi tribuit scientiae et doctrinae, ut omnes alios omnium saeculorum ecclesiasticos Doctores quasi Mysorum ultimos [3] longe maxime contempserit; tantaque tumuit scientiae opinione, ut academias omnes et nobilissima quaeque in christiano orbe litterarum emporia nonnisi asinorum stabula, doctoresque omnes, praesertim vero scholasticos theologos, non modo doctorellos, magistrellos, sophistas, sed asinos porcosque diceret; [4] novus Carpocrates, auctor, ut Irenaeus scribit, [5] Gnosticorum, qui sibi solis scientiam om-

quin Lutherus ipse se omnibus praefert,

novus Carpocrates, vin-

1) Cod. 2, f. 373ᵃ-380ᵇ. 2) Cf. Io. Alb. Fabricius *Centifolium Lutheranum*, pag. 377-395, Hamburgi 1728. 3) Populus, qui Asiae regionem incoluit finitimam Hellesponto et Propontidi, a Romanis subiectus et ab ipsis ut abiectissimus omnium populorum habitus. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Mysi.* 4) Cf. S. Laurentius *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 296 sqq. 5) *Adversus Haereses*, lib. 1, cp. 25, (P. G. 7, 680-685).

dicans sibi soli scientiam;

nem vindicabant, cum revera homines essent maxime sordidi; quare et Borboritae, quasi coenosi, propter eorum execrandas turpitudines dicebantur, turpissime enim vivebant, ut Epiphanius refert.[6] Lutherus autem esse voluit maximus Gnosticorum, dum uni sibi soli scientiam omnem usurpavit;[7] alter veluti Eunomius, qui ut D. Basilius tradit,[8] princeps totius haeresis apparere concupivit, et, ut Theodoretus tradit,[9] ausus fuit dicere nihil se ex rebus divinis ignorare, eandemque de Deo se habere cognitionem, quam de seipso habet ipse Deus; novus Nestorius, qui affirmabat se primum et solum Sacram Scripturam [intelligere], omnesque eos, qui magisterii munere praediti ante Divina Eloquia tractassent, Sacras Litteras ignorasse, totamque semper errasse Ecclesiam, quae nonnisi ignaros erroneosque doctores secuta erat, quemadmodum de ipso narrat Vincentius Lirinensis.[10] Talis tantaque fuit hominis scelerata praesumptio et execranda impiae mentis arrogantia! Sed hac in re longe est Luthero inferior; neque enim ille divinam sibi scientiam tribuit, neque dixit unquam certum se esse quod dogmata sua haberet e coelo.[11] Quod res est dicimus, nihil per amplitudinem exaggeramus; philosophice, non oratorie scribimus.

alter Eunomius, tribuens sibi perfectam cognitionem Dei; novus Nestorius, vindicans sibi soli scientiam Scripturarum.

Fuit Lutherus ardentis ingenii, sicut generatim omnes haeresiarchae;

II. Quod verum est non inficiamur: primum quidem fuisse Lutherum hominem ardentis ingenii. Nam, ut D. Hieronymus, *in Oseam* scribens, ait,[12] «haereticorum terra fecunda est, qui, a Deo acumen sensus et ingenii percipientes, ut bona naturae in Dei cultum verterent, fecerunt sibi ex his idola. Nullus enim potest haeresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, et habet dona naturae, quae a Deo artifice creata sunt». Ipsa autem Lutheri scripta testatissimum faciunt ardorem ingenii; eius nanque oratio et ardentissima et vehementissima ac longe acerrima est, maxime cum in adversarios suos invehitur, in quos iugiter furenter potius quam ardenter oratione

6) *Adversus Haereses, Haeres. 26*, ibid. 41, 331-338. 7) *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 357ᵃ. 369ᵇ; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 329-330ᵃ; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 229ᵇ; *Sendbrif vom Dolmetschen und Fürbitt der Heiligen*, I. G. t. 5, f. 162ᵇ-163ᵃ; cf. etiam Grisar op. cit. B. 2, S. 664; B. 3, S. 438 sqq.
8) *Contra Eunomium*, lib. 1, (P. G. 29, 499-502). 9) *Compendium Haeret. Fabularum*, lib. 4, cp. 3, ibid. 83, 419. 10) *Commonit. 2*, (P. L. 50, 683). 11) *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 357ᵃ. 12) Lib. 2, (P. L. 25, 902).

incurrit; tamque potens est in exaggerationibus, ut semper paratragoediare videatur.

plurima scripsit: didascalica, dogmatica,

Scripta etiam **Lutheri**, et multa et varia, ostendunt ipsum non mediocri valuisse ingenio. Scripsit multa διδασκαλικά[13] atque δογματικά, multos doctrinales libros *De Fide, De Sacramentis, De Operibus, De Gratia, De Libero Arbitrio, De Discrimine Legis et Evangelii* aliisque doctrinae articulis et capitibus; multa ἐλεγχτικά,[14] libros multos eristicos, contentiosos, veluti scepticorum Pyrrhoniorumque philosophorum more;[15] nisi quod non solum, ut illi, aliorum decreta impugnavit, et perpetuo in inquisitione veritatis versans videri voluit, sed multa definire, astruere et constituere in doctrina fidei ausus fuit; censoria virgula quasi ex tripode multa pronunciavit; veritatisque non modo inquisitor et considerator, verum et inventor assertorque ab omnibus haberi concupivit, atque contendit.

elenchtica,

exegetica,

Multa praeterea scripsit ἐξηγητικά;[16] exposuit enim multos libros cum Veteris tum Novi Testamenti copiosasque enarrationes in prophetica et apostolica scripta: *in Genesim, in Deuteronomium, in Psalmos, in Isaiam, in Prophetas Minores, in Matthaeum, in Epistolam Pauli ad Galatas Commentarios duos*, aliasque multa Divinorum Voluminum expositiones edidit in lucem; et utrumque Testamentum in germanicum conversum, novus interpres, Germanis suis dedit. In quod opus utinam non multum luti et lethalis veneni infudisset!

paraenetica et critica,

Tandem multa scripsit παραινετικά,[17] multas conciones et adhortationes ad populum; in quibus tamen longe plurima κριτικά[18] sunt, hoc est, censurae, criminationes, accusationes, utinam etiam non calumniae et contumeliae longe maximae in omnes Catholicos, praesertim vero in ecclesiasticos, in monachos, in sacerdotes, in Episcopos et maxime omnium in Romanum Pontificem, in Dei Ecclesiae Christi Vicarium.

in quibus ostentare voluit

Ita **Lutherus** multa edidit scripta, multa reliquit ingenii sui monumenta; in quibus orbi ostentare voluit doctrinam scientiamque

13) Ms.: Διδασκαλικα et δογματικα. 14) Ms.: Ελεγχτικα. 15) Pyrrho, philosophus Elidensis an. 360 a. Chr. conditor fuit scepticismi. Docebat enim cuilibet propositioni contrariam posse opponi aeque probabilem ac proinde sapientem esse, qui de omnibus dubitat, et omnia meditatur et expendit, iudicium de qualibet re suspensum tenens. Eius discipuli *Pyrrhonii* appellabantur. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Pyrrho* nomine. 16) Ms.: Εξεγητικα.
17) Ms.: Παραινετικα. 18) Ms.: Κριτικα.

scientiam suam et omnibus insultare,

ut scribit Erasmus.

mirabilem ac longe maximam, et seipsum pro phoenice theologorum doctorumque omnium venditare, aliisque omnibus non modo theologis, doctoribus, scholis, academiis, Episcopis, Pontificibus, verum etiam orthodoxis Patribus omnibusque omnium saeculorum universalibus conciliis scientiam omnem detrahere. Qua de re Lutherum Erasmus Roterodamus in suo *Hyperaspiste* merito suggillavit, dicens:[19] « Quis unquam sapuit, qui vel latum, ut aiunt, digitum dissensit a tuis dogmatibus? Omnes, quamlibet antea docti, protinus ut tibi contradicere coeperint, patiuntur hanc metamorphosim, ex lynceis vertuntur in talpas, ex hominibus in fungos ».

Mirabilis sane res, quod Lutherus sapiens etiam suos sapientes reddat;

adeo ut, qui cum ipso sentit, statim sapiens efficiatur; qui secus, asinus!

Res est, ut mihi quidem videtur, dictu mirabilis. Accepit Salomon a Deo ingentem ac pene infinitum sapientiae thesaurum;[20] nec tamen potuit hominibus sapientiam vel auferre vel dare. Lutherus, acceptis dogmatibus suis e coelo, discipulis suis etiam occitantibus potuit Minervam ingerere, corvos in luscinias, asinos in homines transmutare, et rudentia Arcadiae pecora fidibus apta reddere, quin etiam novus Deucalion[21] lapides in homines divina quadam virtute convertere. Quisquis enim cum Luthero sensit, statim atque cum ipso sentire coeperit, Daniele[22] sapientior factus est, dissentiens autem Nabalo insipientior,[23] ex homine in lapidem veluti a Medusa conversus.[24] Hinc Luthero Catholici omnes, licet a teneris unguiculis nonnisi litteris optimis optime navarint operam, asini sunt; tam invitum omnes habent Apollinem,[25] ut ne malleis quidem et dolabris ingenia sua acuere et perpolire possint.

Multa scripsit Lutherus, sed non magni valoris, quia verbosissima,

III. Sed videamus, quaeso, inspiciamusque parumper qualia sint tanti doctoris tam multa scripta tantaque volumina. Non tam multa scripsit Salomon; de eo nanque narrat *Sacra Regum Historia* non quidem quod scripserit, sed quod *locutus fuerit tria millia parabolas et carmina quinque et mille; et disputavit super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete; et disse-*

19) Lib. 1, Op. Omn. t. 10, col. 1254. 20) Cf. 3 Rg 3, 5-12. 21) Rex fuit Phthiotidis in Thessalia, qui, cum Iupiter ingens diluvium ob immania hominum scelera in mundum immisisset, ad reparandos homines lapides ex consulto oraculi post tergum Magnae Matris eiiciebat qui statim in homines vertebantur. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Deucalion.*
22) Cf. Dn 5, 14. 23) Cf. 1 Rg 25, 10-37. 24) Mulier tantae pulcritudinis fuit, ut quisquis eam vidisset, defigeretur; ideo fictum est quod homines in lapides mutaret. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Medusa.* 25) Apollo habetur ut pater lucis et claritatis, ideoque artium et scientiarum. Cf. ibid. sub nomine *Apollo.*

ruit de iumentis, et volucribus, et reptilibus et piscibus. [26] Non habemus autem nisi tres tantum libellos Salomonis indubitatos. [27] Lutherus autem tam multa scripsit, ediditque tam magna volumina, sed sane verbosissima. Doctrina enim haereticorum, ut Hieronymus, *in Isaiam* scribens, ait, [28] « non in sensu, sed in multiloquio et clamore versatur ».

et testimonio Erasmi multa habet inutilia et non sua,

Multa scripsit, sed non puto attendisse ad illud : Sat multa, si sat bene. « Si quis enim, ut Erasmus Roterodamus scribit in *Purgatione adversus Epistolam non Sobriam Martini Lutheri,* [29] e libris ipsius tollat hyperbolas, convicia, facetias, tautologias, ectragodismos, asseverationes, ad haec quae illi conveniunt cum Ioanne Husso et Ioanne Wicleffo aliisque nonnullis ; fortasse non multum restabit, quo veluti proprio glorietur ». Qua de re etiam in *Hyperaspiste* adversus Lutheri librum *De Servo Arbitrio* idem Erasmus ita loquitur : [30] « Quam multa, inquit, sunt in isto tuo libro prorsus aprosdionysa ! Quam multa supervacanea ! Quot in locis communibus morae ! Quantum convitiorum ! Quam multa manifestae vanitatis ! Quantum stropharum ! Quam multa parum prudenter detorta ac depravata et ex depravatis tragicae conclusiones ! »

multa etiam repetita et concionatoria;

Et in pleniori *Responsione* ad eundem librum, quam in *Hyperaspiste* promiserat : [31] « Videor, inquit, [32] hoc mihi in Lutheri scriptis animadvertisse : non semper est intentus iis quae scribit, nec id fieri potest ut hominis animus perpetuo sit intentus alicui negocio ; semper tamen illi currit calamus. Itaque, quo crescat volumen, plurima incidunt, quae nihil aliud quam chartas explent. Nunc repetit plus decies dicta, commutatis tantum verbis, nunc concionatur, versans in locis communibus, nunc asseverationibus explet chartas, nunc ineptis salibus et infacetis facetiis eximit tempus, nunc quidquid offertur, aut succurrit animo, quocumque modo detorquet ad causam suam. Ac, praeter convicia, quibus natura scatet, habet verba quaedam veluti magica, quae non ratione, sed vehementia quadam afficiunt lectoris animum,

multa convicia verbaque magica.

26) 3 Rg 4, 32-33. Vulg.: *Locutus est.* 27) Migne *Cursus Completus Scripturae Sacrae,* t. 4, col. 614; R. Cornely *Compendium Introductionis in Scripturae Libros, Dissert.* 5, cp. 4-6, pag. 488-506, ed. Aug. Merk S. I. Parisiis, P. Lethielleux 1927. 28) Lib. 7, (P. L. 24, 268). 29) T. 10, col. 1555. Cf. etiam Io. Cochlaeus *De Actis et Scriptis M. Lutheri,* an. 1534, pag. 268-269. 30) T. 10, col. 1249. 31) Ibid. lib. 1, col. 1332. 1336. 32) *Hyperaspistae Diatribes,* lib. 2, ibid. col. 1422.

vel imbecillem vel parum eruditum. Irenaeus tradit[33] arte simili plurimis imposuisse Valentinum et Marcionem. Habebant verba quaedam barbara, incognita, vehementia, imperiosa. Ea mira fiducia pronunciantes, terrificabant iudices, et infirmos rapiebant in suam sententiam. Huiusmodi, inquit,[34] vocibus cum omnes Lutheri libri, tum hic praecipue scatet ». Addit « aeris Dodonaei loquacitatem aut si quid illo est loquacius ». Atque hic quidem et huiusmodi aliis quam multis ostendit Erasmus qualia sint scripta Lutheri.

Etiam ex testimonio ipsius Lutheri scripta propria confusa sunt,

IV. Sed non opus est hac in re testimonio Erasmi; habemus Lutheri ipsius de scriptis et libris suis iudicium latamque sententiam. In *Praefatione* nanque ad primum tomum Operum suorum ita loquitur:[35] « Multum diuque restiti illis, qui meos libros, seu verius confusiones mearum lucubrationum voluerunt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis novitatibus obruere et lectorem a legendis illis impediri, tum quod nunc Dei gratia extent methodici libri quam plurimi, etc. Mei autem libri, ut ferebat, imo cogebat rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sunt quoddam rude et indigestum chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere. His rationibus adductus, cupiebam omnes libros meos perpetua oblivione sepultos, ut melioribus esset locus ». Et postea:[36] « Sed ante omnia, inquit, oro pium lectorem, et oro propter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, ut ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione, et sciat me fuisse aliquando monachum et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum », etc.

rude et indigestum chaos,

cum iudicio legenda,

Deinde:[37] « Ita invenies, inquit, in istis meis scriptis prioribus quam multa et magna humillime concesserim Papae, quae posterioribus et istis temporibus pro summa blasphemia et abominatione habeo et execror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel, ut ipsi calumniantur, antilogiam, tempori et imperitiae meae. Solus primo eram, et certe ad tantas res tractandas ineptissimus et indoctissimus; casu enim, non voluntate aut studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor ». Et ad calcem *Praefationis* eiusdem: « Haec, inquit,[38]

erroribus et antilogiis plena, tempori et imperitiae tribuendis,

33) Quoad Valentinum, cf. *Contra Haeres.* lib. 2, cp. 14, (P. G. 7, 754-756); lib. 3, cp. 15, ibid. col. 917-918. 34) T. 10, lib. 2, col. 1422. 35) W. L. t. 1, f. II[a]. 36) Ibid. 37) Ibid. 38) Ibid. f. V[a].

ideo narro, optime lector, ut si lecturus es opuscula mea, memor sis me unum fuisse, ut supra dixi, ex illis, qui, ut Augustinus de se scribit,[39] scribendo et docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint ».

utpote quia legendo et scribendo profecerat.

Qualia igitur sunt scripta Lutheri, ipsomet teste et iudice? Humana, hominis, qui scribendo et docendo profecit, quibus antiqua multo sunt meliora, confusa, absque ullo ordine, rude indigestumque chaos, erroribus, qui tempori et imperitiae tribuendi sunt, plena, et talia, ut ipsemet auctor cuperet omnes libros suos esse perpetua oblivione sepultos.

Testimonium hoc Lutherus morti proximus dedit, cupiens editionem operum quam primum maturari, ne ex una confusione multae exorirentur.

Sciendum est autem Lutherum *Praefationem* istam scripsisse non longe antequam ex humanis excederet. Nam, ut Philippus Melanchthon[40] in *Praefatione* ad secundum tomum Operum Lutheri scribit, editionem secundi tomi antevertit fatum Lutheri, et ea de causa non habetur praefatio Lutheri ad secundum tomum neque ad sequentes alios, quoniam mortuus fuit, priusquam secundus tomus ederetur in lucem; cum tamen typographi praeceptum haberent a duce Saxoniae, ut editionem Operum Lutheri urgerent et maturarent, sicut ipsemet Lutherus in *Praefatione* sua ista.[41] Quod quidem et ipse cupiebat, ne, si post mortem suam edita fuissent, ex una confusione, ut ait,[42] fierent multae confusiones.

Quomodo ergo Lutherani scripta omnia Lutheri maximi faciunt?

Si igitur Lutherus, iam senex et morti vicinus, de scriptis suis tale iudicium fecit; quomodo, quaeso, audent Lutherani scriptis omnium orthodoxorum et Sanctorum Patrum anteferre longeque praestantiora habere? Aut quomodo audent scriptis tam confusis et, fatente Luthero, erroribus plenis, propheticum et apostolicum spiritum attribuere, eaque tanquam coelestia divinaque oracula venerari?

Etsi praestantissimus fuerit theologus, errare potuit et haereticus fieri,

V. Sed aiunt Lutherum, si non propheta, non apostolus, non evangelista, virum fuisse longe doctissimum theologumque omnium praestantissimum eminentissimumque. Esto, fuerit inter theologos ipse sicut gigas inter pygmaeos, unus ex Enachim, quorum comparatione Hebraei videbantur locustae;[43] fuit tamen homo, qui legendo et docendo profecit. Homo fuit, errare potuit et in haeresim labi.

39) *Retractationum*, lib. 2, *Prologus*, (P. L. 32, 586); epist. 143, ibid. 33, 585. 40) W. L. t. 2, f. IIa. 41) Ibid. t. 1, f. IIa. 42) Ibid. 43) Cf. Nm 13, 34.

quod, teste Lirinensi, non semel accidit

V i n c e n t i u s L i r i n e n s i s, pertractans illud, quod in *Deuteronomio* legitur : [44] *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis ; non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde vestro et in tota anima vestra ;* docet [45] Ecclesiam Dei passam fuisse grandem tentationem, cum viri magni et omni doctrinarum genere praestantissimi in haereses lapsi sunt.

Nestorio, Photino,

In exemplum autem adducit Nestorium, Constantinopolitanum patriarcham ; Photinum, apud Pannonios ecclesiae Sirmitanae episcopum, cuius praeclaras inquit fuisse dotes : quod esset ingenii viribus valens, doctrinae opibus excellens, et eloquio praepotens, quippe qui latino et graeco sermone copiose et graviter disputaret et scriberet, sicut, inquit, monumentis librorum suorum manifestatur ;

Apollinari,

Apollinarem, [45a] admirandae praestantiae virum, de quo ait : « Nam quid illo praestantius acumine, exercitatione, doctrina ? Quam multas ille haereses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis aedificatoribus Ecclesiae par esse

Origeni

potuisset ». His addit Origenem, « cuius, inquit, [46] tanta fuit vis ingenii, tanta doctrinae ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinae, pene fortasse nulla humanae philosophiae, quae non penitus adsequeretur ».

D. H i e r o n y m u s, *ad Pammachium et Oceanum* scribens, de Origene ait, [47] quod « Scripturas memoriter tenuit, et in studio explanationis earum diebus desudavit ac noctibus. Mille et eo amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit, innumerabiles praeterea commentarios, quos ipse appellavit tomos et quos nunc praetereo, ne videar operum eius indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere, quanta ille conscripsit ? » Ita sane Origenes ad miraculum usque omniiuga doctrina et eruditione refertus habitus fuit.

44) 13, 1-3. Vulg.: *In medio tui prophetes*, loco: *Propheta*. 45) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 650-652). 45a) Ibid. col. 653. 46) Ibid. col. 660. 47) Epist. 84, ibid. 22, 750.

Tandem in exemplum adducit [48] Tertullianum, de quo ait, quod « sicut Origenes apud Graecos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim, inquit, hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? » Huius laudes etiam D. Hieronymus passim, data occasione, eloquitur, de quo in epistola *ad Magnum oratorem* ait: [49] « Tertulliano quid acutius? Quid eruditius? »

et Tertulliano,

Fuere praenominati viri doctrina et eruditione praestantissimi; etiam tamen errare potuerunt, errarunt, et in haereses teterrimas deterrimasque lapsi fuerunt. Possunt igitur etiam viri doctissimi diaboli opera haeretici fieri; quare profecto et Lutherus, etiam si theologus fuerit omnium praestantissimus. An non Lucifer, Angelorum omnium praestantissimus, factus fuit daemonum omnium pessimus? [50]

qui omnes mirabili ingenio et eruditione referti in haeresim lapsi sunt.

Non omittam autem hic ex eodem Lirinensi causam adducere, propter quam Origenes in haereses lapsus fuerit; adeo ut D. Hieronymus, in epistola *ad Pammachium et Oceanum* de Origenis erroribus, in qua eos confutat, [51] qui Origenem ab haeresi excusant, asserentes ab haereticis et malevolis hominibus ipsius libros fuisse corruptos, dicat [52] Origenem fuisse Arii fontem, et cum damnatus fuit Arius, latenter damnatum fuisse et Origenem. Et S. Epiphanius in epistola *ad Ioannem Ierosolymitanum Episcopum* Origenem non modo patrem Arii, verum etiam aliarum haereseon radicem parentemque appellat. [53]

Causae, ob quas Origenes in haereses incidit, optime quadrant in Lutherum;

Tanti itaque lapsus causa Vincentius ita exponit, dicens: [54] « Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget sibique satis credit, cum parvipendit antiquam christianae religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum, ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens, quaedam Scripturarum capitula novo modo interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesia Dei diceret: *Si surrexerit in medio tui propheta, non audies verba prophetae illius, quia tentat vos Dominus Deus vester* ». Visus est autem mihi Vincentius graphice admodum hoc loco non Origenem, sed Lutherum describere et ad naturale coloribus suis depingere.

nempe quod ingenio nimis indulgens, sibi credidit, alios parvipendit, novas interpretationes Scripturae invexit.

48) *Commonit. 1*, ibid. 50, 664. 49) Epist. 70, ibid. 22, 668. 50) Cf. Is 14, 12-16; 2 Petr 2, 4. 51) Epist. 84, (P. L. 22, 751). 52) Ibid. col. 746. 53) P. G. 43, 383. 54) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 663-664).

Quamvis ardenti ingenio et polygraphus, Lutherus non videtur fuisse praestantis doctrinae et eruditionis.

VI. His autem veluti per excursum et digressionem dictis, videndum nunc est an revera Lutherus praestanti doctrina et eruditione refertus fuerit, sicut Apollinaris, Origenes, Tertullianus, an potius sicut Nestorius fuerit, de quo idem V i n c e n t i u s ait,[55] quod, « licet summo populi favore celebraretur, et quotidie palam divina tractaret eloquia, in eo tamen plus admirationis fuit quam utilitatis, plus famae quam experientiae, quem opinione vulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia quam divina ». Nos Luthero ardens ingenium, quo etiam daemones maxime pollent, facile dedimus, et polygraphum diximus. De doctrina autem praestante valde dubitamus, et videbimur quidem Lutheranis dubitare vel de candore nivis, aut de calore ignis, aut etiam de luce solis.

Ad hoc ostendendum, percurrenda essent singula ipsius scripta;

Sed, cum nonnisi ex ipsius scriptis possimus de doctrinae praestantia iudicium facere, oporteret hic vasta scriptorum eius volumina tota percurrere, aut in unum cumulum congerere, et ad libellam ac veluti lapidem lydium examinare. Esset autem immensum.

at probari posset ex communi nota haereticorum;

Possemus, laboris et temporis usuram facientes, brevibus Lutherum haereticum iam demonstratum,[56] ex communi haereticorum in Sacris Litteris nota indoctum ostendere. Haeretici nanque insipientes, *indocti*,[57] *errantes et in errorem mittentes* dicti sunt;[58] *volentes esse legis doctores*, sed *non intelligentes neque quae loquuntur neque de quibus affirmant*,[59] qui *promittentes falsi nominis*, sive *falso nominatam scientiam, a fide exciderunt*,[60] aberraruntque. Sadducaei sunt, qui *errant, nescientes Scripturas neque virtutem Dei.*[61]

ex consensu Catholicorum et multorum sectariorum, praesertim Calvinistarum et Zwinglianorum;

At vero, licet haeretici in intelligentia Divinarum Scripturarum errent, possunt tamen alioqui esse viri doctissimi et omni disciplinarum genere instructissimi, quales cum primis fuerunt Origenes et Tertullianus. Talis vero tantaque de Lutheri doctrina existimatio aut opinio apud Catholicos quidem nunquam fuit, nec est apud multos sectarios, praesertim vero Zwinglianos et Calvinistas.

ex quibus Stancarus pluris facit unum Ma-

Unus ex novis dogmatistis F r a n c i s c u s S t a n c a r u s, inter Novatores post Lutherum non ignobilis, uni Magistro, quem dicunt, Sententiarum, plus doctrinae tribuit quam centum Lutheris. In libro

55) Ibid. col. 651-652. 56) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert.* 2-5, pag. 150-199. 57) 2 Petr 3, 16. 58) 2 Tim 3, 13. 59) 1 Tim 1, 7. 60) Ibid. 6, 20-21. Vulg.: *Falsi nominis scientiae... circa fidem.* 61) Mt 22, 29.

enim *De Trinitate et Mediatore* ita pronunciavit : [62] « Ego, inquit, iudico unum Petrum Lombardum pluris esse quam centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Martyres et quingentos Calvinos ; qui omnes, si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia verae theologiae, praesertim in articulo de Trinitate, incarnatione, mediatore et sacramentis ». Ita Stancarus. Quid hic dicam ? *Inimici nostri sunt iudices.* [63]

gistrum Sententiarum quam centum Lutheros.

Possemus, ipsius etiam Lutheri confessione, nostram sententiam comprobare ; fassus est enim reperiri in scriptis suis multos errores. Cuius rei gratia voluisset omnes libros suos perpetua oblivione sepultos, tribuitque errores tempori et imperitiae suae. Et quidem ignorantiam fontem, radicem matremque esse errorum nullum est dubium. Sed confessio ista tribuetur Lutheri modestiae ; fuit enim modestissimus homo et corde humillimus, tam vere scilicet quam corvus est albus. Aliam igitur necesse est, ut ingrediamur viam.

Item probari posset ex confessione ipsius Lutheri; sed alia via ingredienda est.

VII. Praemittimus autem ex Divinis Litteris scientiam atque doctrinam posse homini contingere vel ex Dei mirabili dono, absque ullo humano studio, qualis fuit sapientia Salomonis et creata in Christo ; sapientia atque doctrina, de qua ait : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,* [64] hoc est, non est cur dicatis mirantes : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* [65] *Mea* enim *doctrina non est* humanitus comparata, sed divinitus tradita, qualis fuit doctrina Salomonis, Danielis, Prophetarum omnium. Talis fuit etiam doctrina Apostolorum per Spiritum Sanctum coelitus ipsorum mentibus infusa [66] iuxta Christi promissum : *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia ;* [67] et iterum : *Docebit vos,* sive *deducet vos in omnem veritatem.* [68] Et quoniam Sacra Scriptura doctrinam continet divinitus revelatam; rite intellecta nullum docet errorem, *Deus enim veritas est,* [69] et ipsius *sermo* similiter *veritas est.* [70] Sicut enim sol nullam admittit obscuritatem tenebrarum, ac proinde nec radius solis, ita nec Deus, nec sermo ipsius aliquam falsitatem erroris.

Duplex est modus acquirendi scientiam: vel divina infusione, ut in Salomone,

62) *De Trinitate et Mediatore D. N. I. Christo adversus Haereticum Bullingerum*, etc. K. 5, Cracoviae 1562. 63) Dt 32, 31. 64) Io 7, 16. 65) Ibid. vv. 15. 66) Cf. Act 2, 1-4. 67) Io 14, 26. 68) Ibid. 16, 13. 69) 1 Io 5, 6. 70) Io 17, 17.

vel humano studio, ut profecit Moyses.

Praeter doctrinam autem divinitus infusam datur doctrina humano studio comparata; de qua legimus, quod *Moyses edoctus fuit in omni sapientia Aegyptiorum,* [71] et Paulus *secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paternae legis,* [72] et Timotheus *ab infantia Sacras Litteras* didicit. [73] De illa legimus : *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum !* [74] De hac vero : *Docentes doctrinas et mandata hominum.* [75]

Concessum iam est ab aliis et ab ipso Luthero suam doctrinam non fuisse divinitus infusam, sed labore acquisitam.

Lutheri autem doctrinam non fuisse divinitus infusam, qualis fuit doctrina Prophetarum et Apostolorum, manifestum est; nec tantum a Catholicis verum etiam a sectariis luculentis rationibus probatum est. Nam Theologi Casimiriani in *Admonitione de Concordia Bergensi* ex Lutheri scriptis hoc evidenter evincunt. [76] Et Lutherus ipse ad excusandos errores, qui in scriptis suis reperiuntur, ait unum ex illis fuisse, qui docendo et scribendo profecerit, non ex illis qui repente fiunt summi. In scholis ab infantia versatus fuit, studio et labore doctrina comparavit, et more solito lauream doctoralem adeptus fuit. [77]

Atqui ad comparandam doctrinam longe praestantem,

VIII. Ad comparandam autem doctrinam longe praestantem praeter ingenium, diuturno opus est tempore, magno studio improboque labore; hinc enim proverbium illud : « Dii laboribus omnia vendunt », [78] et illud Hesiodi : [79] « Ante omnia praeclara dii posuere sudorem ». Unde est etiam illud Lyrici Poetae : [80]

« Qui studet optatam cursu contingere metam
multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit ».

Hinc Demosthenes apud Stobaeum [81] dixit oratoriam facultatem sibi comparasse assiduo studio, quo plus in vita sua olei quam vini insumpserat.

71) Act 7, 22. Vulg.: *Eruditus est Moyses.* 72) Ibid. 22, 3. Vulg.: *Gamaliel.* 73) 2 Tim 3, 15. 74) Ps 93, 12. 75) Mt 15, 9. 76) *De Libro Concordiae Admonitio Christiana*, cp. 6 *De Auctoritate Lutheri*, pag. 197 sqq., Neustadii 1581. 77) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 2*, pag. 51-55. 78) Est apud Graecos proverbialis sententia, qua saepe utuntur, ut significent nullam rem sine cura et exercitatione peragi posse. Huc respicit etiam illud Virgilii in *Georg.*:

« Labor omnia vincit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas ».

Cf. Erasmus Rot. *Adagia*, chil. 2, cent. 2, t. 2, col. 466. 79) *Opera et Dies*, vrr. 286-287. 80) *De Arte Poetica*, vrr. 413-414. 81) *Sententiae ex Thesauro Graecorum Delectae*, t. 1, serm. 29 *De Assiduitate et Diligentia*, pag. 453, Lugduni 1555.

necessarium est imprimis ardens scientiarum desiderium et amor.

At vero, cum natura nostra sit laborum et difficultatum inimica, nisi animus ardenti scientiarum desiderio incitatus vires suppeditet, succumbit homo studiorum labori; et vel, scientiarum cursum penitus intermittens, musis valedicit, vel, a summis artium et scientiarum gradibus despondens animum, mediocritate quadam contentum se esse velle statuit. Quid si quis animum sortitus sit, qui nobiles artes contemnat, et scientiarum veluti inimicus sit? Licet homini insita quaedam vel potius innata cupiditas scientiae sit, [82] doctrinae praestantiam assequi nulla ratione potest; eam enim vix consequuntur ii, qui etiamsi magno sint ingenio, nullis laboribus parcunt, et in cursu ad propositam studiorum metam freno potius quam calcaribus opus habent.

Sed Lutherus potius contemptor scientiarum fuit quam ex animo amicus; vituperavit enim omnes scientias, ut patet ex libello in Latomum,

et ex epistola ad Langum.

In Lutheri autem scriptis, ut ad rem veniamus, comperisse mihi visus sum hominem bonarum artium et scientiarum contemptorem potius et inimicum quam magnum aestimatorem et ex animo amicum. Hinc in scriptis suis scholasticas doctrinas et disciplinas non modo non laudavit, verum etiam vituperavit, suaque vituperatione de earum dignitate et auctoritate plurimum detraxit. Scribens *in Latomum* ait: [83] « Meum consilium dixi, ut adolescens vitet philosophiam et theologiam scholasticam ut mortem animae suae ». Quasi vero philosophia et theologia scholastica continerent venena lethalia, data epistola *ad Langum* augustinianum ait: [84] « Mitto has litteras ad eximium D. Iodocum Ysenacensem, plenas quaestionum adversus logicam, philosophiam et theologiam, idest, blasphemiarum et maledictionum contra Aristotelem, Porphyrium et sententiarios ».

Vituperavit bonas artes, ut apparet ex libro ad Nobilitatem Germaniae.

In libello *ad Nobilitatem Germanicam De Reformatione Christianae Reipublicae,* ubi agit de academiis reformandis: « Suadeo, inquit, [85] ut libri Aristotelis *Physicorum, Metaphysicae, De Anima, Ethicorum,* qui hactenus omnium optimi habiti fuere, penitus aboleantur et exterminentur cum omnibus illis, qui rerum naturalium explicationem et cognitionem se tradere profitentur, cum ex illis nihil vel naturalium vel spiritualium rerum disci vel doceri queat ». Ubi, post redditas istius assertionis sive consilii sui nonnullas futiles rationes,

82) Cicero *De Finibus Boni et Mali*, lib. 5, vol. 8, pag. 2529-2530; S. Augustinus *Confessionum*, lib. 13, cp. 11, (P. L. 32, 849). 83) *Confutatio Rationis Latomianae*, W. L. t. 2, f. 256ª.
84) *Epist.* t. 1, I. L. f. 10ª. 85) *An den Christlichen Adel Deutscher Nation*, W. G. t. 6, f. 564ª.

ait [86] quod figulus plus scientiae habet de rebus naturalibus quam in aristotelicis supradictis libris contineatur.

« Spectatum admissi risum teneatis, amici ! » [87]

Vituperavit dialecticam, ut manifestum est ex epistola ad Spalatinum,

Scribens *ad Spalatinum* parastatam suum : « Quaeris, inquit, [88] quatenus utilem dialecticen arbitres theologo. Ego sane non video, quomodo non sit noxia potius dialectice vero theologo ». Et postea : [89] « Si ulla necessaria est dialectica, naturalis illa ingenita sufficit ». Et iterum : [90] « Ego saepius cum amicis disquisivi, quidnam nobis videretur utilitatis accessisse ex tam anxiis studiis philosophiae et dialecticae. Et certe uno consensu admirati, imo lamentati nostri ingenii sortem, nihil utilitatis, totum autem nocentiae pelagus invenimus ».

et quidem futilibus rationibus ductus.

Probat autem Lutherus suam sententiam ratione sane optima, ne dicam tanto viro digna demonstratione potissima, dicens : [91] « Prosit tibi dialectica ubi potest ; in Sacris Litteris etiam nocebit. Quomodo prodest dialectica, cum, postquam accessero ad theologiam, id vocabuli, quod in dialectica sic significabat, cogar reiicere, et aliam eius significationem accipere ? Corpus in arbore Porphyriana significat rem constantem materia et forma. At tale corpus non potest homini contingere, cum in Scriptura corpus nostrum solam materiam significet, non etiam formam, ut ibi : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* ». [92] Optime sane et quam doctissime ! Quasi corpus in Scriptura Sacra nihil aliud significet quam hominis materiam, nec legamus *corpora coelestia et corpora terrestria,* [93] corpus Ecclesiae, [94] *umbram futurorum, corpus autem Christi,* [95] et corpus rotarum plenum oculis, ut semel et iterum ait Ezechiel, [96] et multis aliis in locis non sumatur corpus pro toto homine : *An nescitis* quod *corpora vestra membra sunt Christi?* [97] Σώματα [98] enim Graecis usitate personas significant, [99] unde est illud : *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis* σωματικῶς [100] *corporaliter*, hoc est, *personaliter.* [101]

Parvipendit

Pergit autem Lutherus, et ait [102] quod « nullus usus sit Scri-

86) Ibid. 87) Hor. *De Arte Poetica*, vr. 5. 18) *Epist.* t. 1, I. L. f. 73ᵃ.
89) Ibid. 90) Ibid. 91) Ibid. f. 73ᵇ. 92) Mt 10, 28. 93) 1 Cor 15, 40.
94) Cf. Col 1, 18. 24. 95) Ibid. 2, 17. Ms.: *Christus*. 96) Cf. 1, 18; 10, 12.
97) 1 Cor 6, 15. 98) Ms.: Σωματα. 99) Cf. Henr. Stephanus *Thesaurus Graecae Linguae* et C. Schenkl *Vocabolario Greco-Italiano* sub voce σῶμα ; F. Prat S. I. *La Teologia di S. Paolo*, part. 2, lib. 3, cp. 3, pag. 148 et 153, not. 20. Vers. ital. I. Albera, Torino 1928.
100) Ms.: Σωματικος. 101) Col 2, 9. Vulg.: *In ipso*. 102) *Epist.* t. 1, I. L. f. 73ᵇ.

logicam et metaphysicam

pturae hominem vocari sensitivum, rationalem, corporeum, animatum. Et breviter, inquit, totum illud commentum arboris Porphyrianae dixi, et adhuc dico, minus quam anile figmentum esse, aut somnium aegrotantium esse, deinde et praedicamenta et nonnulla alia philosophiae tantum theologiae nocere ». Loquitur Lutherus ut doctissimum et sapientissimum virum decet; sed qui solus sibi sapit, et *plus* sapit *quam oportet sapere.* [103]

ac totam philosophiam,

Scribens *ad Iodocum Ysenacensem* ait: [104] « Ego simpliciter credo quod impossibile sit Ecclesiam reformari nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, ut nunc habentur, eradicentur, et alia studia instituantur ». Voluit Lutherus [105] philosophiam ab Apostolo damnatam fuisse, cum *ad Colossenses* ait: *Nemo vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam;* [106] ac propterea omnes humanas disciplinas inventa esse diaboli et daemonum retia. Totam aristotelicam philosophiam appellat [107] diabolicam; Aristotelem ipsum nunc logodaedalum et logomachum dicit, nunc illusorem ingeniorum et animarum carnificem, nunc ex professo publicum veritatis hostem et piae doctrinae vastatorem, Proteum, Cerberum, Geryonem, Momum, [108] bestiam similem hydrae in Lerna. [109]

quam ab Apostolo damnatam dicit,

et diabolicam appellat.

Aristotelem vero histrionem vocat et quasi diabolum.

In epistola *ad Ioannem Langum*, quam superius adduximus, de Aristotele agens, ita loquitur: [110] « Nil ita ardet animus quam histrionem illum, qui tam vere graeca larva Ecclesiam lusit, multis revelare ignominiamque eius cunctis ostendere, si ocium esset. Habeo in manibus commentariolos in primum *Physicorum*, quibus fabulam Aristaei denuo agere statui in meum istum Protea, illusorem vaferrimum ingeniorum; ita ut nisi caro fuisset Aristoteles, vere diabolum eum fuisse non puderet asserere ». Hoc itaque animo fuit Lutherus in humanas disciplinas dialecticen et philosophiam.

Sed super omnia scholasticam theologiam insectatus est.

Sed quo animo in scholasticam theologiam? Philippus Melanchthon in *Praefatione* ad secundum tomum Operum Lutheri ait, [111] quod « non prorsus reliquit sententiarios, ita quod Gabrielem et Cameracensem pene ad verbum memoriter recitare poterat »,

103) Rom 12, 3. 104) *Epist.* t. 1, I. L. f. 60^{b}. 105) *Confutatio Rationis Latomianae*, W. L. t. 2, f. 256^{a}. 106) Col 2, 8. Vulg.: *Ne quis vos decipiat.* 107) *Condemnatio Librorum*, etc. W. L. t. 2, f. 191^{b}; *Confutatio Rationis Latomianae*, ibid. f. 243^{b}. 108) Cf. not. 125, *Dissert. 2*, sect. 1 huius libri. 109) Cf. not. 52, *Dissert. 4*, sect. 2, lib. 1 huius vol. 110) *Epist.* t. 1, I. L. f. 10^{b}. 111) W. L. t. 2, f. III^{b}.

et quod « diu multumque legit scripta Occam, cuius acumen anteferebat Thomae et Scoto ».

consulens adolescentibus, ut eam tanquam animae mortem fugiant;

At vero Lutherus ad calcem *Confutationis [Rationis] Latomianae* consilium suum esse ait,[112] ut adolescens fugiat studium scholasticae theologiae tanquam mortem animae suae. Et postea : « Iterum moneo cum Apostolo: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Hanc ego scholasticam theologiam interpretor fortiter et cum fiducia ». Et ita saepe saepius Lutherus similia de scholastica theologia deblaterat.

et in omnes scholasticos theologos, praesertim in D. Thomam debacchatur.

IX. Et in scholasticos theologos nunquam non furiose conviciis debacchatur, nec D. Thomae, eminentissimo omnium et qui scholasticae theologiae summum est culmen et columen, vel minimum parcit. Loco proximo indicato de S. Thoma sic loquitur:[113] « De Thoma Aquino an damnatus vel beatus sit, vehementissime dubito; citius Bonaventuram crediturus beatum. Thomas multa haeretica scripsit, – sed Luthero dicenti *bonum malum et malum bonum*, ponenti *lucem in tenebras et tenebras in lucem*,[114] – et auctor est regnantis Aristotelis, vastatoris piae doctrinae ».

Academias per idolum Moloch figuratas putat.

In *Responsione* autem *ad Ambrosium Catharinum* multo blasphemiora in S. Thomam iactat convicia. In duodecima nanque antichristi facie invehitur in academias et universitates,[115] quas dicunt christiani orbis, quas dicit chaos et ianuam patentem inferni, et per idolum Moloch[116] figuratas putat, videturque sibi quod haec facies sit omnium nocentissima, et quod praedicta fuerit in *Apocalypsi*, ubi dicitur: *Et quintus Angelus tuba cecinit. Et vidi stellam de coelo cecidisse..., et data est ei clavis putei abyssi.*[117] Ubi per Angelum, qui tuba canit, intelligit Romanum Pontificem decreta condentem, quoniam per Angelos in *Apocalypsi* intelliguntur Episcopi, ut cum dicitur *Angelo Ephesi*,[118] *Angelo Smyrnae*,[119] etc.

Alexandrum Halensem vel potius D. Thomam

Sed quid per stellam de coelo lapsam? « Stella, inquit,[120] de coelo in terram lapsa vel Alexander de Hales, vel, quod magis credo, S. Thomas fuit, qui, post universitates approbatas et tubam huius

112) Ibid. f. 256ª. 113) Ibid. 114) Is 5, 20. Vulg.: *Malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.* 115) W. L. t. 2, f. 153ª. 116) Cf. Lv 18, 21; 20, 2-5; 3 Rg 11, 7. 33. 117) Apc 9, 1. 118) Cf. ibid. 2, 1. 119) Cf. ibid. vr. 8. 120) W. L. t. 2, f. 153ᵇ.

Angeli, vel primus vel maximus fuit auctor invehendae in orbem christianum philosophiae, solus aristotelicissimus ac plane Aristoteles ipse; in quam velut in terram de coelo a Christo cecidit, fretus auctoritate impiissimi illius Angeli eiusmodi studia probantis. Accepit autem clavem putei abyssi, et aperuit et eduxit nobis mortuam iam dudum ac damnatam per Apostolum philosophiam. Et inde *ascendit fumus* istius *putei*, idest, verba mera ac opiniones Aristotelis et philosophorum, *sicut fumus fornacis magnae;* invaluit enim, et late patens facta est philosophia, ut Christo Aristotelem aequarit quantum ad auctoritatem et fidem pertinet. – Prodigiosum Lutheri mendacium! – Hinc *obscuratus est sol iustitiae* et veritatis Christus, pro fide inductis moralibus virtutibus, – delirat hic Lutherus, – et pro veritate opinionibus infinitis; *et aer de fumo putei*, ut intelligatur non fuisse solis eclipsis, sed obscuritas aeris et solis e fumo inferni ascendente, hoc est, humanis doctrinis Christum et fidem eius, quae est aer et spiritus, obscurantibus ». Ita bonus Lutherus D. Thomam facit omnium istorum malorum in Ecclesia Dei praecipuam et principalem causam.

stellam *Apocalypsis* dicit de coelo in terram lapsam,

ad omne malum in Ecclesia inducendum.

Sed quid de scholasticis theologis post D. Thomam? Designari dicit [121] per locustas, quae *exierunt de fumo putei*, quae habebant faciem instar *hominum et capillos* instar *mulierum*, sed *dentes leonum et caudas scorpionum ferreasque loricas* et coronas quasi aureas in capitibus suis. [122] Haec omnia Lutherus, subtilissimo ingenio et sensu, si superis placet, optimo, de theologis scholasticis interpretatur. Regem autem harum locustarum angelum abyssi Aristotelem dicit, esseque ait [123] « rectorem generalissimum omnium universitatum; non Christum, non Spiritum Sanctum, non Angelum Domini ». « Et certum est, inquit, Aristotelem, mortuum et damnatum, esse doctorem hodie omnium universitatum magis quam Christum, quia auctoritate et studio Thomae elevatus regnat, resuscitans liberum arbitrium, docens virtutes morales, quarum Lutherus inimicus, et philosophiam naturalem », quam Lutherus ignoravit.

Similiter sensit de theologis post D. Thomam, vocans eos locustas *Apocalypsis*,

quarum rex est Aristoteles.

Unde necesse est ut patiatur ipse quam aliquando tulit legem, dicens: [124] « Stante ignorantia velle theologiam tractare est aliud nihil

121) Ibid. 122) Cf. Apc 9, 3-11. 123) W. L. t. 2, f. 154ª. 124) *Disputat.* 2 *super : Dominus Iesus Heri et Hodie*, etc. ibid. t. 1, f. 412ª.

quam asinum velle lyra canere ». Hinc autem deducitur quam bonus fuerit theologus Lutherus.

Hinc demum scholasticam theologiam falsam dicit, illusoriam, crucis inimicam.

Denique de scholastica theologia ita pronunciat, *in Parisienses* scribens : [125] « Theologia scholastica est falsa Scripturae et sacramentorum intelligentia, et exulem nobis facit veram et sinceram theologiam ». « Quo tempore coepit theologia scholastica, idest, illusoria, eodem evacuata est theologia crucis ». [126] Hinc ipse non theologiam appellare solet, [127] sed theologistriam, nec scholasticos ipsos theologos, sed theologastros, magistrellos, marcolfos, sophistas, asinos, porcos, stipites.

Sic vero scholasticos male habuit, quia primi omnium suas haereses damnarunt,

Quid vero ita Lutherus male affectus in scholasticos theologos ? Quoniam haereses ipsius scholastici theologi cum primis adverterunt, scriptisque exagitarunt, atque damnarunt. Quare necesse fuit ut Lutherus in ipsos eo animo fuerit, quo lupus in canes a pastoribus ad gregis ovium suarum custodiam deputatos.

utens stratagemate regis Macedonum contra Athenienses,

Ususque est Lutherus stratagemate, quo usus fuit rex Macedonum, qui, ut Plutarchus in *Vita Demosthenis* scribit, [128] cum insatiabili cupiditate Atheniensibus inhiaret, belloque eos infestaret, causam inimicitiarum et belli in Atheniensium peroratores, maxime vero in Demosthenem et Charidemum coniecit, quod dissidiorum ipsi essent auctores. Quare, missis ad Athenienses legatis, postulavit ut sibi declamatores istos dederent. Sed, cum Demosthenes fraudem subolfecisset, in concionem prodiens, et causam talis postulationis subindicans, Aesopi fabulam [129] enarravit : Quod cum olim lupi oves bello infestarent, canes autem, ovibus subsidio venientes, lupos a caulis stabulisque arcerent ; lupi ab ovibus per legatos canum deditionem flagitarunt, quod ipsi essent bellorum et inimicitiarum in causa. Ita sane Lutherus tanquam lupus et luporum antesignanus in scholasticos theologos, post Episcopos, cum primis ululat atque deblaterat, ut oves Christi, canum horum praesidio destitutae, rapacium luporum dentibus paterent, ac miserrime interirent. Nunc, cum Lutherus tantopere scholasticam theologiam contempserit, non potuit in ea principem locum obtinuisse.

et luporum adversus canes.

125) *Determinatio Theologicae Facultatis Parisiensis*, etc. Ibid. t. 2, f. 191^{b}. 126) Ibid. 127) Ibid. f. 207-212; I. G. t. 1, f. 272 sqq.; *Confutatio Rationis Latomianae*, W. L. t. 2, f. 213^{b}-214^{a}; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 356^{b}-358^{b}. 361^{a}; *Wider die XXXII Artickel der Theologisten zu Löuen*, W. G. t. 12, f. 340-341^{b}. 128) *Le Vite degli Uomini Illustri*, t. 1, pag. 43-45. Vers. ital. Conte Pompei, Padova 1818. 129) Aesopi Phrygis et aliorum *Fabulae, De Lupis et Ovibus*, f. 73^{b}, Venetiis ad signum Seminantis 1575.

X. Sed forte theticam theologiam Lutherus optime omnium assecutus fuit. Consistit autem in cognitione exacta et scientia Sacrarum Litterarum, lucubrationum Sanctorum Patrum et ecclesiasticarum historiarum antiquarumque traditionum. Haec autem fuit veterum theologia ante scholasticam; a qua tamen scholastica non essentia, quod spectat ad substantiam rerum quae docentur, sed tantum ratione differt. Eadem est theologica disciplina, quae nunc in scholis traditur, cum ea quae tradita a Sanctis Patribus fuit; sed in scholis traditur servata methodo, ordine, ratione, adscitis in subsidium naturalibus humanisque scientiis, quae ad veritatis illustrationem conferre nonnihil possunt, et theologica dogmata subtiliore quadam et accuratiore discussione tractantur.

Neque praestantiam doctrinae quoad theticam theologiam Lutherus assecutus est;

Hanc autem theticam theologiam Lutherus supra modum iactavit; nam, quod spectat ad cognitionem Sacrarum Litterarum, notius est quam ut dicatur. Et ipse in *Praefatione* ad primum tomum Operum suorum ait: [130] « Ego iam Sacras Litteras diligentissime privatim et publice legeram, et docueram per septem annos, ita ut memoriter pene omnia tenerem ». Lectionem etiam Sanctorum Patrum; in *Confutatione* nanque *Rationis Latomianae* ait: [131] « Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Bernardum novi, ut frustra mihi tot nubes obieceris ». Et non raro in scriptis suis sicut Sanctos Patres ita et Sacras Historias citat ad sua placita comprobanda. Sed, si Lutherus Sanctos Patres diligenter exacteque et candido animo legisset, profecto haereticus fieri [non] potuisset. Sed quam diligenter operam in Sanctis Patribus navare potuit, cum eos tanquam Mysorum ultimos [132] superbissime contemneret, et nihil faceret mille Augustinos, mille Cyprianos? [133] Sic nonnisi ad solas provocavit Scripturas, solum Dei verbum iactavit, [134] quasi haeretici non possint esse in Sacris Litteris versatissimi.

quamvis tantopere iactaverit cognitionem Scripturae

et Sanctorum Patrum,

quos tamen superbe contempsit.

Vincentius Lirinensis ostendit multos antiquorum haereticorum nihil unquam pene de suo sine Scripturis protulisse: « Hic fortasse, inquit, [135] aliquis interroget an et haeretici Divinae Scripturae testimoniis utantur. Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam

Sacras Scripturas utique saepissime citavit, sed more haereticorum,

130) W. L. t. 1, f. IV[a]. 131) Ibid. t. 2, f. 216[a]. 132) Cf. not. 3. 133) *Contra Henricum Regem Angliae*, W. L. t. 2, f. 369. 134) Epist. *ad Leonem X*, ibid. f. 2[b]. 135) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 672).

videas eos volare per singula quaeque Sanctae Legis volumina, per Moysi, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus sive libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Ioviniani, reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quae non Novi et Veteris Testamenti sententiis fucata sit et colorata. Sed tanto magis cavendi et pertimescendi sunt, quanto occultius sub Divinae Legis umbraculis latitant. Sciunt enim foetores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi et simplices exhalentur, atque idcirco eos coelestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorem, divina non facile contemnat oracula ». His autem Vincentii exemplis addi a nobis potest Ioannes Calvinus, qui in peritia Divinarum Scripturarum nemini secundus videri voluit. [136] An propterea non est Calvinus Lutheranis haereticus?

ut facilius venenum animis infunderet,

Sunt et Hebraeorum rabbini peritissimi Scripturarum, qui incredibili studio improboque labore nihil aliud per diem et noctem agunt quam Sacras Litteras meditari, et rari sunt qui non omnes Veteris Testamenti libros memoriter teneant. Quid inde? Num propterea veri theologi habendi sunt? Num, quia Scripturas memoriter tenent, divinam earum veritatem mente sunt assecuti? Ex his itaque tam fuse dictis manifestum est Martinum Lutherum nulla fuisse doctrinae praestantia.

absque vera earum intelligentia, ut Hebraeorum rabbini,

Non negamus versatum fuisse in Divinis Scripturis; sed eo modo, quo olim impius Arius et nostro saeculo Ioannes Calvinus, propriam semper interpretationem secutus, non maiorum traditionem more Sanctorum Patrum. De Basilio Magno et Gregorio Nazianzeno legimus, [137] quod cum Athenis in omni disciplinarum genere essent eruditi, ad studia Sacrarum Litterarum conversi, in eis sese tredecim annos in coenobio exercuerunt, illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex maiorum ratione et auctoritate interpretantes. Nam Petrus ait: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando*

propriam interpretationem, non sensum antiquorum secutus.

136) Cf. Bolsecus *Vita Calvini*, cp. 13, pag. 39-41, Coloniae, Io. Soterus 1582. 137) Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 9, (P. L. 21, 518).

prophetia.[138] Lutherus autem nonnisi propriam interpretationem sequi voluit, Scripturas proprio ingenio ac proprio, ut dicitur, marte interpretari.

Sanctos autem Patres adeo neglexit, ut etiam si eos aliquando in suppetias venire iusserit, perperam et falso citaverit. Testis est ipsius *Confutatio Latomiana,* quae nos mentiri non patitur; ut ex uno libello de ceteris scriptis ipsius iudicium vel coniecturam faciamus. Contendit contra Latomum Lutherus, quod in doctrina fidei nullo utendum sit verbo, quod ab Apostolis positum non sit: « Nec est, inquit,[139] quod mihi homousion illud obiectes, adversus Arianos receptum. Non fuit receptum a multis iisque praeclarissimis, quod et Hieronymus optavit aboleri, adeoque non effugerunt periculum hoc invento vocabulo, ut Hieronymus queratur nescire, quid veneni lateat in syllabis et litteris ». Optime sane citat Hieronymum! At non loquitur Hieronymus de voce homousion, imo per ipsum homousion rogat Damasum Papam, sed de voce hypostasis, an recipienda esset; sub ea enim suspicabatur latere quid veneni.[140]

Sanctos Patres vero aut vilipendit, aut perperam et falso adducit,

ut locum Hieronymi de *homousion*

In eadem *Confutatione* Lutherus S. Augustinum falso adducit, ubi, contendens quod Baptismus non tollat peccatum, sed quod post Baptismum remaneat in homine peccatum secundum substantiam, ait:[141] « Nec ego solus aut primus ex hominibus post Apostolos haec dico. Augustini verba sunt: Remittitur in Baptismo universum peccatum non ut non sit, sed ut non imputetur. Audis? Est peccatum etiam post remissionem, sed non imputatum ». Quam audacter adducit Lutherus Augustini sententiam! Sed Augustini verba sunt in libro primo *De Nuptiis et Concupiscentia ad Valerium,*[142] ubi non de peccato, sed de concupiscentia asserit quod « in Baptismo remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur »; alioquin citet Augustini locum ubi hoc dixerit. Nam et alibi adducit hanc Augustini sententiam, quam pulcherrimum verbum dicit,[143] sed nec ibi locum citat. Est autem solemne Luthero ita Sanctos Patres adducere, nullis locis citatis, nisi quam rarissime.

et Augustini textum de concupiscentia.

Sed satis superque dictum est de doctrinae Lutheri praestantia; videamus doctrinae ipsius partes atque principia, et quam solidis rationibus fulta sit.

Connexio materiae.

138) 2 Petr 1, 20-21. 139) W. L. t. 2, f. 252ª. 140) Epist. 15, (P. L. 22, 357).
141) W. L. t. 2, f. 242ᵇ. 142) Cp. 25, (P. L. 44, 430). 143) *Assert. Art.* 2, W. L. t. 2, f. 105ª.

SECTIO TERTIA

DE PRINCIPIIS ET PARTIBUS DOCTRINAE M. LUTHERI

DISSERTATIO PRIMA

DE PRINCIPIIS ET PARTIBUS DOCTRINAE LUTHERI CIRCA FIDEM ET RELIGIONEM [1]

Cum Lutherus multa scripserit de fidei dogmatibus,

I. Diximus [2] Lutherum hominem fuisse polygraphum, scripsisse multa ad novum suum evangelium plantandum et confirmandum. Multa scripsit de Deo, de Christo, de homine, de Ecclesia, de sacramentis, de legibus divinis et humanis, de peccato et gratia; et haec quidem sunt praecipua doctrinae ipsius capita quoad fidei dogmata et theologicas tractationes. Cum primis autem videnda nobis sunt lutheranae doctrinae axiomata ac veluti principia, ut aiunt, prima, quae sunt totius doctrinae bases et fundamenta, imo quasi radices et fontes.

videnda sunt eius doctrinae fundamenta,

nam omnis scientia habet sua principia.

Nam, ut auctor est Aristoteles,[3] omnis doctrina omnisque disciplina ex praeexistente fit cognitione, veluti in mathematicis disciplinis apud Euclidem [4] post definitiones sive suppositiones et postulata sive petitiones axiomata sunt, quae et pronunciata dicuntur sive dignitates, qualia sunt: [5] Omne totum maius est sua parte, et omne totum aequale est suis partibus simul sumptis; quae eidem sunt aequalia, et inter se aequalia sunt; si aequalibus aequalia

1) Cod. 2, f. 249ᵃ-254ᵇ. Cf. etiam *Additamentum 1* et *2*. 2) Cf. *Dissert. Unica*, sect. 2, pag. 326-328 huius libri. 3) *Analyticorum Posteriorum*, lib. 1, cp. 1, vol. 1, pag. 121, ed. cit. 4) *Elementorum*, lib. 1, pag. 1-3, Oxoniae 1703. 5) Ibid. pag. 3.

adiiciuntur, ipsa tota sunt aequalia;[6] et si ab aequalibus aequalia demantur, quae remanent sunt aequalia,[7] aliaque huiuscemodi quam plura. Ex quibus positis et concessis mathematici suas propositiones, problemata et theoremata confirmant. Sic omnis scientia habet sua principia, quibus nititur.[8]

Sacrae autem theologiae principia cum primis sunt articuli fidei, qui in Apostolico symbolo continentur,[9] ex quibus omnia fere, quae ad fidei et pietatis doctrinam pertinent, certo consequio deducuntur ac veluti enascuntur. Lutheri doctrina habet sua quaedam principia; sed quam vera, quam solida viderint Lutherani.

Prius tamen de lutheranismi principiis aliquid dicendum. Praecipua sunt haec: Lutherus, ut divinus propheta, optime omnium intellexit Scripturas; Lutheri versio Scripturarum sola adhibenda; eius iudicium de canone Scripturarum iudicio Ecclesiae praeferendum;

II. Sed priusquam de principiis doctrinae Lutheri disseramus, non erit ab re, ut nonnihil de lutheranismi principiis breviter dicamus. Sunt autem cum primis quod Lutherus, tanquam divinus homo, propheta de coelo, alter Elias,[10] *currus Israel et auriga eius,*[11] Scripturas Divinas ex tenebris papatus in lucem assertas[12] optime omnium intellexit.[13] Quare in exponendis Sacris Scripturis soli Luthero credendum, papistis prorsus nihil. Item quod solus Lutherus, ut alter Elias, Divino Spiritu afflatus,[14] optime omnium vertit Sacra Biblia, Vetus quidem Testamentum ex hebraico, Novum vero ex graeco in germanicam linguam, ac propterea contemnenda est vetus latina Editio Vulgata, itemque interpretatio Septuaginta Virorum, nullaque alia quam Lutheri translatio legenda, nec aliam quam Lutheri versionem Lutherani prae manibus habent.[15] Praeterea in canone Sacrarum Scripturarum praeferendum esse iudicium Lutheri iudicio totius Ecclesiae; ita ut quaecumque in

6) Ibid. 7) Ibid. 8) Cf. Aristoteles *Analyticorum Posteriorum*, lib. 1, cp. 10-11, vol. 1, pag. 130-132. 9) Denzinger n. 54. 86. 10) Io. Mathesius *D. Martini Luthers Leben in Siebzehn Predigten, Vorwort*, S. 3; *Predigt 16*, S. 363-397 et passim, ed. O. Buchwald, Leipzig, sine anno; N. Amsdorfius *Praefat.* Op. Omn. Germ. Lutheri, Iehna 1555; Phil. Melanchthon *Praefat.* ad 2 t. Op. Lat. Lutheri, f. IV; N. Selneccerus *Historica Oratio von Leben und Wandel des Ehrwürdigen Herrn und Thewren Mannes Gottes D. M. Lutheri*, f. 3; Io. Aurifaber *Luthers Tischreden, Vorrede*, Eisleben 1566; Io. Fabricius op. cit. pag. 374-385. 11) 4 Rg 2, 12.
12) *Annotat. in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 1^{a}; *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. ibid. t. 7, f. 380^{a}; Schuler-Schulthess *Huldreich Zwinglis Werke*, B. II, 2, S. 19. 21. 37. 63. 74-86; Io. Cochlaeus *De Actis et Scriptis M. Lutheri*, an. 1526, pag. 129. 13) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 329-330^{a}; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 369^{b}; *De Abusu Missae*, I. G. t. 2, f. 49; *Prior Concio ad Funus Friderici Ducis Saxoniae*, ibid. f. 519. 14) Cf. 3 Rg 17, 1; 18, 1. 8. 15) Cf. Io. Fabricius op. cit. pag. 147-193; P. Laiserus *Christianismus, Papismus et Calvinismus*, das ist: *Drey Unterschiedliche Auslegung des Catechismi Lutheri*, S. 300, Wittenberg 1623; Io. Mathesius op. cit. *Predigt 13*, S. 302-335.

Luthero soli credendum, eius dogmata e coelo sunt.

Sacris Bibliis censuit Lutherus hagiographa esse et authentica, ea tantum pro talibus habeantur; quaecumque autem tanquam apocrypha et notha reiecit, prorsus reiiciantur, atque in hunc modum illud tantum in Divinis Scripturis sacrosanctum est, quod est Lutheri iudicio comprobatum; tandem quod Lutheri dogmata circa fidei et religionis doctrinam de coelo sint, ac propterea religiose tenenda ac sacrosancta habenda esse; oracula divina sunt per prophetam Germaniae mundo tradita. [16]

Haec vero principia Lutheranis certissima sunt, et indemonstrabilia.

Haec quidem sunt praecipua lutheranismi principia et effata communesque animi conceptiones, nec immerito principia, quae scientiis et disciplinis indemonstrabilia sunt; nulla enim scientia, ex sententia philosophorum, [17] principia sua demonstrat, sed tanquam certa et indubitata supponit. Quare et lutheranismi ista principia hoc privilegio gaudent, ut absque ulla demonstratione aut argumento sint Lutheranis certo certiora et maxime omnium indubitata.

Multa fuerunt, quae hominibus divinam quandam conciliarunt auctoritatem: favor Dei, gloria operum, sapientia, etc.;

III. Multa legimus, quae iam olim hominibus divinam quandam conciliarunt apud mortales auctoritatem: Patriarchis quidem divinus favor et magna erga eos benevolentia, [18] Moysi [19] et Eliae [20] ingens gloria operum divinorum, Salomoni infinitus prope coelestis sapientiae thesaurus cum divino quodam supra omnes mortales ingenii acumine, [21] Ioseph patriarchae [22] et Danieli prophetae [23] revelatio divinorum mysteriorum, Ieremiae divina quaedam sanctitas, quae in vita et moribus ipsius elucebat cum spiritu prophetiae infallibilis veritatis, [24] Ioanni Baptistae practer miracula, quae in ipsius conceptu et exortu contigerunt, [25] admiranda vitae plane coelestis ratio et sanctitas numeris omnibus absoluta, qua a Domino dictus fuit *propheta et plusquam propheta*, angelus Domini [26] et *lucerna ardens et lucens.* [27] Apostolis conciliavit divinam auctoritatem admirabilis gratia Spiritus Sancti, qua fuerunt veluti in divinos homines ac veluti in deos transformati, tanta fuit in eis accepto in die Pente-

16) Phil. Melanchthon *Praefat.* ad 2 t. Op. Lat. Lutheri, W. L. t. 2, f. V^b-VI^a. VII.
17) Aristoteles *Analyticorum Posteriorum*, lib. 1, cp. 9, vol. 1, pag. 129-130. 18) Cf. Gn cp. 12-24. 28-35. 19) Cf. Ex 3, 4 sqq. 20) Cf. 3 Rg 17, 1-22; 18, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 3, 5-15. 22) Cf. Gn cp. 40-41. 23) Cf. Dn 2, 25-40; 4, 1; 4, 30. 24) Cf. Ier 1, 4 sqq. 25) Cf. Lc 1, 13-67. 26) Mt 11, 9-10. Vulg.: *Prophetam et... Prophetam.* 27) Io 5, 35.

costes Spiritu Sancto, divinae virtutis et potentiae manifestatio, tanta operum divinorum magnificentia et gloria.[28]

quibusdam etiam magicae artes, etc.

Legimus etiam nonnullos, quibus diabolicae artes conciliarunt auctoritatem. Talis olim fuit temporibus Moysi Balaam,[29] talis aetate Apostolorum Simon Magus, quem Samaritani magiis ipsius dementati dicebant, quod esset *virtus Dei magna;*[30] opera enim quae daemonum potestate et arte faciebat, cum supernaturalia viderentur, divinae virtuti tribuebantur.

Lutherus nullo testimonio aut virtutum ornatu emersit;

Lutherus autem nullo prorsus claruit miraculo vero aut falso,[31] nullo divino testimonio declaratus, nullis divinarum virtutum ornamentis excultus;[32] quomodo in tantam apud Germanos plerosque auctoritatem emerserit, ut unius ipsius sententia tot saeculorum praeiudiciis, tot aetatum testimoniis, tot gentium et nationum, tot academiarum et doctorum hominum eruditissimorumque virorum iudiciis, totius denique christianae reipublicae anteferatur,[33] capere vix possem, nisi Arii et Mahumetis exempla comperta omnibus essent, quibus, sicut ante ipsos Epicuro, libertas carnis summum auctoritatis gradum fecit.[34]

et tamen eius auctoritas est basis totius lutheranismi.

Habent autem Lutherani cum Mahumetanis commune principium indemonstratum quidem et tamen indubitatum; utrique enim existimant auctorem suum prophetam esse magnum divinitus missum, atque ex isto principio tota religionis utriusque sectae ratio pendet. Et si lutheranus rogatus sententiam fuerit aut rationem aliquam assignare compulsus, cur propter unum Lutherum deseruerit totius christiani orbis societatem et communionem, cur maiores suos omnes atque adeo omnes christianarum nationum, omnium saeculorum, omnis memoriae homines cum universa Ecclesia catholica nefariae infidelitatis condemnet, cur unius solius L u t h e r i iudicium et auctoritatem praeferat iudiciis et auctoritati omnium Sanctorum et orthodoxorum Patrum, conciliorum, academiarum, theologorum omnium aetatum et nationum ac proinde totius Christi Ecclesiae longissime anteponat; tantum respondebit, *quia propheta magnus surrexit in*

28) Cf. Act 2, 1-43. 29) Cf. Nm 2, 5-14. 30) Act 8, 9-11. 31) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 3, *Dissert. 6*, pag. 118-119; Card. G. Hergenröther *Storia Univers. della Chiesa*, vol. 6, part. 1, cp. 10, pag. 144-145. 32) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5 *De Vita et Moribus M. Lutheri in Officio Pseudoapostolatus*, pag. 200-305. 33) Erasmus Roterod. *De Libero Arbitrio Collatio*, t. 9, col. 1219, ed. cit. 34) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 255-268.

Israel,[35] Lutherus. Principium indemonstrabile est Lutheri apud suos auctoritas, sicut et omnium haeresiarcharum apud sectarios suos.

Principia doctrinae Lutheri: Primum, nihil credendum quod non sit in Scriptura manifeste expressum; hinc Scriptura est sola fidei regula.

IV. Sed iam ad principia doctrinae Lutheri veniamus. Primum autem et maximum axioma est: nihil omnino credendum esse quod non sit in Sacra Scriptura manifeste expressum; solam Scripturam esse veram fidei christianae regulam, certissimam et infallibilem credendi normam.

Lutherus in *Epistola ad Galatas* ad illud: *Si quis*[36] *vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit,*[37] ait quod[38] hoc clarissimo textu Paulus simpliciter seipsum « Angelum e coelo, doctores in terra et quidquid est magistrorum totum rapit et subiicit Sacrae Scripturae; haec regina debet dominari, huic omnes obedire et subiacere debent; non eius magistri, iudices seu arbitri, sed simplices testes, discipuli et confessores esse debent, sive Papa, sive Lutherus, sive Augustinus, sive Paulus, sive Angelus e coelo. Neque alia doctrina in Ecclesia tradi et audiri debet quam purum Dei verbum, hoc est, Sancta Scriptura ». Somniabat autem Lutherus, cum haec scriberet Paulum loqui de Scriptura, cum nonnisi de praedicatione Evangelii, quod ipse Galatis praedicaverat, verba faciat.[39] Praedicaverat autem non ab hominibus scriptum Evangelium, sed a Deo per revelationem acceptum.[40]

Iudex in omnibus controversiis, quia clarissima

In *Praefatione Assertionis Articulorum a Leone X Romano Pontifice Damnatorum,* hac de re ita scribit:[41] « Oportet Scriptura iudice hic sententiam ferre, quod fieri non potest nisi Scripturae dederimus principem locum in omnibus, quae tribuuntur Patribus; hoc est, ut sit ipsa per sese certissima, facillima, apertissima suiipsius interpres, omnium omnia probans, iudicans et illuminans, sicut scriptum est: *Declaratio,* seu, ut hebraeus proprie habet, *apertum,* seu *ostium, sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis* ».[42] Et in eadem *Praefatione* paulo ante: « Primum, inquit,[43] scire contestatosque esse eos volo me prorsus nullius quantumlibet Sancti Patris [testimonio] cogi velle, nisi quatenus iudicio Divinae Scripturae fuerit probatus ».

et apertissima suiipsius interpres;

hinc testimonia Patrum nihili facienda.

35) Lc 7, 16. Vulg.: *In nobis.* 36) Ms.: *Si quid.* 37) Gal 1, 9. 38) W. L. t. 5, f. 288a. 39) Cf. Gal 1, 6-7. 40) Cf. ibid. vr. 12. 41) W. L. t. 2, f. 100a. 42) Ps 118, 30. 43) W. L. t. 2, f. 99b.

Et in libro *Adversus Henricum Regem Angliae :* « Ego vero, inquit,[44] adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, daemonum pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius Maiestatis Aeternae verbum. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto papistis, thomistis, sophistis et omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia, divina Maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiae henricianae contra me starent. Deus errare et fallere non potest ; Augustinus et Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt et errarunt ». Et saepe passimque in scriptis suis L u t h e r u s[45] in hunc modum Scripturis omnia tribuit, Ecclesiae nihil. Scriptura sola audienda est, sola Scriptura fidei regula et magistra est, sola Scriptura tanquam iudex et domina iudicare debet de dogmatibus fidei controversis.

Maior est Scripturae auctoritas quam Ecclesiae, conciliorum, omnium Patrum, quia errare potuerunt.

Scriptura est super omnia ; maior est auctoritas Scripturae quam Ecclesiae, quam conciliorum et omnium Sanctorum et orthodoxorum Patrum. Scriptura errare et fallere non potest ; omnes autem Sancti Patres tanquam homines ac proinde omnia concilia cum tota Ecclesia errare potuerunt, et errarunt. Scriptura Sacra apertissima et clarissima est, facillima intellectu, interprete non eget, ipsa suiipsius optima interpres est, fidelium quilibet potest eam non modo legere, verum etiam intelligere et interpretari et adamussim Scripturarum examinare quamlibet in causa fidei doctrinam, etiam definitiones Ecclesiae et sacrorum conciliorum, etiam maxime generalium.

Secundum, nihil admittendum quod non sit mandatum in Scriptura; ideo legibus, traditionibus, etc., valedicendum.

Est etiam L u t h e r i axioma multis in locis, quod non habet expressum mandatum in Scripturis, nullatenus est admittendum.[46] Ex quo quidem axiomate statim Lutherani nuncium remiserunt valedixeruntque omnibus traditionibus, canonibus et sanctionibus ecclesiasticis humanisque legibus, institutis monasticis et quibuscumque sanctioris vitae praeceptis, de quibus in Scripturis non extat expressum mandatum.

44) Ibid. f. 369^{b}. 45) *Praefat. Assert. Art.* etc. ibid. f. 95; *Assert. Art. 29*, ibid. f. 108^{b}; *Annotat. in Aliquot Capita Matthaei*, ibid. t. 5, f. 53^{a}. 46) *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. t. 2, f. 369^{b}; *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. ibid. t. 7, f. 380^{a}; Erasmus Roterod. epist. 594 *ad Bombasium*, t. 3, col. 664-665; epist. 679 *ad N. Everardum*, ibid. col. 798.

Tertium, fides est libera, idest, nullis temporibus vel locis, etc. alligata; ideo non catholica, sed invisibilis.

Inter axiomata computari potest illud, quod passim Lutherus habet, quod veritas Evangelii, ac proinde fides vera, libera sit,[47] nullis alligata vel locis, vel temporibus, vel personis; adeo ut non teneatur esse catholica. Nec ad veritatem fidei demonstrandam Ecclesiae universalis consensus a tempore Apostolorum per continuam temporum successionem necessarius est, quoniam fides *Dei... donum est.*[48] Et Ecclesia, quae per fidem creditur et invisibilis propterea est, nunc quidem hic latitat, nunc autem illic; hic penitus extincta iacet, illic resuscitatur.[49]

Alia plura sunt principia;

Multa sunt alia lutheranae doctrinae principia, nulla quidem ratione probata, sed Lutheranis indubitatissima: quod Papa sit purus putus antichristus,[50] quod omnes Episcopi Papae subiecti ministri sint antichristi et persecutores evangelii,[51] quod Ecclesia Romana sedes sit antichristi,[52] quod Missa abominanda sit idololatria,[53] quod religio catholica tota sit idololatrica et superstitiosa,[54] aliaque id genus.

sed duo praecipua haec sunt: Sola Scriptura est admittenda; sola fides est ad iustitiam necessaria.

Sed prima maximaque totius doctrinae axiomata duo sunt: alterum quidem de solis Scripturis admittendis, alterum vero de sola fide ad iustitiam et salutem aeternam consequendam necessaria.[55] Hi sunt duo cardines, circa quos vertitur totius doctrinae lutheranae machina, origines atque fontes, ex quibus omnia Lutheri placita, hoc est, errores et haereses derivantur.

Hinc universa doctrina Lu-

V. Est autem Lutheri doctrina propemodum tota quanta, quanta, est negativa et doctrinae catholicae destructiva.

47) Lutherus epist. *ad Leonem X*, W. L. t. 2, f. 2^{b}; Denzinger n. 769. 48) Eph 2, 8.

49) M. Luthers *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 501^{b}; *Responsio ad Ambrosium Catharinum*, W. L. t. 2, f. 141^{a}; Phil. Melanchthon *Loci Communes Theologici*, t. 2, pag. 557-558, Basileae 1541. 50) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 298. 302-303. 51) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, W. L. t. 2, f. 312^{b}-313^{a}. 320^{b}-321^{a}. 52) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9*, pag. 303-304; *Adversus Execrabilem Antichristi Bullam*, W. L. t. 2, f. 96^{a}; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 357^{a}. 53) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 66 sqq.; *De Missa Privata et Unctione Sacerdotum*, ibid. t. 7, f. 298^{a}-299^{b}; *De Confessione Coenae*, I. G. t. 3, f. 557^{b}.

54) M. Luthers *Von Guten Wercken*, W. G. t. 7, f. 63. Cf. etiam *Der Hundert und Neunzehend Psalm...* wider den Grossen Feind desselben des Bapst und Menschen Lere, verdeudscht durch Doct. M. Luther, W. G. t. 7, f. 254^{a}-261^{a}. 55) *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 296^{a}; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 347^{a}; *Praefat. in Comment. Post. in Epist. ad Gal.* W. L. t. 5, f. 269^{b}; *Disputatio utrum Opera faciant ad Iustificationem*, ibid. t. 1, f. 371^{b}-372^{a}; epist. *ad Card. Caietanum*, *Epist.* t. 1, I. L. f. 88^{b} sqq.; *Confessio Augustana*, inter opera Phil. Melanchthonis, t. 3, pag. 12-15.

Haeretici nanque, ut Tertullianus in suis *Praescriptionibus* ait, [56] « nostra destruere moliuntur, ut sua aedificent ».

theri est negativa.

Sic ex priore axiomate innumera dogmata negativa deducuntur, ut puta, traditiones, etiam apostolicas, non esse admittendas, nullis definitionibus parendum, etc.

Ex priore autem principio de solis Scripturis in causa fidei et religionis admittendis innumera deducuntur lutherana dogmata plane negativa, ut puta: nullas doctrinas humanas esse admittendas, nullas traditiones, antiquas licet et apostolicas, extra Scripturam esse recipiendas, nullis canonibus ecclesiasticis, nullis definitionibus conciliorum, nullis decretis et mandatis Episcoporum aut Summorum Pontificum, [57] nullis legibus regum, imperatorum aut principum cuiuscumque ordinis pro conscientia parendum obtemperandumque esse, [58] non esse sacerdotes maiores laicis, [59] nec Episcopos sacerdotibus superiores, [60] non esse Romanum Pontificem Christi Vicarium, Petri successorem, supremum Ecclesiae caput secundum Christum, [61] non esse septem Ecclesiae sacramenta, [62] nec conferre sacramenta aliquam gratiam, [63] per Baptismum non remitti peccata, [64] non esse faciendam sacerdoti auricularem peccatorum confessionem, [65] non esse sub una tantum specie communicandum, [66] non esse in Ecclesia sacrificium Missae nec propitiatorium nec eucharisticum, [67] non esse purgatorium, [68] non orandum pro defunctis, [69] Sanctos non esse invocandos, [70] reliquias Sanctorum non esse venerandas, [71] eorum imagines non esse colendas, nec festa in honorem ipsorum celebranda, aut templa in divorum gloriam sub ipsorum nominibus Deo dicanda, [72] non esse statuta Ecclesiae ieiunia servanda, [73] non horas canonicas recitandas, [74]

56) *Praescript. 9*, cp. 42, (P. L. 2, 57). 57) *Assert. Art. 39*, W. L. t. 2, f. 114^{a}; Denzinger n. 766-769. 58) *De Libertate Christiana*, W. L. t. 2, f. 10^{a}. 59) *Ad Pragenses de Ordinandis et Instituendis Ministris Ecclesiae*, W. L. t. 2, f. 395^{a}; *De Captivitate Babylonica*, ibid. f. 89^{b}-90^{a}; *Assert. Art. 13*, ibid. f. 109; *De Abroganda Missa Privata*, ibid. f. 259-261^{a}. 60) *De Abroganda Missa Privata*, ibid. f. 265^{a}; *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum*, ibid. f. 344^{a}-345^{b}. 61) *Annotat. in Aliquot Capita Matthaei*, W. L. t. 5, f. 62^{b}-64^{a}; Denzinger n. 765. 62) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 68^{a}. 86^{a}. 92^{b}. 63) Ibid. f. 79^{a}; *Assert. Art. 1*, ibid. f. 101^{b}; Denzinger n. 741. 64) Denzinger n. 742. 65) *Concio de Confessione*, etc. W. L. t. 1, f. 77^{a}-78^{a}; *Confessio Augustana*, inter opera Phil. Melanchthonis, t. 3, pag. 10. 66) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 67. 67) *De Missa Privata et Unctione Sacerdotum*, ibid. t. 7, f. 228^{a}-229^{a}. 68) Denzinger n. 777. 69) M. Luthers *Widerruff vom Fegfewer*, W. G. t. 7, f. 408^{a}. 70) *Von Anbeten des Sacraments*, I. G. t. 2, f. 229^{b}. 71) *De Abroganda Missa Privata*, W. L. t. 2, f. 273; *Enarrat. seu Postilla M. Lutheri* in *Festo Exaltat. S. Crucis*, f. 439^{a}-441^{a}, Argentorati 1535. 72) *Sermo De Rebus Mediis et Simulacris*, W. L. t. 7, f. 277; *Sermo De Simulacris et de Ciborum Delectu*, ibid. f. 278; *Omnibus Christianis et Praedicatoribus Erfurdiae*, W. G. t. 7, f. 500^{a}-501^{a}. 73) *Confessio Augustana*, inter opera Phil. Melanchthonis, t. 3, pag. 27-31; *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 300^{b}. 74) M. Luthers *Von Guten Wercken*, W. G. t. 7, f. 63^{a}.

non sacerdotibus et monachis coniugium prohibendum, [75] non vota monastica permittenda aliaque id genus longe plurima. [76]

Ex posteriori deducitur: Decalogum non pertinere ad christianos, nullum esse praeceptum evangelicum, consilia evangelica, ieiunia, orationes, etc. nullius esse meriti.

Nec minora ex posteriore axiomate: sola fides est ad iustitiam et salutem necessaria christiano homini per evangelium. Hinc deducitur Decalogum non pertinere ad christianos, [77] nullum esse praeceptum evangelicum ad salutem necessarium, [78] consilia evangelica nullius emolumenti esse, [79] omnia opera bona: orationes, ieiunia, eleemosynas, vota, peregrinationes pietatis et religionis gratia, vitam monasticam et quaecumque divinissimarum virtutum opera nullius apud Deum esse meriti, nullam expectare mercedem, [80] nulla peccata nocere homini habenti fidem, [81] praeter fidem nulla homini opus esse alia gratia sanctificante, [82] nulla opus esse remissione peccatorum per sacerdotes et ministros Ecclesiae, [83] sacramenta non esse ad salutem necessaria, [84] nec Baptismum quidem quoquo modo requiri necessario ad salutem aeternam, [85] non iustificari hominem quibuscumque bonis operibus etiam optime factis, christianumque nullis vel humanis vel divinis legibus obligari, modo fidem habeat. [86] Haec et alia id genus multa L u t h e r i dogmata ex posteriore isto axiomate tanquam ex radice exoriuntur et pullulescunt.

Nunc, si prius axioma est verum, posterius falsum erit, cum nullibi dicatur in Scriptura, quod sola fides necessaria sit.

VI. Suo autem loco, Deo dante, examinaturi sumus posterius istud axioma; [87] hoc unum tantum in praesentiarum dicimus, quod si prius axioma verum est, posterius istud non potest non esse falsum; nullibi enim in Sacris Litteris reperitur, quod sola fide iustificatur homo et quod sola tantum fides sit ad salutem necessaria, quinimo contrarium. D. enim I a c o b u s a p o s t o l u s ait: *Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* [88] Et iterum: *Videtis quoniam ex ope-*

75) *Confessio Augustana*, inter opera Phil. Melanchthonis, t. 3, pag. 31-35. 76) Ibid. pag. 35-38; *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 286^{a} sqq. 77) M. Luthers *Von Guten Wercken*, W. G. t. 7, f. 64^{b}-65^{a}; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* W. L. t. 5, f. 275^{a}. 78) M. Luthers *Von Guten Wercken*, W. G. t. 7, f. 62^{b}. 63^{b}-64. 79) W. L. t. 2, f. 61^{a}; *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 271^{b}-272^{a}. 80) *De Votis Monasticis*, ibid. f. 269^{a}. 277^{a}. 283^{a}. 81) *De Captivitate Babylonica*, ibid. f. 74^{a}; *Assert. Art. 2*, ibid. f. 99^{b}; *Epist.* t. 1, I. L. f. 345.
82) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 73^{b}. 76^{a}; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 307^{b}-308^{b}. 83) Ibid. f. 79^{a}-81^{a}; *Assert. Art. 5*, ibid. f. 100^{b}-101^{a}. 84) *Bulla Leonis X contra Errores M. Lutheri*, ibid. f. 54^{a}; *Assert. Art. 1*, ibid. f. 96^{b}. 85) *De Captivitate Babylonica*, ibid. f. 73^{b}-74^{a}. 86) *De Libertate Christiana*, ibid. f. 10^{a}. 87) Cf. pars 3 proxime edenda. 88) 2, 14. Vulg.: *Quid proderit*, etc.

ribus iustificatur homo et non ex fide tantum? [89] Quomodo igitur axioma istud lutheranum verum est, si non modo in Scripturis non est, verum etiam contra Scripturas est?

Sed etiam prius in Scripturis non invenitur.

Pari autem ratione nec prius verum esse potest. Nullibi enim scriptum in Sacris Litteris reperitur nihil aliud credendum esse, nisi quod scriptum in Divinis Voluminibus est. Quare sententia ista seipsam interimit et enecat. Cum enim extra Scripturas sit, in causa fidei admittenda non est.

Hoc axioma non est a Luthero inventum, sed ex antiquis haereticis mutuatum,

VII. Dogma autem istud, nequis hic mihi Lutheri miretur ingenium, non est recens ortum, aut a Luthero primum inventum, sed ex veteri priscarum haereseon lacuna haustum et ad imperitae plebi fucum facilius faciendum adhibitum. D. Augustinus, in *Maximinum Arianum Episcopum* scribens, haereticum illum ita dicentem refert: [90] «Siquid de Divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus; hae vero voces, quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur». Itemque: [91] «Oro et opto discipulus esse Divinarum Scripturarum». Et: [92] «Nos Divinarum Scripturarum optamus inveniri discipuli». Tertullianus in suis *Praescriptionibus* ait, [93] quod haeretici Scripturas obtendunt; et ad hanc rem multa scribit Vincentius Lirinensis in suo *Commentario de Haereticis*, [94] quantopere abusi fuerint Divinis Scripturis, sicut et ipsorum magister satanas. [95] *Bona est lex*, inquit Paulus, sed *si quis ea legitime utatur;* [96] ita, inquam, bona est Scriptura, sed ex Scriptura perperam intellecta astu et arte diaboli natae sunt omnes haereses, et longe notius est quam ut dicatur haereticos quosque perpetim Scripturas crepare et Scripturae sententias verbaque sine sensu in ore habere. Quod Lutherus optime in Sacramentariis expertus fuit. [97]

qui eo tantopere abusi sunt, ut refert Lirinensis,

et Lutherus in Sacramentariis expertus est.

Ceterum ea, quae de Scripturis docuit Lutherus, in

Autumavit, et statim ab excitato schismate choragus [97a] funestissimae tragoediae istius docere coepit Scripturam perfectam esse, omnia ad salutem necessaria luce clarius continere ac si non atramento, sed radio solis scripta esset, Scripturam omnium controversiarum esse

89) Ibid. vr. 24. 90) *Collatio cum Maximino Ariano*, (P. L. 42, 709). 91) Ibid. col. 740. 92) Ibid. 93) *Praescript. 1*, cp. 15, ibid. 2, 28. 94) *Commonit. 1*, ibid. 50, 672-674. 95) Cf. Mt 4, 6. 96) 1 Tim 1, 8. 97) *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. W. L. t. 7, f. 382b sqq. 97a) Ms.: *Choregus*.

Scripturis non sunt.

normam unicam, regulam infallibilem, certissimum canonem, supremum et universalem iudicem.[98] Sed si verum est principium, axioma, inquam, de solis Scripturis admittendis, haec omnia corruunt, falsa sunt, quoniam in Divinis Voluminibus scripta non sunt.

Si Lutherani solam Scripturam normam fidei habent;

VIII. Vociferantur Lutherani, et sonora voce iugiter proclamant se in rebus ad doctrinam, fidem, cultum et salutem pertinentibus aliam regulam, canonem atque normam, quae certa sit et indubitata, practer scriptum Dei verbum ignorare, solam Scripturam magistram, per quam Deus, Christus, Spiritus Sanctus loquitur, velle sequi; et tamen non solum cum Catholicis praeter Scripturam admittunt symbola: Apostolicum, Athanasianum, Nicaenum,[99] verum etiam Pandoram[100] illam suam *Augustanam Confessionem*[101] et *Bergensem* nympham, *Concordiae*, inquam, *Formulam*,[102] quibus praedicantes omnes subscribunt, aliosque ad subscribendum impigre cogunt. Et *Augustanam Confessionem* cum primis dicunt symbolum esse normamque doctrinae ecclesiarum suarum.[103] Qualis, quaeso, norma et regula? Vera, certa, indubitata; an falsa, incerta, dubia? Si dubia, incerta, fallax; cur ei sub iureiurando subscribunt, et eodem sacramento alios ad subscriptionem adigunt? Si autem vera, certa, indubitata regula est veritatis et doctrinae fidei; quomodo Divina tantum Scriptura est sola, est unica, indubitata et certa regula doctrinae?

cur priora symbola admittunt?

Cur *Augustanam Confessionem* ut regulam fidei tenent?

Utique admittimus Scripturam rite intellectam esse veritatis regulam, sed non solam; Sancti Patres adiunxerunt traditionis lineam.

Scimus, nec inficiamur Scripturam Sanctam rite intellectam esse normam et regulam rectissimam veritatis, sed non solam; Sancti enim Patres, ut L i r i n e n s i s scribit,[104] canoni Divinarum Scripturarum adiunxerunt lineam ecclesiasticae traditionis. Ecclesia enim, [quae] *columna* est *et firmamentum veritatis*,[105] sustentat auctoritatem Sacrarum Litterarum: «Ego, inquit A u g u s t i n u s,[106] Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas». Non minoris auctoritatis existimamus verbum Dei scriptum Spiritu Dei vivi in Ecclesiae corde, quam scriptum atramento in codice. Neque

98) *Assert. Art.* etc. W. L. t. 2, f. 95. 99) *Praefat.* Phil. Melanchthonis ad 2 t. Op. Lat. Lutheri, W. L. t. 2, f. V^a; *Loci Theologici*, t. 1, f. 149^a, ed. postrema an. 1545. 100) Cf. ibid.
101) Cf. sect. 1 *De Symbolo Doctrinae Lutheranae seu De Confessione Augustana* huius lib.
102) Cf. H. Heppe *Geschichte des Deutschen Protestantismus*, B. 3, S. 221 sqq. Marburg 1852 sqq.
103) I. L. t. 4, f. 162^a. 104) *Commonit. 1*, (P. L. 50, 640 sqq.); *Commonit. 2*, ibid. col. 677-682.
105) 1 Tim 3, 15. 106) *Contra Epist. Fundamenti*, cp. 5, (P. L. 42,176).

enim atramentum in papyro dat verbo Dei auctoritatem, sed fides Ecclesiae, et verbum Dei scriptum in codice nonnisi a verbo Dei scripto in corde suam habet auctoritatem: *Dabo* enim, inquit, *legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.*[107]

Sancti enim Prophetae ea litteris consignarunt, quae a Deo per internas cordium inspirationes acceperunt; Apostoli et Evangelistae, quae corde prius crediderunt vel per traditionem acceperunt, sicut Lucas manifeste ait se scripsisse Evangelium: *Sicut*, inquit, *tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis.*[108] Et quidem canonem ipsum Sanctarum Scripturarum proculdubio non a Scriptura, sed ab Ecclesia habemus; nullibi enim docet Scriptura quinam et quot sint libri canonici. Quare si extra Scripturam nihil credendum est, neque Divinorum Librorum canon credendus est.

Brentius fatetur tenendam esse traditionem, ad quam ipse Lutherus, ab Anabaptistis compulsus, confugit.

Sed non necesse est plura in praesentiarum dicere ad confutandum convellendumque axioma istud insania plenum; nam, praeterquam quod ex Lutheri discipulis nonnullus est, cum primis autem Brentius,[109] qui fateri coactus est credendam tenendamque extra Scripturam esse traditionem, qua a maioribus nostris per manus accepimus Divinos Libros cum omnibus, quae in eis continentur, Lutherus ipse ab Anabaptistis pressus, ut ex Scripturis ostenderet Baptismum parvulorum, compulsus fuit de gradu cedere et ad traditionem ecclesiasticam confugere.[110] Et in *Augustana Confessione* absque ulla Scriptura asseritur Baptismus parvulorum.[111]

107) Ier 31, 33. 108) 1, 2. 109) Cf. *Confessio Piae Doctrinae*, quae nomine illustrissimi Principis ac Domini D. Christophori Ducis Wirtembergensis, etc. per legatos eius die 24 mensis Ianuarii an. 1552 Congregationi concilii Tridentini proposita est. Tubingae, sine anno. Haec *Confessio* a Brentio composita est. Cf. *Praefatio* A. 3, *De Ecclesia* H. 5, ubi affert traditionem, licet protestetur sine iudicio accipiendam non esse ut divina testimonia.
110) W. G. t. 2, f. 237b. 111) I. L. t. 4, f. 162b.

DISSERTATIO SECUNDA

DISCUTITUR SENTENTIA HAERETICORUM AC PROINDE IPSIUS POLYCARPI QUA ASSERITUR NONNISI PER SCRIPTURAS DIRIMENDAS ESSE IN ECCLESIA CONTROVERSIAS FIDEI [1]

Sacra Scriptura summa auctoritate pollet, quia Deum habet auctorem;

I. Cum Sacra Scriptura Deum ipsum auctorem habeat, *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* [2] plane ipsius summa est auctoritas, summa maiestas. Doctrina enim ab auctore auctoritatem sumit; Scriptura autem doctrina Dei est, qui auctor est omnis scientiae, doctrinae et veritatis. [3] Propterea omnes Prophetae, a Deo missi, ad populum sic loquebantur: *Dicit Dominus,* [4] *verbum Domini,* [5] *locutus est Dominus;* [6] ita saepissime Moyses, [7] ita David, *2 Regum: Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam;* [8] ita Isaias etiam in persona Christi: [9] *Spiritus Domini super me; eo quod unxit... me, evangelizare pauperibus misit me.* [10] Hinc Paulus ait quod *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est,* [11] cum laudaret Timotheum quod ab infantia Sacras Litteras didicerat, quae poterant eum instruere ad salutem. [12] Sacras Litteras negare nonnisi hominis ethnici est ac pene athei, ipsisque vel tantillum auctoritatis denegare vel abrogare insolentissima dementia est.

proinde ipsi auctoritatem denegare summa dementia est.

Attamen, cum hic de sensu Scripturae agatur,

Attamen, quoniam cum de Sacris Litteris agitur, plane non de characteribus et elementis litterarum et syllabarum dictionumque, sed de sensu earum agitur; haereticorum sententia, [13] qua Divinam Scripturam solam faciunt iudicem omnium fidei controversiarum, non potest non esse hominum communi pene prorsus sensu carentium. Nam, ut secundum hominem dicam, [13a] sententia ista est firmiter et

1) Cod. 2, f. 202a-206a. 2) 2 Petr 1, 21. 3) Cf. 1 Rg 2, 3. 4) Is 1, 11; Ier 30, 12. 17; 31, 2-37; Agg 2, 8-12. 5) Ier 31, 10; Mich 1, 1; Soph 1, 1; Agg 2, 21; Zach 1, 1; Mal 1, 1. 6) Cf. Is 1, 2. 20; 16, 13-14; Ier 10, 1; 13, 15; 16, 10; Bar 2, 7; Ez 5, 13-17. 7) Cf. Ex 6, 2. 10. 13. 28-29; 9, 12; 13, 1; 14, 1; Lv 4, 1; 5, 14; 6, 1. 8. 19. 24; 10, 6-12; 23, 1-44; Nm 3, 1-44; Dt 32, 48. 8) 23, 2. 9) Lc 4, 18. 10) 61, 1. Auctor refert textum ex Septuaginta. 11) 2 Tim 3, 16. 12) Cf. ibid. vrr. 14-15.

13) *Assert. Art.* etc. W. L. t. 2, f. 100a; *De Servo Arbitrio,* ibid. f. 459. 13a) Cf. 1 Cor 9, 8.

incunctanter tenenda tanquam divinum oraculum, an humana tantum doctrina et opinio est? Si humana opinio et doctrina, quid eam tanti faciunt haeretici, ut per eam omnes hominum doctrinas et mandata evertant? Nunquam non habent in ore dicterium[14] in Doctores catholicos: *Docentes doctrinas et mandata hominum.*[15] Sed sententia etiam haec, cui universa ipsorum innititur fides et religio, nonnisi doctrina humana et opinio si dicatur, innitentur et ipsi baculo arundineo confracto. Sed si divinum oraculum est, ac proinde firmissime credendum ac nullatenus dubitandum; quomodo, quaeso, credendum firmissime est quod nullibi in Sacris Litteris reperitur? Destruit sententia ista seipsam. Ubi, quaeso, legitur quod Sacra Scriptura iudex sit controversiarum fidei? Ubi vel quid simile?

Ipsa constitui nequit iudex controversiarum, ut Novatores autumant.

II. Divinae Scripturae in Sacris Litteris testes dicuntur, non iudices: *Scrutamini Scripturas..., ipsae enim testimonium perhibent de me;*[16] et: *Si... crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit;*[17] et: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.*[18] Evangelium Ioannis appellatur *testimonium* semel, et iterum: *Qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius,*[19] et: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium eius.*[20] Quapropter etiam Apostoli, Christum praedicantes *testes* appellantur,[21] sicut et Ioannes Baptista.[22]

Scripturae quidem appellantur testes, non iudices;

Scripturae igitur Divinae in Sacris Litteris saepe dictae sunt *testes,*[23] nunquam nuncupatae sunt iudices. Testes autem non iudicant, sed, ipsis auditis et testimoniis legitime examinatis discussisque, secundum ea iusti iudices sententiam ferunt et pronunciant. Testes autem iudices existimare hominis est communi sensu carentis.

atqui testes non iudicant, sed testimonium dant.

Dicam adhuc aliud quod, [si] nihil omnino credendum esset praeter quam quod in Scriptura Sacra expresse traditum est; esset plane Scriptura ad fidem atque salutem summopere necessaria, cum fidei esset basis et fundamentum. At vero Scriptura utilis quidem legitur, ut Paulus ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis*

Insuper, si nihil esset credendum, nisi quod in Scriptura, haec esset ad salutem necessaria;

14) Cf. *Responsio M. Lutheri ad Librum Ambr. Catharini*, ibid. f. 142^a-143^a; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 336^a-337^a. 340^a; *Interpretatio Papaselli per Phil. Melanchthonem*, ibid. f. 395^b-396^b. 15) Mt 15, 9. 16) Io 5, 39. Vulg.: *Et illae sunt quae*, etc. 17) Ibid. vr. 46. 18) Act 10, 43. 19) Io 19, 35. 20) Ibid. 21, 24. 21) Act 1, 8; 10, 39. 22) Cf. Io 1, 15. 19. 34. 23) Cf. Lc 24, 27; Io 1, 45; 12, 41.

sed Scriptura nullibi dicitur necessaria.

est ad docendum, ad arguendum, etc.; sed necessaria nunquam legitur. Quomodo ergo secundum sententiam istam necessaria credi potest, cum non legatur?

Non esse autem necessariam probatur ex hoc, quod non semper fuit; et mandatum est ut praedicaretur Evangelium, non ut scriberetur.

Sed non esse necessariam ad fidem et salutem manifestum est, quoniam Patriarcharum tempore ab Adam usque ad Moysen fuit Ecclesia, fuit religio cultusque Dei, fuit fides, qua Sancti illi placuerunt Deo,[24] cum tamen nulla extaret Scriptura. Quid quod nullum prorsus legitur divinum mandatum, ut scriberetur, sed bene ut praedicaretur Evangelium?[25] Quo ergo firmo nixa est in Sacris Litteris sententia ista fundamento?

Quinimo in *Deuteronomio* praecipitur, in controversiis de lege adeundos esse sacerdotes, non Scripturam.

Non solum autem sententia ista nullum vel minimum habet a Sacris Litteris suffragii testimonium, nullum vel arenaceum, cui innixa sit, fundamentum; quin etiam testimonia habet, quae ei mirum in modum incommodant et refragantur. Nam *Deuteronomio*[26] manifeste iubetur ut, si inter iudices alicuius civitatis orta esset aliqua circa legem controversia, adire debeant sacerdotes levitici generis et iudicem eis in Ierusalem praesidentem et ab ipsis requirere iudicii veritatem. Non iubentur iudices, ut nunc haeretici et verbis blaterant et opere faciunt, adire Scripturas easque invicem conferre, ac ita per seipsos veritatem indagare, sed summum sacerdotem adire.

Exegesis textus *Deuteronomii: Si difficile et ambiguum,* etc.

Quoniam vero scitu dignissimus locus est, explicandum suscipimus. Cum M o y s e s *Deuteronomio* legem tulisset in hominem ex Hebraeis, qui peccatum aliquod idololatriae commisisset, statuens in eum capitalem poenam ut lapidibus obrueretur; sed discussa diligenter causa in iudicio riteque cognita perspectaque criminis veritate, reo per testes legitime convicto, quoniam multa intervenire possunt in iudicio, quae causam reddunt ad iudicandum difficilem, maxime apud iudices pedaneos et inferioris ordinis, sicut ipse cum aliquandiu universum populum solus iudicasset; ad consilium Ietro soceri sui constituit multos iudices et magistratus, qui populum iudicarent, ita tamen ut difficiliores causas, maxime vero ad religionem spectantes sibi reservaret;[27] ita legem statuit perpetuis temporibus observandam, ut si apud iudices pedaneos, qui in singulis civitatibus ad regimen populi constitui deberent, difficultas aliqua gravis circa legem ori-

24) Cf. Hebr 11, 2-40. 25) Cf. Mc 16, 15. 26) Cf. 17, 2-7. 27) Cf. Ex 18, 13-27.

retur, summum supremumque tribunal adirent, ita dicens: *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum inter portas tuas videris verba variari.* [28]

Hebraica est hic phrasis [29] quaedam similis ei, quae est in *Psalmo 139: Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est et non potero ad eam.* [30] Loquitur de arte mirabili et incomprehensibili, qua Deus hominem plasmat in utero matris. *Mirabilis*, inquit, est sapientia, qua me formasti ex me, ardua, recondita, difficilis, adeo ut intellectus mei superet vires; *excelsa est et non potero ad eam*, utique comprehendendam, pertingere. Ita hic: *Si mirabile ex te*, hoc est, *supra te, fuerit verbum ad iudicandum inter sanguinem et sanguinem*, in causa scilicet criminali, *inter litem et litem*, in causa civili, *inter plagam et plagam*, generalis lex est, ponunturque species pro toto genere, *in quacumque causa difficili ad iudicandum*, a pedaneis iudicibus particularium civitatum; alludit enim ad id, quod dixerat: *Iudices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi per singulas tribus tuas ut iudicent populum iusto iudicio,* [31] hoc est, secundum legem divinitus traditam ad iudicandum; *videris* autem iudicum inter portas tuas *verba variari*, hebraice *verba contentionum in portis tuis*, in rebus, inquit, controversis, contentiosis, in quibus non manifeste perspicitur quid lex divina decernat; *surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus..., veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad iudicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis,* [32] *qui indicabunt tibi iudicii veritatem,* [33] hebraice *verbum iudicii*, hoc est, quid sit in causa illa decernendum, quid iudicandum, quomodo pronunciandum.

Quid clarius dici potuit ad docendum, quod in controversiis legis non ad Scripturam recurrendum est, sed ad sacerdotem et principem sacerdotum? Princeps enim sacerdotum constituitur iudex huiuscemodi controversiarum cum sacerdotum senatu; unde ait: *Si quis...*

In quo textu clarissime statuitur in controversiis recurrendum esse ad prin-

28) Dt 17, 8. Vulg.: *Intra portas*, loco: *Inter portas*. 29) In *Psalmo 139*, iuxta numerationem hebraicam, vr. 6. adhibetur adiect. fem. פְּלִיאָה, ex verbo: פָּלָא *res mirabilis, abscondita, supra vires*. Hic in textu *Deuteronomii* adhibetur futurum formae niph: נִפָּלֵא *mirabile, absconditum, supra vires tuas fuerit*. Plane eodem sensu ac in *Psalmo* supra cit. Cf. de hac re Io. Buxtorfius op. cit. sub vocibus: פָּלָא et פְּלִיאָה. 30) Vr. 6. 31) 16, 18. Vulg.: *Dederit*, loco: *Daturus*. 32) Ms.: *Ad*. 33) Dt 17, 8-9.

cipem sacerdotum, cui omnino obediendum sit praecipitur.

superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo et decreto iudicis morietur.[34] Atque ad hoc alludens Malachias ait: *Labia... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius... Angelus* enim *Domini exercituum est.*[35]

Lutherus conatur eludere vim huius loci, dicens hic agi de causis politicis; sed falsum est.

III. Lutherus in suo *Commentario in Deuteronomium, capite 17,* omnem se versat in partem, ut hunc locum eludat; dicit non agi hic de dubiis religionis, sed de causis politicis.[36] Sed si ita est, cur mittuntur ad sacrum tribunal sacerdotum, non autem ad principem politicum? Nam, ut legimus *2 Paralipomenon,* erant Ierosolymis distincta tribunalia: unum pro rebus quae ad Deum spectant, et aliud pro rebus ad regem spectantibus.[37] Hic autem sententia definitiva non principi politico, sed sacerdoti tribuitur. Nec iubet lex, ut adeatur tribunal politicum, sed sacrum sacerdotum.

Aliud quaesivit effugium, affirmans per hoc praecipi sacerdotibus docere iuxta legem; at contra stat veritas textus. Ubi etiam apparet mala fides Lutheri,

Quaesivit Lutherus et aliud effugium, dicens[38] quod sacerdotes non proprio spiritu, sed iuxta praescriptam sibi a Deo legem docere debebant, quia ait: *Et docuerint te iuxta legem eius.*[39] Sed quidnam, quaeso, est quod hic Lutherus Vulgatam Editionem sibi contemptissimam sequitur? Bene noverat, sicut ex germanica ipsius translatione conspicuum est,[40] quod in textu hebraico illud: *Secundum legem eius* non coniungitur cum verbis illis: *Docuerint te,* sic enim habet: *Observa, ut facias secundum omnia quae te docuerint.*[41] Et hic per soph pasuq clauditur sententia, et nova periodus incipit, dicens: *Iuxta os legis, quam docuerint te et iuxta iudicium quod dicent tibi facies. Non declinabis a verbo, quod indicabunt tibi ad dexteram sive ad sinistram.*[42] Tribuit veluti per prosopopeiam legi os, sicut Paulus *ad Romanos: Scimus...* quia *quaecumque lex loquitur, his qui sub lege sunt loquitur.*[43] Sed tribuit legi os, quia iudex non debet esse nisi lex viva.

qui, cum hoc bene nosset,

Lutherus autem, cum probe nosset, contra conscientiam suam locutus est, ut falleret simplicibusque, egregius Sacrarum Scri-

34) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Qui autem,* loco: *Si quis.* 35) 2, 7. 36) *Annotat. in Deuteron.* W. L. t. 3, f. 62b. 37) 19, 11. 38) *Annotat. in Deuteron.* W. L. t. 3, f. 62b. 39) Dt 17, 10-11. 40) Cf. *Biblia Polyglotta Graeco-Latino-Germanica,* h. l. ed. a Dav. Woldero, Hamburgi 1596. 41) Cf. *La Sainte Bible Polyglotte* F. Vigouroux; in ed. autem *Bibliae Hebraicae* Kittel h. l. non clauditur sententia a *soph pasuq,* sed per minorem pausam *zaqeph qaton,* quod in casu perinde est. 42) Dt 17, 10-11. Ex hebraico. 43) 3, 19. Vulg.: *Iis qui in lege sunt.*

pturarum corruptor, imponeret. Cum enim Deus ipse hic pontificem cum sacerdotum senatu iudicem constituat in dubiis legis, ipse vult homines constituere iudices sententiae summi Pontificis contra expressum Dei verbum, ut iudicent homines utrum sacerdos secundum legem Dei iudicaverit.

locutus est contra sonscientiam.

Post Lutherum autem etiam Brentius, eiusdem farinae homo, secutus hac in re Vulgatam Editionem, facit divinum hoc mandatum conditionale praeceptum, ut standum sit iudicio sacerdotis, si divinae legis testimonium protulerit.[44] Sed manifeste loquitur contra veritatem; nam non agitur hic de causis quibuscumque, sed de difficillimis, quas iudices inferioris ordinis et particularium civitatum non poterant iudicare. Si enim poterant ipsi secundum legem iudicare, non opus erat summum sacerdotem adire. Quod si tale esset hoc praeceptum, nempe standum esse summi sacerdotis iudicio, si tamen secundum legem pronunciaverit; quis non videt quod tunc non sacerdos a Deo constitutus esset iudex supremus, sed homines, qui de sententia lata iudicaturi essent an secundum legem esset pronunciata? Et, cum hoc divinae legis decretum constitutum fuerit ad quietem et serenitatem conscientiarum; quis non videt quod, [si] conditionem istam annexam haberet, homines multo magis ambiguos dubiosque et perplexos redderet? Sed haeretici sunt [cameli][45] equi, qui nonnisi turbidam aquam bibere volunt, ac propterea claram aquam pedibus, priusquam bibant, turbidam faciunt.[46] Sed turbent, ut volunt, nunquam efficient, ut divinum hoc decretum non summum sacerdotem, sed Scripturam constituat iudicem in dubiis legis.

Simili modo Brentius, exponens hunc locum *Deuteronomii*, contra veritatem loquitur.

IV. Sicut et in Novo Testamento factum legimus *Actis*, cum orta esset gravissima controversia de lege Moysi, servanda ne esset christianis, necne; *Paulus et Barnabas... constituerunt ut ascenderent... Ierosolymam ad Apostolos et presbyteros super hac quaestione.*[47] Non recurrunt ad tribunal Scripturarum, sed ad tribunal Apostolorum. Cum autem convenissent Apostoli et seniores videre de verbo hoc

Amplius in *Actis* dicitur, quod, orta controversia de servanda lege Moysi, composita fuit non per Scripturas.

44) *Expositio Deuteronomii*, cp. 17, Op. Omn. t. 1, pag. 1054 sqq.; ubi tamen non extat huius versiculi translatio. Tubingae 1576. 45) Ms.: *Cameli*, alia manu. 46) Hugo de S. Victore *De Aestiis et Aliis Rebus*, lib. 3, cp. 20, (P. L. 177, 90). 47) Act 15, 2. Vulg.: *Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas... ad Apostolos et presbyteros in Ierusalem*, etc.

et *magna conquisitio fieret,*[48] videamus, quaeso, quomodo ea controversia terminata fuit, profecto nonnisi sola Petri auctoritate et sententia : *Surgens,* inquit, *Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.*[49] Sic sua tantum auctoritate hanc litem diremit, et, nemine contradicente latae ab ipso sententiae, controversiam totam composuit.[50] Nulla prorsus adducta Scripturarum auctoritate, Petrus, tanquam supremus iudex in hac fidei et religionis gravissima causa, pronunciavit.

sed auctoritate Petri et Apostolorum;

Iacobus quidem, suo calculo comprobans Petri sententiam, ostendit concordare iudicio Petri voces Prophetarum,[51] sed Scripturam iudicem minime constituit; quin in decreto et sententia totius concilii super hac causa nulla prorsus fit mentio Scripturarum, sed tantum dicitur : *Visum est... Spiritui Sancto et nobis.*[52] Num ignorabant Apostoli et cum eis Paulus et Barnabas divinum istud oraculum sectariorum, quod nonnisi Scriptura iudicare debet de controversiis religionis et fidei? Ab Apostolis autem et universo concilio supremoque omnium iudice Petro in re gravissima, sine Scripturis iudicatum fuit, Spirituque Sancto agente et praesidente, pronunciatum.

et in decreto dicitur: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.*

Et D. P a u l u s, cum Evangelium per revelationem accepisset,[53] essetque Spiritu Sancto plenus, et praeterea in Divinis Scripturis optime instructus;[54] *ascendit* tamen *cum Barnaba et Tito Ierosolymam* ad Petrum, Iacobum et Ioannem apostolos, et *cum eis contulit... Evangelium, quod praedicabat in gentibus, ne forte,* inquit *ad Galatas, in vanum currerem aut etiam cucurrissem.*[55] Sic voluit doctrinam suam, licet divinitus acceptam, Apostolorum auctoritate confirmari, et maxime Petri,[56] ad quem secundum revelationem[57] ascendit. Non autem ad Scripturas se contulit, ut Scripturae de suo Evangelio iudicarent; Apostolos iudices esse voluit.

Paulus ipse, quamvis accepisset Evangelium per revelationem, tamen illud contulit cum Apostolis, ne in vanum curreret.

V. Novatores autem hoc Pauli spiritu minime ducuntur; sed, dum Scripturas praetexunt, ipsi iudices esse volunt, ac propterea

Novatores affirmant

48) Ibid. vr. 7. 49) Ibid. 50) Cf. ibid. vr. 12. 51) Cf. ibid. vrr. 13-21. 52) Ibid. vr. 28. 53) Cf. Gal 1, 11-12. 54) Cf. Act 22, 3; Gal 1, 13-14. 55) 2, 1-2. Vulg.: *Ascendi Ierosolymam cum Barnaba et Tito..., et cum illis contuli... quod praedico... in vacuum,* etc. 56) Cf. ibid. 2, 9. 57) Cf. ibid. vr. 2.

Scripturam esse facillimam et clarissimam, ut scribit Lutherus in *Assertione*, etc. et in libro *De Servo Arbitrio*,

Scripturam facillimam et apertissimam faciunt, Luthero auctore atque magistro in *Praefatione Assertionis Articulorum a Leone X Damnatorum;* ibi enim Scripturam facit certissimam, clarissimam, apertissimam sui interpretem, omnia probantem, iudicantem, illuminantem. [58] Et in libro *De Servo Arbitrio* de sua ipsius Scripturarum intelligentia superbissime loquitur, dicens : [59] « Omnes sophistae, agite et producite unum aliquod mysterium, quod sit in Scripturis adhuc obscurum. Quod vero multis multa manent obscura, non hoc fit Scripturae obscuritate, sed ipsorum caecitate et socordia, qui non agunt, ut clarissimam veritatem videant ».

licet alibi contrarium doceat.

Plane Lutherus tantus vir fuit, ut Scripturas pedibus intelligeret, saepe illud iactans : [60] *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* [61] In epistola tamen nuncupatoria suorum *Commentariorum in Psalmos ad Fridericum ducem Saxoniae* ait : [62] « Scio esse impudentissimae temeritatis eum, qui audeat profiteri unum librum Scripturae a se in omnibus partibus intellectum ».

Revera Scriptura non est facilis, ut patet ex vaticiniis Ezechielis, *Apocalypsis*, et ex epistolis Pauli.

Et profecto qui in ea est sententia, ut existimet facilem esse intellectu Divinam Scripturam, non potest non mentis inopia laborare, ita ut in eo communis etiam sensus prorsus desideretur. Nam praeter obscurissima vaticinia, qualia sunt apud Ezechielem [63] et in *Apocalypsi* Ioannis, [64] in ipsis Scripturis manifeste dicitur esse in ipsis, quae sunt *difficilia intellectu,* sicut Petrus dixit de epistolis Pauli; [65] et Isaias [66] ait : *Erit vobis visio,* idest, *prophetia omnis sicut verba libri signati.* Unde Dominus dicitur aperuisse Apostolis *sensum, ut intelligerent Scripturas.* [67]

Hieronymus ait legem opus habere revelatione et *Apocalypsim* esse librum signatum.

D. Hieronymus epistola *ad Paulinum* ait : [68] « Lex spiritualis est, et revelatione opus habet, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in *Apocalypsi* septem sigillis signatus ostenditur, [69] quem si dederis homini scienti litteras, ut legat, respondebit tibi : Non possum ; signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, et tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, *qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit ;*

58) W. L. t. 2, f. 100a. 59) Ibid. f. 459. 60) *De Abroganda Missa Privata*, ibid. f. 274; *De Servo Arbitrio*, Ibid. f. 474. 61) Ps 118, 105. 64) W. L. t. 3, f. 134a. 63) Cf. cp. 33-48. 64) 4, 1 sqq. 65) 2 Petr 3, 15-16. 66) 29, 11. Vulg.: *Omnium.* 67) Lc 22, 45. 68) Epist. 53, (P. L. 22, 543). 69) Cf. Apc 5, 1; 6, 1-12.

claudit et nemo aperit ».[70] Subiungit autem Hieronymus exemplum de eunucho reginae Candacis,[71] dicens:[72] « Cum librum teneret et verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret; ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus et ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in littera ». Ita Hieronymus in Divinis Litteris exercitatissimus et in exponendis Sacris Scripturis doctor maximus.[73] Quid quod Regius Vates saepe orabat: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua?*[74] *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam,*[75] *ut sciam testimonia tua?*[76]

Sic David Dominum orabat, ut legem intelligere posset.

Difficillima est Scriptura, quia de altissimis agit;

Sed, ne sine ratione loqui videamur, dico: Quomodo, quaeso, facilis est Divina Scriptura? Quia facilia intellectu sunt quae docet, an quia facili planoque sermone methodoque omnibus obvia et aperta tradit quae docet? Qui prius affirmat homo est plane dementissimus; nam Divina Scriptura tractat de Deo, de Trinitate, de praedestinatione, de creatione mundi, de Angelis, de incarnatione, de iustificatione, de sacramentis deque aliis rebus altissimis, ac proinde intellectu difficillimis. Qui vero affirmat posterius, quid loquatur prorsus ignorat; nam, praeter innumeras locutiones figuratas, tropos, schemata, metaphoras, aenigmata, parabolas, praeter dialectos et phrases linguarum originalium, praeter infinitas eclipses et reticentias verborum, manifestum est quod Vetus Testamentum hebraice scriptum fuit et sine punctis, quas motiones dicunt, et pro vocalibus serviunt, ita ut saepe divinare opus sit, quomodo movenda sit dictio in textu sine punctis; puncta autem textui a rabbinis addita sunt.

quia innumeras habet locutiones figuratas;

lingua ipsa hebraica difficilis est.

Exemplis demonstrantur difficultates linguae hebraicae.

Res fiet exemplo illustrior; una enim haec dictio hebraica דבר sine punctis posita multis modis legi potest, nam potest esse nomen et verbum. Si nomen, sub aliis atque aliis punctis significat verbum, sermonem, eloquium, significat rem, causam, negocium, significat etiam pestem, mortem; et, cum verbum est, potest esse tertia persona praeteriti, cum perfecti, tum etiam imperfecti et plusquam perfecti modi indicativi, item secunda persona imperativi. Potest etiam esse verbum modi infiniti, ita ut aliquando significet, locutus est, vel fuit;

70) Ibid. 3, 7. 71) Cf. Act 8, 26-40. 72) Epist. 53, (P. L. 22, 544). 73) Cf. *Brev. Rom. Oratio* in Festo S. Hieronymi. 74) Ps 118, 18. 75) Ibid. vr. 34. 76) Ibid. vr. 125.

aliquando loquebatur, aliquando locutus erat vel fuerat, aliquando loquere, aliquando loqui. Et notissimum est quod variatio unius tantum puncti in lingua hebraica, manente integra dictionis substantia, sensum efficit diversissimum, ut Isaiae ויקרא legi potest passive: *Et vocabitur*, sicut Septuaginta [77] et noster Vulgatus Interpres [78] habent; et active, sicut Hebraei erronee intelligunt [79] ad pernegandam Christi nativitatem.

Et Ieremiae יקראו [80] potest interpretari: *Vocabunt eum, et vocabit eum*, sensu diversissimo. Nec modicam difficultatem parit Wau hippuch, [81] quod praeteritum tempus convertit in futurum et futurum in praeteritum. Cum autem figura minime differat a Wau, quod tantum copulativum est, minime autem conversivum, divinare oportet quando sit conversivum, quando vero minime. In nominibus etiam magna est difficultas, cum omnia sint indeclinabilia unius et eiusdem terminationis, nullumque discrimen est, nisi tantum inter singulare et plurale, nec habent articulos, quibus dignosci possit casus a casu, nisi tantum in dativo, accusativo et ablativo. Suntque aliae innumerae in lingua hebraica difficultates.

Ex his difficultatibus orta est magna diversitas translationum.

Unde orta est tam magna diversitas translationum et interpretum, quae magnam confusionem parit. Praeter enim veteres antiquorum interpretum editiones: Septuaginta Virorum, Symmachi, Theodotionis, Aquilae et Hieronymi, nostro saeculo post Sanctem Pagninum et Franciscum Vatablum fere innumerae translationes haereticorum interpretum emerserunt: Lutheri, Sebastiani Munsteri, Tigurina Zwinglianorum, Sebastiani Castalionis, Ioannis Calvini et aliorum, quae omnes profitentur ne latum quidem unguem ab hebraica veritate distare, et si invicem conferantur, sunt differentissimae. Nec adhuc finis est novarum editionum et versionum, ut nullus videatur modus terminusque futurus. Quod etiam Lutherus in *Praefatione* sua ad *Commentarium de Novissimis Verbis David* queritur; [82] voluisset enim scientiam ipsius tantum sacrosanctam haberi, ut ego quidem existimo.

de qua conqueritur ipse Lutherus.

77) Is 9, 6. Textus hebraicus 9, 5. F. Vigouroux *La Sainte Bible Polyglotte*, h. l. 78) Ibid.
79) Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, t. 18, col. 961. 80) 23, 6. 81) Cf. de hac re H. Gismondi S. I. *Linguae Hebraicae Grammatica*, nr. 72-74 *De Wau Conversivo*.
82) W. L. f. 3, f. 91.

Alia ratio huius diversitatis oritur ex varietate punctuationum.

Causa tamen talis tantaeque varietatis est, quoniam textus hebraicus, praeter verborum amphibologias vocesque plurium sensuum capaces, patitur varias punctuationes et distinctiones, ita ut, sicut dici solet, non Davo, sed Oedipo [83] sit opus; aenigmata enim refert et carmina sibyllarum. [84] Unde ergo haeretici tantam facilitatem somniant in Divinis Scripturis intelligendis?

Difficultas interpretandi Scripturas probatur etiam ex verbis eunuchi reginae Candacis ad Philippum.

Eunuchus Candacis reginae Aethiopum in Scripturis versatus, cum Isaiam legeret, Philippo dicenti: *Putasne intelligis quae legis...?* Respondit: *Quomodo possum intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi?* [85] Manifeste indicavit quod Scriptura Divina interprete opus habet et expositore; non enim nisi declarata et intellecta menti nostrae dat sapientiae lumen: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* [86]

Novatores confugiunt ad collationem textuum Scripturae, sed est petitio principii; alioquin multi sunt textus, qui conferri nequeunt.

Reperierunt Novatores miserum quoddam effugium collationis Scripturarum, [87] quod dum invicem conferuntur Scripturae, declarantur loci difficiles per faciliores, veluti quod est Matthaeo: *Qui peccat in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro,* [88] declaratur per id, quod dicitur Marco: *Non habet remissionem in aeternum.* [89] Sed multa sunt, quae semel tantum repeiriuntur in Scripturis, adeo ut non habeant cum quibus conferre [89a] possint similes locos. Deinde quî sciam id, quod Marcus habet, declarationem esse eius, quod Matthaeus dicit, et non e contra? Aeternitas enim potius declaratur, dum dicitur: *Neque in hoc saeculo neque in futuro,* quoniam hae sunt duae partes aeternitatis.

Praxis haereticorum pro-

VI. Et quidem hac in re haeretici videntur habere vocem Iacob et manus Esau; [90] verbis unum dicere, factis aliud. Semper haeretici

83) Oedipus, vir Thebanus, filius Laii Thebanorum regis, ingenium suum nobilitavit in proponendis ac dissolvendis aenigmatibus, in quo tam excellens evasit, ut sphyngis Thebanae problemata dissolverit, et ideo in proverbium cessit de perspicacis et praestantis mentis homine. Cf. P. Mannuccii *Adagia*, col. 191-192; Io. Perin *Onomast.* sub nomine *Oedipus.* 84) Sibyllae fuerunt celebres mulieres, quae, ut nominis etymon indicat, occulta deorum consilia manifestabant. Ex quibus notissima fuit apud Romanos sibylla Cumana, quae divina oracula et responsa prius arborum foliis scribebat, deinde ea interpretabatur. Unde ortum proverbium de aenigmate et carmine sibyllarum ad significandas res intellectu difficillimas. Cf. Virg. *Aeneid.* lib. 3, vrr. 441-452; P. Mannuccii *Adagia*, col. 467; Forcell. *Lexicon Tot. Latin.* sub voce *sibylla.*

85) Act 8, 30-31. Vulg.: *Si non*, loco: *Nisi.* 86) Ps 118, 130. 87) *Assert. Art.* etc. W. L. t. 2, f. 95-96a. 88) 12, 32. Vulg.: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum*, etc.

89) 3, 20. Vulg.: *Non habebit.* 89a) Ms.: *Conferri.* 90) Cf. Gn 27, 22.

eundem volvunt et revolvunt lapidem, eandem cantilenam canunt: quod Scriptura sit clara et facilis, ac propterea eam faciunt fidei regulam et amussim, lapidem lydium et exactam libram. Cum tamen dicant facillimas esse Scripturas, nunquam tamen finem faciunt in eam expositiones verbosissimas longissimasque edendi, imitati antesignanum Lutherum. Si tam clara est, quid opus est tot expositionibus? Facto ostendunt Scripturam interprete opus habere. Quomodo potest ergo de omnibus iudicare?

bat Scripturam non esse claram; nam quotidie edunt nova commentaria.

Est nunc maxima controversia etiam inter haereticos Confessionistas et Sacramentarios [91] de verbis consecrationis, contendentibus his figurate dictum: *Hoc est corpus meum*, [92] illis autem nullam figuram agnoscentibus. Quomodo Scriptura hanc litem dirimat, ut pro alterutra parte aperte pronunciet?

Probatur etiam ex controversia cum Sacramentariis de verbis consecrationis;

Et quidem Lutherus, istius axiomatis auctor, urgentibus Anabaptistis, ut ex Scriptura ostenderet expressam sententiam quod parvuli sint baptizandi; compulsus fuit ad ecclesiasticam traditionem confugere, hostibus turpiter dare terga et veluti de scommate fugam apparare. [93] In *Appendice Colloquiorum Mensalium* habetur quod Lutherus biduo ante mortem, anno 1546, scripserit haec verba: [94] « Virgilium in *Bucolicis* nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis pastor; Virgilium in *Georgicis* nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis agricola; Ciceronem in epistolis nemo integre intelligit, nisi viginti annis sit versatus in republica aliqua insigni; Scripturas Sanctas sciat nemo se gustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, ut Elia, Eliseo, Ioanne Baptista, Christo et Apostolis ecclesias gubernarit ».

ex facto quod Lutherus contra Anabaptistas confugit ad traditionem;

ex eiusdem confessione in *Appendice Colloquiorum*.

VII. Quid quod Scriptura ne de se ipsa quidem iudicare potest? Ubi enim tradit numerum canonicorum librorum? Ubi dicit quinque esse libros Moysi et quattuor tantum Evangelia? Annon traditio ecclesiastica basis et fundamentum est Scripturarum? *Ecclesia est...*, ut Apostolus ait, *columna et firmamentum veritatis.* [95] « Non crederem Evangelio, inquit Augustinus, [96] nisi catholicae Ec-

Ceterum canon Scripturarum cognosci nequit, nisi ex traditione, sicut docet Augustinus.

91) *Defensio Verborum Coenae Domini*, etc. W. L. t. 7, f. 381a sqq. 92) Mt 26, 26; Lc 22, 19. 93) *Ein Brieff vom Widertauffe an Zween Pfarherrn*, W. G. t. 2, f. 237b. 94) *Colloquia* oder *Christliche Nutzliche Tischreden Doctoris M. Lutheri, Appendix*, cp. 1, f. 557b, Ihena 1591. 95) 1 Tim 3, 15. Vulg.: *Est Ecclesia.* 96) *Contra Epistolam Fundamenti*, cp. 5, (P. L. 42, 176).

clesiae me moveret auctoritas ». Et scribit idem in libro *De Unitate Ecclesiae* [97] quod, deficientibus Scripturis, audienda est Ecclesia, cui Christus testimonium perhibuit. [98] Veluti quia non legitur, an haereticus ab haeretico baptizatus, dum vult fieri catholicus, ad Ecclesiam veniens, sit rebaptizandus necne: « Suscipiendus est, inquit, sicut Ecclesia suscipit ». Et libro primo *Contra Cresconium* docet [99] quod, cum alicuius rei non habetur de Scripturis canonicis exemplum, tunc a nobis tenetur veritas Scripturarum, cum facimus quod universae placuit Ecclesiae, quam Scripturarum commendat auctoritas: « Si quis, inquit, falli metuit obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat ».

Quae argumenta si Polycarpus reiiciat, afferat fontem, ex quo suam sententiam deducat.

Quod si P o l y c a r p u s, nobilis litterio et grammatista, in Sacris Litteris egregie versatus, stomachabundus quae dicta sunt contemnat et, reluctante ratione, in sua opinione animo pertinaci persistat, ut Scripturam velit omnia iudicare, quod, cum extra Scripturam sit, verum esse non potest, et si vera astruitur seipsa destruitur; dignetur nobis ostendere ex quonam recondito ac fere cabalistico Sacrarum Scripturarum poenu atque thesauro divinum hoc oraculum novi evangelii depromptum est, quod in Veteri Scriptura desideratur, et descendamus in campum, σὺν Θεῷ, [100] auspice et opitulante Deo.

97) Cp. 22, ibid. 43, 437. 98) Cf. Mt 18, 17. 99) Cp. 33, (P. L. 43, 466).
100) Ms.: Συν Θεω.

SECTIO QUARTA

DE QUALITATIBUS DOCTRINAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

MARTINI LUTHERI FIGMENTA ET SOMNIA [1]

I. Conqueritur Deus per Ieremiam prophetam de falsis prophetis, quod populis praedicarent somnia proprii capitis; ita enim legimus: *Ecce ego ad prophetas..., qui assumunt linguas suas et aiunt: Dicit Dominus; ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo.* [2] Multa quidem Deus per somnium revelabat Prophetis, sicut *Numeris* legimus: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei aut per somnium loquar ad eum.* [3] Hinc prophetae falsi, qui semper verorum simiae extiterunt, fingebant somnia, et pro divinis oraculis venditabant populo sua figmenta. [4]

Falsi prophetae V. T. somniis suis populum seducebant.

Cum autem falsis prophetis sub Veteri Testamento successerint haeretici sub Novo, falsorum dogmatum magistri et doctores, inanissimas opiniones suas praedicant pro articulis fidei. Martinus Lutherus, recentium haereticorum primipilus et strategus, hac etiam in re mirum in modum excelluit, Spartamque hanc adeptus pro virili ornavit. Quare hic nonnulla ipsius somnia et figmenta recensenda nobis sunt.

His successerunt in N. T. haeretici, maxime Lutherus,

Oportebit autem Lutherum hic legem pati, quam tulit; quidquid

qui docuit

1) Cod. 2, f. 207a-209b. 214a-216b. 2) 23, 31-32. 3) 12, 6. Vulg.: *Vel per somnium loquar ad illum.* 4) Cf. Dt 13, 1-5; 3 Rg 22, 6-23; 2 Par 18, 9-22; Is 9, 15; Ier 2, 8; 14, 13-14; 23, 9-37; Thr 2, 9-14; Mich 3, 5-11.

figmentum esse quidquid est extra verbum Dei.

enim in Catholicorum scriptis reperit verbo Dei minime nixum, statim somnia et figmenta inania pronunciavit,[5] quin etiam *super caput primum Epistolae ad Galatas* scriptum reliquit, dicens :[6] « Neque Ecclesia, neque Petrus, neque Apostoli, neque Angeli audiendi sunt, nisi afferant et doceant purum Dei verbum ». Paulo ante dixerat :[7] « Neque mihi, neque Ecclesiae, neque Patribus, neque Apostolis, neque Angelo de coelo credendum est, siquid contra verbum Dei docemus ».

Videndum igitur, si ipse aliquid doceat extra verbum Dei.

Nunc autem etiam si quid extra verbum [Dei]. Videndum igitur, an Lutherus omnia ex puro puto verbo Dei doceat, an aliquid extra verbum Dei ex proprii cerebri officina.

In *Captivitate Babylonica* dicit Missam non esse sacrificium, sed promissionem, suo capite exponens verba: *Hic calix*, etc.

II. In libro *De Captivitate Babylonica*, capite *De Eucharistia*, ubi agit contra Catholicos de Missa quod non sit sacrificium, fingit Missam[8] nihil aliud esse quam promissionem, et substantiam Missae, sive Missam secundum substantiam, nihil aliud esse quam verba Christi : *Accipite et manducate ; hoc est corpus meum.*[9] Probat Missam nihil aliud quam promissionem esse,[10] quia a Christo appellatur Testamentum : *Hic calix novum testamentum est.*[11] Testamentum autem nihil aliud est quam promissio.[12] Quis non rideat, quod dispositio ultimae voluntatis nihil aliud sit quam promissio ?

Ibidem facit Eucharistiam signum promissionis, item suo modo explicans verba: *Accipite*, etc.

Deinde exponit Lutherus mirabiliter verba Christi : *Accipite et manducate :* « Ac si dicat, inquit,[13] ecce, o homo peccator et damnatus, ex mera gratuitaque caritate, qua te diligo, sic volente misericordiarum Patre,[14] his verbis promitto tibi ante omne meritum et votum tuum remissionem omnium peccatorum tuorum et vitam aeternam, et, ut certissimus de hac mea promissione irrevocabili sis, corpus meum tradam ». O mirabilem expositionem! Ex dono facit promissionem, et Corpus Christi, sive Eucharistiam, nihil aliud esse vult quam signum promissionis factae in his verbis, in quibus nulla est promissio.

Articulos a Leone X

Scribens Lutherus in libello *Adversus Execrabilem Bullam Antichristi*, de articulis suis a Leone X condemnatis, ait :[15] « Assero

5) *Responsio Lutheri ad Librum Ambr. Catharini*, W. L. t. 2, f. 142^{b}-143^{a}. 146; *De Abroganda Missa Privata*, ibid. f. 244; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 334^{b}; *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 467^{b}-468^{a}. 6) W. L. t. 5, f. 290^{b}. 7) Ibid. 8) Ibid. t. 2, f. 73^{a} sqq. 9) 1 Cor 11, 24. 10) W. L. t. 2, f, 72^{a}. 11) 1 Cor 11, 25. 12) W. L. t. 2, f. 75^{a}. 13) Ibid. f. 73^{a}. 14) Cf. 2 Cor 1, 3. 15) W. L. t. 2, f. 94^{a}.

et amplector fiducia tota spiritus mei articulos per eam condemnatos, asserendosque pronuncio omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis et antichristos habendos, quicumque bullae consenserint ». Et ad calcem impii libelli, fanatico sane spiritu conscripti, ait :[16] « His scriptis testor me omnia damnata per bullam istam execrabilem confiteri pro catholicis dogmatibus ».

damnatos ait credendos esse sub poena damnationis aeternae.

Nunc itaque videamus, quaeso, ista Lutheri sacrosancta dogmata divinaque oracula, quae omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis asserenda credendaque sunt. Istorum articulorum primus est[17] : « Haeretica est, sed usitata sententia, sacramenta Novae Legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem ». Pronunciat Lutherus ex tripode. Sed ubinam Divina Scriptura articulum istum docet vel asserit ? « Quia, inquit,[18] Scriptura sic dicit : *Iustus... ex fide vivit ;*[19] non dicit : Ex sacramentis. Itemque : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui* autem *non crediderit, condemnabitur.*[20] Praeterea : *Corde... creditur ad iustitiam ;*[21] non dicit corpore sacramenta suscipiuntur ad iustitiam. Et tandem ait : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.*[22] Has auctoritates adducit Lutherus ad probandum articulum suum : « Haeretica est, sed usitata sententia, sacramenta Novae Legis conferre gratiam ».

Sed isti articuli in Scriptura non inveniuntur. Non invenitur 1, qui est: Haeretica est sententia sacramenta N. L. gratiam conferre, cum textus a Luthero adducti non sint ad rem.

« Spectatum admissi risum teneatis, amici ! »

ait ille.[23] Scriptum est: *Iustus ex fide vivit ;* ergo haeretica est sententia : sacramenta Novae Legis conferre gratiam. Dormitabat forte, vel ebrius erat Lutherus cum ista scriberet, vel amentia aliqua affectus. Ubi Lutherus hanc reperit haeresim? Contra quem articulum fidei est ? Contra quam Veteris aut Novi Testamenti Scripturam ? Aiunt theologi sacramenta dare gratiam sicut canales aquam ex fonte.[24] Quis hic error ? Quae haeresis ? Quid ergo somniat? Et credendus articulus est sub poena maledictionis aeternae ?

Secundus articulus est : « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare ».[25] Et hoc fidei dogma ubinam tradidit in Sacris Litteris Spiritus Sanctus?

Nec 2, idest: In puero post Baptismum manet peccatum;

16) Ibid. f. 98ᵇ. 17) *Assert. Art.* etc. ibid. f. 101ᵇ. 18) Ibid. 19) Rom 1, 17.
20) Mc 16, 16. 21) Rom 10, 10. 22) Ibid. 4, 3. 23) Hor. *De Arte Poetica*, vr. 5.
24) S. Bonaventura *Sentent.* lib. 4, *Quaest.* 3, vol. 4, pag. 16-17; S. Thomas *Sentent.* lib. 4, *Quaest. 1*, art. 4, pag. 15-22, Venetiis 1749. Migne *Theologiae Cursus Completus*, t. 2, col. 1258.
25) *Assert. Art.* 2, W. L. t. 2, f. 102ᵃ.

pro quo perperam adducit textum Pauli *ad Rom.*,

Vult enim L u t h e r u s concupiscentiam, quam peccati fomitem theologi dicunt,[26] peccatum esse formale,[27] quoniam a P a u l o *Romanis* appellatur *peccatum*,[28] nec intelligere voluit sideratus homo, et capitis veluti sphacelismon passus, quod, sicut in Scriptura ficus appellatur nunc quidem arbor,[29] nunc autem fructus arboris,[30] ita peccatum dicitur non solum quod proprie peccatum est transgressio divini alicuius mandati, sed etiam fomes et radix peccati appellatur peccatum, quia causa peccati, sicut frigus appellatur pigrum quia facit hominem pigrum, sive etiam quia effectus est primi peccati, sicut scriptura appellatur manus, quia ipsius effectus.[31] Probandum erat L u t h e r o concupiscentiam fomitem peccati esse formale ac proprie dictum peccatum ; neque enim semper, cum peccatum legimus, intelligendum est proprie dictum peccatum, cum et sacrificium[32] et Christus ipse[33] aliquando appelletur peccatum. Unde ergo habet istum fidei articulum Lutherus, quod « negare in puero post Baptismum remanens esse peccatum, quod revera sit peccatum, sed non imputatum, sit Paulum simul et Christum conculcare ? » Somnium est et insani capitis figmentum.

et inepte ex Paulo fingit duplex peccatum: regnans et regnatum.

In *Confutatione Rationis Latomianae* fingit L u t h e r u s[34] duplex peccatum regnans et regnatum, quia P a u l u s ait : *Non... regnet peccatum in mortali vestro corpore.*[35] Sed potuisset etiam fingere peccatum peccans et non peccans, quia etiam P a u l u s ait: *Supra modum peccans peccatum.*[36] Hic L u t h e r u s est, qui semper theologis scholasticis, quos odit sicut lupus canes, impingit somnia et figmenta strophasque. Fingit etiam peccatum extra gratiam et peccatum in gratia ; ita ut peccatum vere sit in iustis sicut in peccatoribus, sed in his extra gratiam.[37]

Nec 3, qui est: Fomes peccati moratur animam ab ingressu coeli, novit

Et nihilominus tertius articulus, qui est :[38] « Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur [exeuntem] a corpore animam ab ingressu coeli ». Verum hoc etiam dogma Divina prorsus ignorat Scriptura ; oraculum est lutherici spiritus, in capitis sui officina

26) P. Lombardus *Collectanea in Epist. ad Rom.* (P. L. 191, 1416-1417); S. Bonaventura *Sentent.* lib. 4, vol. 4, pag. 21; *Concilium Trident.* sess. 5, can. 5; *Catechismus Rom.* part. 2, cp. 2, pag. 153, Patavii, typis Seminarii 1930. 27) *Assert. Art. 2*, W. L. t. 2, f. 104. 28) 7, 17. 29) Cf. Mt 21, 19; Mc 11, 20-21; Lc 13, 6. 30) Cf. Mt 7, 16; Mc 11, 13; Lc 6, 44. 31) S. Augustinus *De Nuptiis et Concupiscentia*, lib. 1, cp. 23, (P. L. 44, 428). 32) Cf. Os 4, 8. 33) Cf. 2 Cor 5, 21. 34) W. L. t. 2, f. 232ᵃ. 35) Rom 6, 12. Vulg.: *In vestro mortali corpore.* 36) Ibid. 7, 13. 37) W. L. t. 2, f. 246ᵃ. 38) *Assert. Art. 3*, ibid. f. 105ᵃ.

fabrefactum, forte ipso dormiente. D. Augustinus *De Peccatorum Meritis et Remissione* oppositum docuit, dicens [39] quod, cum in Baptismo plena fiat remissio peccatorum, « si continuo consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat solutis omnibus, quae tenebant ».

Scriptura.

Sequitur quartus articulus nihilo melior : [40] « Imperfecta caritas morituri secumfert necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni ». Et hoc fidei dogma ubi legisti in Sacris Voluminibus, Luthere ? Quomodo extra verbum Dei dogmata doces, credenda et asserenda sub poena maledictionis aeternae ? Quam facile Lutherus divina oracula proprio ex pectore ructat crepatque !

Idem dicendum de 4.

III. Sequuntur multi articuli usque ad 32, quos ideo omittimus, quia ipsi etiam Luthero nugales visi sunt. In *Assertione* nanque *Articuli 31* ita loquitur : [41] « Finitis tandem articulis illis nugalibus, in quibus nec pietas nec eruditio doceri vel audiri potuit ». Tantum dico : Si omnes articuli usque ad 31 nugales sunt absque ulla prorsus pietate aut eruditione, quomodo omnes propositi sunt tanquam dogmata fidei, omnibus asserendi atque credendi sub poena maledictionis aeternae ? Nugas igitur absque ulla pietate et doctrina oportet nos ita credere ?

Alii usque ad 31 omittuntur, quia, iuxta Lutherum, nugales sunt.

Sed 31 articulus qualis est ? [42] « Iustus in omni opere bono peccat »; et quidem mortaliter. Non enim agnoscit Lutherus peccatum veniale nisi per somnium. [43] Unde sequitur articulus 32 : [44] » Opus bonum optime factum est peccatum veniale. Sed veniale, inquit, [45] secundum misericordiam Dei, sed mortale secundum iudicium Dei ». Haec autem ubinam in Divinis Eloquiis asseruntur ? Quia, inquit, [46] Isaias ait : *Omnes iustitiae nostrae sicut pannus mulieris menstruatae.* [47] At vero non loquitur ibi Isaias de iustis, sed de peccatoribus, quorum opera, licet suapte natura bona, tamen, quia in peccato sunt facta, Deo grata esse non possunt. Non dicit quod omnes

Sed nec articuli 31: Iustus in omni opere bono peccat, nec 32: Opus bonum, etiam optime factum, est peccatum, inveniuntur in Sacris Litteris. Textus Isaiae,

39) Lib. 2, cp. 28, (P. L. 44, 178-179). 40) *Assert. Art. 4*, W. L. t. 2, f. 105b. 41) Ibid. f. 115a. 42) *Assert. Art. 31*, ibid. f. 109a-110a. 43) *Assert. Art. 32*, ibid. f. 110a; *Assert. Art. 35*, ibid f. 111a; *Assert. Art. 36*, ibid. f. 111b. 44) *Assert. Art. 32*, ibid. f. 116a. 45) Ibid. 46) Ibid. f. 115a. 47) 64, 6. Vulg.: *Et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae.*

iusti in operibus bonis peccant; hoc Lutheri somnium est, non Isaiae enunciatum.

Salomonis

Item quia Salomon ait: *Non est... homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet.* [48] Neque tamen hic Salomon ait, quod omnis iustus in omni opere bono peccat; sed quod in terra *non est... homo iustus, qui* aliquando *non peccet.* Propterea in hebraico est: *Et non peccabit;* nam, sicut in *Proverbiis* ipsemet ait, *septies...* in die *cadit iustus, et resurget.* [49] Quare et hoc figmentum lutherici cerebri est, non sapientissimi Salomonis dictum. Adducit et *Psalmum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* [50] At neque hic dicit Spiritus Sanctus quod omnis iustus, dum opus bonum operatur, peccat; qui enim peccat non bonum operatur, sed malum. Dicit quod nemo hominum coram Deo reperitur absque peccato, hoc est, qui nunquam peccaverit. Ubi est ergo hoc divinum oraculum, quod Lutherus asserit? Somnium est.

et *Psalmi 142,* non recte exponuntur a Luthero.

Item articulus 33 non probatur ex Scriptura;

Quid de articulo 33 dicam, quo ait: [51] «Haereticos comburi esse contra voluntatem Spiritus?» Nimirum vult Spiritus, ut pastores sint in lupos rapaces truculentosque mites et indulgentes! Sed unde novit Lutherus hanc Spiritus voluntatem? Ubi est in Divina Scriptura prohibitum, ne ultimo etiam supplicio puniantur haeretici? Num est etiam divina lege vetitum et fures latronesque suspendere? D. Petrus propter peccatum multo levius haeresi affecit ultimo supplicio Ananiam et Saphiram. [52] Num fecit contra voluntatem Spiritus? Quare iste etiam articulus somnium est.

nec articulus 34.

Nec minus qui sequitur, nempe: [53] «Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos». Bene, optime Luthere, agis, dum Turcarum patrocinium sumis; neque enim potest inimicus non partes inimicorum Christi tueri. Sed dico: Etiam per famem, per pestem et varias infirmitates punit Deus iniquitates nostras. Num seipsum tueri ab huiuscemodi incommodis erit repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per eiusmodi mala? An non delirantis hoc somnium est?

Articulum 35

Sed videamus 35, quo ait: [54] «Nemo certus est se non semper

48) Eccle 7, 21. 49) 24, 16. Vulg.: *Cadet.* 50) Ps 142, 2. 51) *Assert. Art. 33,* W. L. t. 2, f. 116ª. 52) Cf. Act 5, 1-11. 53) *Assert. Art. 34,* W. L. t. 2, f. 116ᵇ. 54) Ibid. f. 117ª.

peccare mortaliter propter occultissimum superbiae vitium ». Hoc probat Lutherus ex articulo 31 et 32, eo quod iustus in omni opere bono secundum iudicium Dei peccat mortaliter.[55] Sed, sicut istorum articulorum assertio Divinis Litteris est prorsus ignota, ita et praesentis assertio. Ubi enim uspiam tale quid in Divinis Libris asseritur aut docetur ?

probat Lutherus ex art. 31 et 32, sed non recte, ut vidimus.

IV. Sed videamus tandem articulum, qui Luthero est omnium optimus et rerum suarum summa.[56] Est autem huiusmodi :[57] « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et, dum facit quod in se est, peccat mortaliter ». Sed articulus iste, omnium optimus et rerum lutheranarum summa, ubi invenitur in Sacrosancta Scriptura ? Quia Christus ait : *Sine me nihil potestis facere.*[58] Intelligo. Sed ubi est hic : « Liberum arbitrium res est de solo titulo, et, dum facit quod in se est, peccat mortaliter ? » Et si prorsus nihil est, et, ut ipse in *Assertione* ait,[59] « figmentum in rebus est et titulus sine re » ; quomodo ergo operatur ? Quomodo facit quod in se est, et, dum facit quod in se est, peccat mortaliter ?

Nec meliori modo probatur articulus omnium maximus, quod liberum arbitrium sit res de solo titulo, etc.

Sed Lutherus tandem a somno expergefactus agnovit articulum istum omnium optimum mere somnium et figmentum esse, ac propterea in *Visitatione Saxonica* ipsum abrogavit.[60] Quod si articulus omnium optimus falsus est, quid censendum de reliquis ? Nugales ergo falsosque articulos dedit pro dogmatibus fidei, quae « sub poena maledictionis aeternae omnibus credenda et asserenda essent ».

Lutherus ipse cognovit esse figmentum, ideoque postea ipsum abrogavit.

Addit Lutherus adhuc alios quosdam articulos, nempe quod « purgatorium non potest probari ex Scriptura, quae sit in canone ».[61] Sed, Luthere, neque canon Scripturae probari potest ex Scriptura. Dicit tamen Lutherus hic se credere purgatorium esse, dicens:[62] « Ego tamen et credo purgatorium esse, et consulo suadeoque, ut credatur ; sed neminem volo cogi ». Subiungit[63] tres articulos de animabus, quae sunt in purgatorio : quod animae, quae sunt in purgatorio, « non sunt securae de sua salute, saltem omnes » ; quod « animae in purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quaerunt requiem et

Reliqui articuli Lutheri somnia dici possunt.

55) Ibid. 56) *Assert. Art. 36*, ibid. f. 119ª. 57) Ibid. f. 117ª. 58) Io 15, 5.
59) *Assert. Art. 36*, W. L. t. 2, f. 118ᵇ. 60) S. 31-32, ed. Lietzmann. 61) *Assert. Art. 37*, W. L. t. 2, f. 119ª. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum. 62) Ibid.
63) *Assert. Art. 38-40*, ibid.

horrent poenas »; ac tandem habet quod « animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent ». Sed dico: In his omnibus luthericae fidei dogmatibus, ubi est verbum Dei? Si, ex Lutheri sententia ac veluti praeiudicio, quidquid extra verbum Dei dicitur et docetur futile est, inane est, somnium et figmentum est; iam scimus iudicium quod de istis articulis faciendum est.

Multa alia figmenta habet in scriptis suis.

Multa istiusmodi articulis affinia, quin etiam consanguinea habet Lutherus in *Resolutionibus Conclusionum Lipsiae Disputatarum*, [64] multa in universis scriptis suis sive scepticis, sive exegeticis et paraeneticis; semper enim sibi similis Lutherus ubique zizania superseminat, [65] et veluti somnians loquitur, furiisque agitatus insanit.

Aliqua afferuntur ex *Post. Commentario ad Galatas.*

V. Non ab re vero fore duximus si ex *Posteriore* ipsius *Commentario in Epistolam ad Galatas*, aliqua ex multis huc afferamus, maxime vero circa articulum iustificationis et fidei; qua de re in toto illo *Commentario* plane longissimo Lutherus verbosissime agit, nihilque aliud ex proposito versat.

In epistolae *Argumento* statuit quattuor iustitias: politicam, ceremonialem, legalem et christianam;

Et quidem in ipso epistolae *Argumento* multa veluti per somnium loquitur Lutherus. Primo enim statuit quattuor iustitias: [66] politicam, de qua philosophi et iureconsulti agunt; ceremonialem, quam docent traditiones Papae, – ita appellat ius canonicum; – legalem sive Decalogi, quam docet Moyses; et iustitiam fidei sive christianam. Hanc dicit iustitiam mere passivam, illas vero activas iustitias appellat. Sed dicit illas esse huic prorsus contrarias, cum tamen agnoscat illas etiam esse dona et opera Dei. Quid igitur? Dona Dei sunt invicem contraria? Lumen contra lumen pugnat? Dictu mirabile est quod iustitia, quae divinis legibus maxime vero Decalogo continetur, sit fidei et christianae iustitiae prorsus contraria. Ubi tale commentum reperit in Sacris Litteris Lutherus? Praeterea, cum iustitiam legalem dicat mere activam, iustitiam vero christianam mere passivam, absque ullo prorsus opere nostro; ait iustitiam christianam pertinere

illas activas vocat, hanc passivam;

64) Ibid. t. 1, f. 293ᵇ sqq. 65) Cf. Mt 13, 23. 66) W. L. t. 5, f. 272ᵃ.

ad novum hominem, iustitiam autem legalem pertinere ad veterem hominem, qui natus est ex carne et sanguine.[67]

Tunc somniat[68] duos mundos: unum terrenum, et alterum coelestem; et in eis constituit has iustitias, dicens quod iustitia legalis terrena est et de terrenis agit; iustitia vero christiana coelestis. Tunc adducit illud P a u l i: *Sicut portavimus imaginem terreni* Adae; ita *portemus... imaginem coelestis,*[69] qui est, inquit, novus homo in novo mundo. *Novorum daemoniorum,* vel somniorum, *annunciator*[70] L u t h e r u s est. Quis audivit unquam, quod divinarum legum observatio, quae nonnisi Dei donum est, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum,*[71] res sit terrena, ad veterem hominem, quem expoliare debemus,[72] pertinens? illa est terrena, haec coelestis.

Somniat[73] quod inter has duas iustitias a c t i v a m legis et p a s s i v a m Christi non est medium; adeo ut «qui aberraverit a iustitia christiana, hunc oporteat in activam relabi, hoc est, inquit, amisso Christo ruere in fiduciam operum». Quasi vero non possit homo deserente Deo exlex et atheus fieri. Docet[74] quod lex divina nullum ius habet in conscientia, sed quod tantum data est ad exercendum veterem hominem et ut habeat dominium carnis. «Quare si lex, inquit, vult occupare conscientiam, et hic dominari, vide, ut sis bonus dialecticus, recte dividas et legi non plus tribuas quam ei tribuendum est. Sed dicas: Lex, tu vis ascendere in regnum conscientiae et ibi dominari et eam peccati arguere; hoc praeter officium tuum facis, consiste intra limites tuos, et exerce dominium in carnem, conscientiam autem ne attingas mihi, sum enim baptizatus». Quis non hic audit somniantem L u t h e r u m? Quid aliud divina lex est, nisi lumen et regula normaque conscientiae?[75] Quomodo ergo nihil ad conscientiam spectat? Agit autem de lege Decalogi. Iustitia legalis, idest, Decalogi, nullum habet ius in conscientia; at hoc est sane somniantis deliramentum.

VI. Excitatus autem a diabolo L u t h e r u s cernitur, ut esset divinarum legum immanissimus hostis, eversor, destructor sub fidei specie, unde in *primo capite ad Galatas* sub initium ait[76] «Evangelium esse talem doctrinam, quae damnat omnem iustitiam et solam Christi In capite 1 dicit quod Evangelium damnat iustitiam legalem, con-

67) Cf. Io 1, 13; Eph 4, 22. 68) W. L. t. 5, f. 273ª. 69) 1 Cor 15, 49. 70) Act 17, 18. 71) Iac 1, 17. 72) Cf. Col 3, 9. 73) W. L. t. 5, f. 273ᵇ. 74) Ibid. f. 274ª. 75) Cf. Ps 18, 8-10; Ps 118, 105. 76) W. L. t. 5, f. 275ª.

tra verba Christi: *Non veni*, etc.

praedicat ». Unde habet Lutherus quod Evangelium damnat omnem iustitiam, nedum politicam et canonicam, verum etiam legalem Decalogi, cum Christus dixerit se non venisse *solvere legem..., sed adimplere ;* [77] et : *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata ?* [78]

In capite 2 facit fidem caritati superiorem, imo ipsi adversam contra expressam Pauli doctrinam.

Capite secundo ad Galatas, ita loquitur : [79] « Caritas omnia ferat, credat, speret; fides e contra regnet, imperet, triumphet, nulli cedat ». Et post pauca : [80] « Plane contraria sunt effectus, officia et virtutes caritatis et fidei ». Bone Deus, quid homo iste loquitur ? Fides et caritas virtutes contrariae sunt ? Non possunt ergo manere in eodem subiecto ; nemo ergo habens fidem potest habere caritatem ? Quomodo ergo Paulus ait : *Nunc autem manent fides, spes, caritas ?* [81] Et si verum est quod Paulus ait, ut est verissimum, quod *caritas* fide *maior est*, [82] adeo ut si quis omnem fidem habeat sine tamen caritate, nihil sit ; [83] quodnam hoc somnium Lutheri est, ut caritas omnibus cedat, fides autem regnet, imperet, triumphet ?

Duplex etiam facit Evangelium: verum, quod solam fidem; falsum, quod etiam opera requirit.

Folio 296 somniat Lutherus [84] duplex Evangelium, verum et falsum. Falsum autem dicit a ministris satanae depravatum. Bene ; sed videamus quaenam sit Luthero veritas aut falsitas Evangelii : « Est autem veritas Evangelii, quod iustitia nostra est ex sola fide sine operibus legis ; falsitas seu depravatio Evangelii est, quod fide iustificemur, sed non sine operibus legis » ; et subiungit : [85] « Hac conditione annexa pseudoapostoli praedicaverunt Evangelium, hoc idem fecerunt sophistae et papistae nostri, quod scilicet in Christum sit credendum, fidemque esse fundamentum salutis, [86] sed eam non iustificare nisi formata sit caritate. [87] Haec non est veritas, sed fucus et simulatio Evangelii ». Ex quibus, quaeso, Divinarum Scripturarum fontibus hausit Lutherus istas veri falsique Evangelii definitiones ? Ubi unquam dicit Scriptura nos sola fide iustificari? Somniat.

Addit etiam, quod Petrus non recte ambulavit in veritate Evangelii.

VII. Sed hoc posito fundamento, videamus, quam erigat molem, quid superaedificet. Folio 304 ita loquitur : [88] « Supra monui multos habere Evangelium, sed non veritatem Evangelii. Sic Paulus hic dicit Petrum, Barnabam et alios Iudaeos non recte ambulare ad veri-

77) Mt 5, 17. 78) Ibid. 19, 17. 79) W. L. t. 5, f. 305ᵃ. 80) Ibid. 81) 1 Cor 13, 13. 82) Ibid. Vulg.: *Maior... est caritas.* 83) Cf. ibid. vrr. 1-3. 84) W. L. t. 5, f. 296ᵇ. 85) Ibid. 86) Cf. Hebr 11, 5. 87) Cf. Gal 5, 6. 88) W. L. t. 5, f. 304ᵃ.

tatem Evangelii, [89] hoc est, habere quidem Evangelium, sed non recte in eo ambulare ». Quid Luthere ; num etiam Petrus et Barnabas, in haeresim lapsi, Evangelium depravarunt ? O scelus, o fatum, o odium Dei et hominum! Hic non modo somniat, sed blasphemat etiam Lutherus. Ubi ita etiam loquitur : [90] « Hoc mirabile exemplum est de maximis viris et columnis ecclesiarum, hic solus Paulus habet apertos oculos, et videt peccatum Petri, Barnabae et aliorum Iudaeorum, qui una cum Petro simulabant. E contra ipsi peccatum suum non vident, imo putant se recte facere et per caritatem servire infirmis Iudaeis ». Et folio praecedenti ait, [91] quod si quis vellet amplificare peccatum Petri, esset maximum, quod lapsus fuit factusque auctor tanti scandali, quodque peccavit contra suum proprium decretum in concilio Ierosolymitano. [92]

et peccavit contra proprium decretum;

Sed quam multa hic somniat Lutherus! Ubi dicit Scriptura Petrum peccasse ? Paulus dicit quod Petrus *reprehensibilis* erat, sive, ut graece est, *reprehensus*, hoc est, quod factum Petri multis non probabatur, Gentiles murmurabant ea de re. Ubi dicit quod peccavit ? Et in concilio Ierosolymitano non fuit decretum, ut Iudaei gentiliter viverent, sed ne Gentiles ad fidem conversi cogerentur circumcidi et iudaice vivere ; si enim hoc decretum fuisset, Petro nihil timendum fuisset, ne scandalizarentur Iudaei videntes ipsum gentiliter vivere. Sed sufficit Luthero blasphemum os aperire et in coelum etiam ponere ; [93] loquitur, obloquitur, omnia susdeque confundit, somniat, furit, blasphemat, insanit, prout furente spiritu satanae agitatur.

quod falsum esse patet ex verbis ipsius Pauli et ex textu decreti Ierosolymitani.

Esset autem immensi laboris, sed nullius pretii universa somnia nugasque Lutheri ex hoc *Commentario*, huiuscemodi figmentis undequaque plenissimo, in unum congerere ; tantum dicam quod saepissime loquitur de discrimine legis et Evangelii, sed semper Evangelium sola fide, legem vero solis operibus quam insanissime definiens ; [94] saepissime item quod sola fides iustificat, et centies replicat ubique passim in eo *Commentario ;* [95] sed ita tamen ut nusquam vel unum adduxerit ex Divinis Voluminibus locum, qui asserat quod sola fides

Alia figmenta congerit Lutherus in hoc *Commentario*, in quo semper repetit, quod sola fide iustificamur, nullum Scripturae locum afferens, qui hoc probet.

89) Cf. Gal 2, 13-14. 90) W. L. t. 5, f. 304^a. 91) Ibid. f. 303^a. 92) Cf. Act 15, 22-29.
93) Cf. Ps 72, 9; Apc 13, 6. 94) W. L. t. 5, f. 303^b-304^b. 310^b. 312^a-319^a. 329^a.
95) Ibid. f. 305^b. 307^b-308^b. 310^a-328^b.

hominem iustificat. Saepe quidem legimus hominem iustificari *fide*,[96] *per fidem*,[97] *ex fide*;[98] sed quod fides ipsa iustificat nusquam in Sacris Litteris reperitur, multo minus quod sola fides; nisi quod Lutherus manifestus falsarius ex suo cerebro vocem hanc addidit[99] textui Pauli in epistola *ad Romanos*, faciens quod proprium haereticorum est: Scripturas pervertere et depravare.

In capite 3 fidem dicit esse fiduciam in Filium Dei;

VIII. Et praeterea mirabili metamorphosi Lutherus fidem in fiduciam transmutavit; nam *capite tertio ad Galatas* fidem proprie ac diserte definiens, ait[100] « quod sit fiducia in Filium Dei, seu fiducia cordis per Christum in Deum, quae fiducia imputatur ad iustitiam propter Christum ».

In capite vero 5, sibi contradicens, affirmat quod fides est notitia, et spes exhortatio.

Sed somniat Lutherus, ipsomet auctore, nam *capite quinto ad Galatas* assignans discrimen inter fidem et spem, ait[101] quod « difficile est discrimen aliquod invenire; tantam enim cognationem inter se fides et spes habent, ut haec ab illa divelli non possit. Et tamen aliquod discrimen inter ipsas est, quod ab officiis contrariis et finibus ipsarum sumendum est. Differunt subiecto, quia fides est in intellectu, spes in voluntate, re tamen separari non possunt, respiciunt enim se mutuo ut duo Cherubim propitiatorii;[102] officio, quia fides dictat, dirigit et docet estque notitia, spes exhortatio est, quia excitat animum, ut sit fortis et erectus, ut audeat, ferat, perduret in malis, ac in illis expectet meliora; obiecto, quia fides habet obiectum veritatem, cui certo et firmiter docet adhaerendum esse et intuetur in verbum rei, sive promissiones rerum; spes habet obiectum bonitatem et intuetur in rem verbi, hoc est, in rem promissam seu in res sperandas, quae fides dictavit suscipiendas; ordine, quia fides est ante omnem tribulationem initium vitae, spes posterior ex tribulationibus parta; a contrariis, quia fides doctor et iudex est, pugnans contra errores et haereses, iudicans spiritus et doctrinas; spes imperator est, seu dux belli pugnans contra tribulationem, crucem, impatientiam et expectat bona sub malis ». Ergo, Luthero ipso doctore, fides non est fiducia,

96) Gal 5, 6; Hebr 11, 1 sqq. 97) Rom 3, 22. 28; 5, 2; Gal 2, 16. 98) Rom 3, 26; 5, 1; 9, 30; 10, 6; Gal 2, 16; 3, 8-9. 99) *Das Newe Testament* Doct. M. Luthers, Epist. *an die Römer* 3, 28, ed. cit. 100) W. L. t. 5, f. 335ᵇ. 101) Ibid. f. 406ᵃ. 102) Cf. Ex 37, 9.

sed notitia ; unde prosequitur : [103] « Quando igitur fide in verbum Dei edoctus apprehendo Christum et tota fiducia cordis, quod tamen sine voluntate fieri non potest, credo in eum, hac notitia iustus sum. Sic fide, seu hac notitia me iustificato, statim venit diabolus », etc. Sed quanta hic etiam somniat Lutherus! Quod fides sit notitia, quod spes sit exhortatio, quod fides est ante omnem tribulationem, spes posterior ex tribulationibus, quod fides sit iudex, iudicans spiritus et doctrinas, spes imperator et dux belli pugnans contra tribulationes. Ubi in his omnibus verbum Dei? Quod fides et spes tantam habeant inter se cognationem, ut una non possit ab altera divelli ubi legitur?

Quae quidem assertiones inter Lutheri somnia amandandae sunt,

Declarat tamen rem hanc Lutherus similitudine, imo duplici similitudine : altera in politia, inquiens : [104] « Differunt prudentia et fortitudo, tamen ita coniunctae sunt hae virtutes, ut facile divelli non possint. Ita fides sine spe nihil est, et vicissim spes sine fide praesumptio est et tentatio Dei ». Sed ubi invenit Lutherus spem sine fide? Num sperari potest quod non creditur? Somniat. Et ubi invenit quod prudentia et fortitudo non facile possunt ab invicem divelli? Altera similitudo est, quod fides dialectica sit, spes autem rhetorica. « Sicut autem dialectica et rhetorica distinctae artes sunt, et tamen adeo inter se cognatae, ut altera ab altera separari non possit, – et hoc somnium est; – ita, inquit, [105] fides et spes distincti effectus sunt et tamen propter magnam cognationem, quam habent inter se, divelli non possunt ». Docet [106] tamen quod « fides aliud est quam spes, et spes aliud quam fides ». At si ita est, quomodo fides definita est quod sit fiducia in Christum?

sicut etiam similitudines ad illustrandam doctrinam allatae.

103) W. L. t. 5, f. 406ª. 104) Ibid. 105) Ibid. 106) Ibid. f. 406ª.

DISSERTATIO SECUNDA

MARTINI LUTHERI DELIRAMENTA ATQUE FIGMENTA [1]

Haeretici, *aberrantes a fide*, conversi se erant *in stultiloquium*.

I. Apostolus Paulus, *ad Romanos* scribens, de hominibus loquitur, qui in peccatis suis sunt *inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* [2] De haereticis specialiter loquens *prima Timotheo,* ait quod *aberrantes... a fide* ἀνυποκρίτου [3] *non ficta,* vera, *conversi sunt in vaniloquium, mateologiam, stultiloquium.* [4]

Quod et Luthero contigit;

Ex horum choragio fuisse Martinum Lutherum hominem [4a] in oculis suis sapientissimum, adeo ut nihil faceret [5] mille Cyprianos, mille Augustinos universumque Sanctorum Patrum chorum, [6] dubitari non potest. Cum enim in catholica religione ab infantia ad quadragesimum fere annum educatus, Deum per catholicam fidem fideique normam cognovisset, *in superbiam* tamen *elatus,* [7] volens *sapere plusquam oportet sapere,* [8] minimeque inspecto Apostoli monito : *Noli altum sapere, sed time,* [9] dicens se super omnes catholicos Doctores sapientem esse, stultus factus fuit, ac veluti alter Nabuchodonosor insipienti corde affectus, in bestiam mutatus fuit. [10] Hinc multa dixit scripsitque absurda, quae figmenta ac potius deliramenta iure dici possunt et dicta hominis malo quodam enthusiasmo mentisque alienatione affecti. Quod ne gratis dixisse videamur et hominem invidia gravare voluisse, ipsum dicentem docentemque audiamus.

Ideo innumera deliramenta scripsit.

Multa quidem sunt quae videntur deliramenta, cum divina mysteria sint ; nam Apostolis, quae a sanctis mulieribus de Christi resurrectione verissime dicebantur, *visa fuere* tanquam *deliramenta.* [11] At vero quae ex Luthero adducemus, verissima sunt deliramenta figmentaque.

1) Cod. 2, f. 210a-213b. 2) 1, 20-21. 3) 1, 5. Ms.: *Anepinecritu.* 4) 1, 6. Verba: *Fide non ficta* sunt in versiculo 5. 4a) Ms.: *Homo.* 5) Lutherus *Contra Henricum Regem Angliae,* W. L. t. 2, f. 369b. 6) Ms.: *Chorus.* 7) 1 Tim 3, 6. 8) Rom 12, 3. Vulg.: *Plus sapere, quam,* etc. 9) Ibid. 11, 20. 10) Cf. Dn 5, 21. 11) Lc 24, 11. Vulg.: *Sunt... deliramentum.*

II. Insigne deliramentum habet L u t h e r u s in libro *De Libertate Christiana*,[12] dicens quod Christus et anima per fidem fiunt una caro esseque Matrimonium omnium perfectissimum, ita ut fiant omnia communia. Christus plenus est gratia, vita et salute ; anima plena peccatis, morte et damnatione. Per fidem autem fit ut Christi sint peccata, mors et infernus. Optime sane, per fidem anima cum Christo fit una caro : *Qui... adhaeret Deo unus spiritus est.*[13] Itemque anima unum facta cum Christo plena est peccatis, morte et damnatione, et Christus hac unione acquirit peccata, mortem et infernum. O insaniam !

Delirat, cum ait per fidem animam fieri unam carnem cum Christo, et peccata, mortem, damnationem animae ipsius Christi esse;

Annon delirat L u t h e r u s, cum in *prima Epistola Petri* ait :[14] « Quia renati sumus filii et heredes Dei, pares sumus in dignitate et honore D. Paulo, S. Deiparae Virgini et divis omnibus? »

cum ait omnes pares esse in dignitate Sanctis et Deiparae.

Sed, quia innumera sunt hominis deliramenta, constitui quam plura colligere ex uno tantum ipsius *Commentario in Epistolam ad Galatas*. Hic primum delirat L u t h e r u s, dum super illud *capitis primi : Notum... vobis facio*,[15] etc. praefert doctrinam suam etiam Apostolis, dicens :[16] « Esto sane Ecclesia, Augustinus et alii Doctores, item Petrus, Apollo, imo etiam Angelus de coelo diversum doceant ; tamen mea doctrina est eiusmodi, quod solius Dei gratiam et gloriam illustrat et praedicat ».

Delirat, dum praefert doctrinam suam Apostolis;

In *Epistola ad Galatas, capite primo*, delirat L u t h e r u s cum ait :[17] « Saepe audistis a nobis hunc canonem in Sacris Litteris diligentissime observandum, ut abstineamus a speculatione Maiestatis, quae humano corpori intolerabilis est, multo magis menti ». Sed quomodo speculatio divinae Maiestatis est corpori intolerabilis et multo magis menti ? Num etiam corpus potest divinam Maiestatem speculari ?

dum ait speculationem Maiestatis intolerabilem esse corpori;

Fuit Lutherus fidei et Scripturarum summus, ut sibi videbatur, assertor et praedicator ; sed in fide laudanda adeo excessit, ut plane delirarit. In *Epistola ad Galatas, capite secundo*, super illud : *Mihi... qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt*,[18] ita ait : « Christianus, quod ad fidem attinet, superbissimus et pertinacissimus sit, nihil plane patiatur, nulli ne pilo quidem cedat, fide enim homo fit Deus, Deus autem nihil patitur, nulli cedit, est enim immutabilis ; sic fides est im-

dum ait, quod fide homo fit Deus, et ideo nulli cedere debet, immutabilis fide factus;

12) W. L. t. 2, f. 5ᵇ. 13) 1 Cor 6, 17. Vulg.: *Domino*, loco: *Deo*. 14) W. L. t. 5, f. 442ᵃ. 15) Vr. 11. 16) W. L. t. 5, f. 290ᵇ. 17) Ibid. f. 279ᵇ. 18) Vr. 6. Vulg.: *Esse aliquid*.

per caritatem autem fit merus homo, in omnibus cedens;

mutabilis ». Ubi etiam docet quod per caritatem homo cedit, quia per caritatem est merus homo. Annon delirat hic L u t h e r u s, cum ait quod fide homo fit Deus, caritate autem merus homo, cum, P a u l o teste, caritas maior sit fide : *Et si habuero,* inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil sum ?*[19] Docet autem, quae attulimus, L u t h e r u s tomo 5, Wittembergae, latine, folio 299.[20] Folio 300[21] ait : « Per fidem oportet nos esse immites, inflexibiles et pertinacissimos, ac, si possemus, duriores adamante ; per caritatem autem molliores et flexibiliores omni arundine et folio et ad omnia obsequentes ». Quid ergo ? Non est verum, quod S a l o m o n ait: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio?*[22] Et quod P a u l u s ait : *Quis ... nos separabit a caritate Christi ?*[23] Ubi ostendit caritatem esse insuperabilem et invictissimam. Sed delirat L u t h e r u s.

contra doctrinam Scripturae.

Ait etiam, quod fides sit infinita, creatrix Maiestatis divinae, etc.;

Folio autem 334[24] eiusdem tomi *super caput tertium* eiusdem *Epistolae,* versans illud : *Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iustitiam,*[25] ait : « Paulus ex his verbis : *Credidit Abraham Deo,* summum cultum, summum obsequium, summam obedientiam et sacrificium facit ex fide in Deum. Qui rhetor est, exaggeret hunc locum, et videbit quod fides sit res omnipotens quodque virtus eius sit inaestimabilis et infinita ». Et post pauca :[26] « Fides consummat divinitatem et, ut ita dicam, creatrix est divinitatis non in substantia Dei, sed in nobis, nam sine fide amittit Deus gloriam suam. In summa, nihil maiestatis et divinitatis relinquitur Deo, ubi fides non est ». Haec autem quam portentosa deliramenta figmentaque sunt ! Quod fides sit omnipotens et infinita, sit creatrix divinitatis in nobis, quod sine ea nihil maiestatis et divinitatis relinquitur Deo, cum fides non sit nisi donum Dei,[27] et effectus Dei in nobis, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum.*[28]

quod nullus alius Deus est recognoscendus, nisi qui incarnatus est;

III. *Capite primo ad Galatas* delirans loquitur L u t h e r u s, dicens:[29] « Ibi incipe, ubi Christus incoepit, nempe in utero Virginis ». Et post pauca :[30] « Nullum Deum scito extra istum hominem Iesum Christum ». Et postea :[31] « Nullum Deum cognoscendum esse praeter hunc

19) 1 Cor 13, 2. 20) F. 299b. 21) F. 300b. 22) Ct 8, 6. 23) Rom 8, 35.
24) F. 334a. 25) Vr. 6. Vulg.: *Abraham credidit... illi.* 26) W. L. t. 5, f. 334a.
27) Cf. Eph 2, 8. 28) Iac 1, 17. 29) W. L. t. 5, f. 279a. 30) Ibid. 31) Ibid.

incarnatum et humanatum Deum ». Sed non est incarnatus nisi Filius ; non est igitur cognoscendus Pater ? Non Spiritus Sanctus ? Deliria loquitur.

Multo [32] post autem non modo delirus, verum et blasphemus invenitur Lutherus, nam inquit : [33] « Fides ita dicit : Ego credo tibi Deo loquenti. Quid loquitur Deus ? Impossibilia, mendacia, stulta, infirma, absurda, abominanda, haeretica et diabolica, si rationem consulas. Quid enim magis ridiculum, stultum et impossibile quam cum Deus ait ad Abraham, quod accepturus sit ex sterili et iam emortua carne Sarae filium ? » [34] Ergo ne, Luthere, quaecumque divina sunt, humana ratio iudicat impossibilia, haeretica, diabolica ? At Paulus ait quod *invisibilia... Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* [35] Post pauca ait Lutherus, [36] quod « fides rationem mactat et occidit », cum tamen fides donum et gratia Dei sit, non destruens, sed perficiens naturam humanam animamque rationalem. Paulus ait quod captivat *intellectum in obsequium Christi,* [37] non quod mactat et occidit.

quod Deus mendacia, absurda, diabolica, etc. iuxta humanam rationem loquitur,

contra doctrinam Pauli: *Invisibilia Dei, etc.*

Deinde dat christianae iustitiae definitionem, dicens : [38] « Discant igitur studiosi Sacrarum Litterarum ex hoc dicto : *Credidit Abraham Deo et imputatum est ei ad iustitiam,* christianam iustitiam proprie ac diserte sic definire, quod sit fiducia in Filium Dei, seu fiducia cordis per Christum in Deum ; deinde addant hanc particulam tanquam differentias : quae fiducia imputatur ad iustitiam propter Christum ». Sed hoc est lutherici cerebri figmentum, non Divinarum Scripturarum documentum, unde discere possint studiosi Sacrarum Litterarum, quid sit iustitia christiana. Nam, ut ipsemet Lutherus sibi opponit, [39] fidei vocabulum in hebraico significat veritatem [40] ipseque ait respondendo : « Fidem nihil aliud esse quam veritatem cordis, hoc est, rectam cogitationem cordis de Deo ». Quod post pauca replicans, ait, [41] quod vera cogitatio de Deo nihil aliud plane est quam ipsa fides. Quod falsum quidem est, cum fides assensus sit, non cogitatio ; sed transeat. Quomodo ergo fidem vertit Lutherus in fiduciam ? Hoc solemne est homini pro verbo Dei capitis sui figmenta venditare.

Iustitiam definit fiduciam in Filium Dei imputatam ad iustitiam,

dum ibidem dixerat quod fides est cogitatio de Deo.

32) Ms.: *Paulo.* 33) W. L. t. 5, f. 334[b]. 34) Cf. Gn 17, 16-19; Rom 4, 19.
35) Rom 1, 20. 36) W. L. t. 5, f. 334[b]. 37) 2 Cor 10, 5. 38) W. L. t. 5, f. 335[b].
39) Ibid. f. 337[a]. 40) Cf. Io. Buxtorfius op. cit. sub. v. אֱמוּנָה. 41) W. L. t. 5, f. 337[b].

Duplicem fidem introducit: Nudam, quando agitur de iustificatione, incarnatam, quando de operibus.

Hinc agens de fide adhuc aliud figmentum nobis praebuit [42] de duplici fide: altera quidem absoluta, abstracta, nuda; altera vero composita, concreta, incarnata, et quod fides absoluta sive abstracta est, cum Scriptura loquitur de iustificatione; quando vero Scriptura loquitur de praemiis et operibus, tunc loquitur de fide composita, concreta et incarnata. Quis audivit unquam figmenta similia? Haeccine sunt dogmata de coelo allata?

Fingit duellum inter Christum et legem, in quo Christus legem trucidavit.

IV. *Super caput quartum ad Galatas* fingit mirabile duellum inter Christum et legem Dei, dicens, [43] quod lex «saeviit in Christum multo atrocius quam in nos peccatores», quod «accusavit Christum ut blasphemum et seditiosum, fecitque eum reum coram Deo omnium peccatorum totius mundi, denique sic contristavit et pavefecit ut sudaret sanguinem, postremo sua sententia condemnavit ad mortem, et quidem crucis. Hoc profecto mirabile duellum est ubi lex, creatura, cum creatore suo sic congreditur et praeter omne ius omnem tyrannidem suam in Filio Dei exercet. Quia ergo lex tam horribiliter et impie peccavit in Deum suum vocatur in ius et accusatur. Ibi Christus ait: Domina lex, imperatrix et regina potentissima et crudelissima totius generis humani, quid commisi quod accusasti, perterrefecisti et condemnasti me innocentem?» Ita ait quod Christus «legem vicit, prostravit et trucidavit». Haec autem annon mera sunt nugamenta figmentaque insanissima?

Sed prosequamur. *Capite tertio ad Galatas*, cum mirabiliter philosophatus fuisset [44] de vocabulis facere et operari, quod tripliciter accipienda sunt: substantialiter, sive naturaliter, moraliter et theologice, dedissetque nobis fidele facere secundum fidem incarnatam; docet mirabilem rationem ad solvenda argumenta prae bonis operibus ex Scripturis desumpta, dicens: [45] «Esto, quod sophistae sint argutiores me et ita obruant et illaqueent me argumentis pro operibus contra fidem, ut prorsus me explicare non possim, quamvis hoc illis impossibile sit; tamen potius honorem habere et credere velim uni Christo».

Docet Scripturam esse servum, et quando de

V. Sed quid, quaeso, est hoc: «Potius velle honorem habere uni Christo?» Ait: [46] «Quare simpliciter eis ita respondendum est: Hic Christus est, illic [46a] Scripturae testimonia de lege et operibus; Christus

42) Ibid. f. 344b. 43) Ibid. f. 374b. 44) Ibid. f. 345a. 45) Ibid. f. 345b.
46) Ibid. 46a) Ms.: *Illis*.

autem dominus est Scripturae et omnium operum ». Et post nonnulla : [47] « Nihil moror Scripturae locos ; si etiam sexcentos producas pro iustitia operum contra iustitiam fidei, et clamites Scripturam pugnare; ego auctorem et dominum Scripturae habeo, a cuius parte volo potius stare quam tibi credere ». Et rursus post alia quaedam: [48] « Tu urges servum, hoc est, Scripturam, et eam non totam neque potiorem eius partem, sed tantum aliquot locos de operibus. Hunc servum relinquo tibi ; ego urgeo dominum, qui rex est Scripturae, qui factus est mihi meritum et pretium iustitiae et salutis ». O mirabilem Lutheri philosophiam! Quid igitur? Scriptura non est verbum Dei? Non loquitur Christus nobis per Scripturas? Non est Scriptura lingua Spiritus Sancti?

operibus loquitur, currendum esse ad Christum, qui est dominus,

et relinquendam esse Scripturam.

Semper Lutherus a Patribus, a conciliis, ab Ecclesia provocavit ad Scripturas ; [49] nunc Scripturis nuncium remittit et a Scripturis ad Christum pro libito et capitis sui figmento insanissime provocat. Hoc autem perinde est ac si lecta regis epistola propria ipsius manu conscripta, quis diceret : Epistola quidem sic dicit, sed non rex. Aut lata in aliquem regis sententia, diceret insanus ille : Sententia quidem regis ita loquitur, sed ego scio regem mihi favere, eaque persuasione [50] sententiam respueret. Et quis adeo insanus est auctoris alicuius librum ita loqui, non autem auctorem?

Sic Lutherus prius despexit Patres, nunc etiam Scripturam.

Eodem capite delirans Lutherus ita loquitur, [51] docens in Ecclesia nullum esse peccatum, ut homo maxime delirus insanusque: « Quod autem, inquit, Christo nunc regnante, nullum revera amplius peccatum, mors et maledictio sit, confitemur quotidie etiam in symbolo Apostolorum, cum dicimus : Credo Ecclesiam sanctam. Quod plane nihil aliud est quam si diceremus : Credo nullum peccatum, nullam mortem in Ecclesia esse, quia credentes in Christum non sunt peccatores, non sunt rei mortis, sed simpliciter sancti et iusti, domini peccati et mortis et in aeternum viventes. Verum hoc tantum fides cernit, quia dicimus : Credo Ecclesiam sanctam. Si autem rationem et oculos tuos consulueris, diversum iudicabis. Vides enim multa in piis quae te offendunt, vides eos quandoque labi, peccare, infirmos

Docet etiam in Ecclesia nullum esse peccatum, etc. quia dicimus: Credo Ecclesiam sanctam,

et quia credentes in Christum non sunt peccatores.

47) Ibid. f. 346ª. 48) Ibid. 49) *Assert. Art.* etc. ibid. t. 2, f. 95. 99ᵇ. 100ª. 108ᵇ; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 369ᵇ; *Annotat. in aliquot Capita Matth.* ibid. t. 5, f. 53ª.
50) Ms.: *Persuasionem.* 51) W. L. t. 5, f. 351ª.

esse in fide, iracundia, invidia et aliis malis affectibus laborare. Ergo Ecclesia non est sancta. Nego consequentiam. Si meam vel proximi personam inspicio, nunquam erit sancta; si autem Christum, qui Ecclesiam purificat et sanctificat, inspicio, tota sancta est. Hic enim peccata totius mundi sustulit, ideo peccata non sunt revera ibi, ubi cernuntur et sentiuntur. Nam secundum theologiam Pauli nullum peccatum, nulla mors, nulla maledictio est amplius in mundo, sed in Christo, qui est *Agnus Dei..., qui tollit peccata mundi* ». [52] Si hic Lutherus non extra chorum saltat, quis unquam alius? Peccatum et mors non sunt in Ecclesia, ubi cernuntur et sentiuntur, sed in Christo, *qui tollit peccata mundi.* Credo Ecclesiam sanctam, hoc est, credo nullum peccatum, nullam mortem in Ecclesia esse. Quomodo ergo orat Ecclesia: *Dimitte nobis debita nostra?* [53]

Quomodo ergo Ecclesia orat: *Dimitte nobis debita nostra?*

VI. Addemus et aliud Lutheri ex proprio cerebro insigne figmentum. Scribens *in secundum caput ad Galatas* super illud: [54] *Ut veritas Evangelii permaneret apud vos,* ait: [55] « Est autem veritas Evangelii, quod iustitia nostra est ex sola fide sine operibus legis; falsitas seu depravatio Evangelii est, quod fide iustificemur, sed non sine operibus legis. Hac conditione annexa pseudoapostoli praedicaverunt Evangelium, hoc idem fecerunt sophistae et papistae nostri, quod scilicet in Christum sit credendum fidemque esse fundamentum salutis, sed eam non iustificare nisi formata sit caritate. Haec non est veritas, sed fucus et simulatio Evangelii; verum autem Evangelium est, quod opera aut caritas non sint ornatus seu perfectio fidei, sed quod fides per se est donum Dei et opus divinum in corde, quod ideo iustificat, quia apprehendit ipsum Christum ». Sed quo auctore, quo teste hoc asseris, Luthere? Unde ista tua oracula? Paulus ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil sum;* et Iacobus quod *fides sine operibus mortua est,* [56] et quod non ex fide tantum iustificatur homo. [57] Unde ergo ista tua deliria: hanc esse veritatem Evangelii, hoc docere verum Evangelium quod sola fides iustificat et salvat, quia apprehendit Christum?

Ibidem ait, quod veritas Evangelii est nos sola fide iustificari, falsitas quod iustificamur fide, sed non sine operibus, contra apertam doctrinam Pauli et Iacobi.

Eodem *Commentario* amplius delirat Lutherus, dicens nos omnino aequales esse Apostolis: « Eundem, inquit, [58] et communem

Repetit adhuc, quod nos aequales sumus

52) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum.* 53) Mt 6, 12. 54) Vr. 5. Vulg.: *Permaneat.* 55) W. L. t. 5, f. 296ᵃ. 56) 2, 26. 57) Cf. ibid. vr. 24. 58) W. L. t. 5, f. 302ᵃ.

spiritum gratiae et precum habemus nos, quem habuerunt Apostoli et omnes Sancti; nullam praerogativam habuerunt prae nobis, eadem habemus bona quae ipsi, eundem Christum, Baptisma », etc. O insaniam! *Nunquid omnes apostoli..., nunquid omnes prophetae,* nunquid omnes evangelistae, *nunquid omnes gratiam habent curationum?* [59]

Apostolis in spiritu gratiae, etc. contra verba Pauli: *Numquid omnes apostoli?* etc.

Paulo post vero et aliud addit delirium, dicens: [60] « Est quidem Ecclesia sancta, ut fides nostra confitetur: Credo Ecclesiam sanctam; et tamen peccatum habet. Hinc credit remissionem peccatorum, et orat: *Remitte nobis debita nostra.* Quare non dicitur formaliter sancta, ut paries albus ab albedine inhaerente; inhaerens illa sanctitas non est satis, sed Christus est perfecta et tota sanctitas ipsius ». Invexit enim Lutherus [61] monstruosum ac nunquam auditum dogma de iustitia imputativa, qua Deus hominem iustificat quidem, sed putative tantum, hoc est, non vere iustum facit; sed, cum impius sit et peccator licet maximus et vitiis omnibus maculatissimus, tamen iustum iudicat propter meritum Christi, quasi iudicium Dei non sit, ut Apostolus ait, *secundum veritatem;* [62] sed falsum omnino sit ac falso iudicet Deus, album quod nigrum est, calidum quod frigidum est, vivum qui mortuus est, sapientem qui ignorantissimus est.

Inducit imputativam iustitiam, idest, non veram, ita ut homo, licet peccatis obrutus, sanctus sit, quia Deus eum sanctum iudicat.

Quid vult Lutherus Christum esse formalem causam iustificationis nostrae? Folio enim 307 ita loquitur: [63] « Nos dicimus fidem apprehendere Christum, qui est forma, quae fidem ornat et informat sicut color parietem ». Et post pauca ait, [64] quod formalis iustitia nostra non est caritas informans fidem, sed ipsa fides. Et postea: [65] « Dicimus, ait, Christum formare et imbuere fidem vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus et in corde habitans Christus est iustitia christiana, propter quam Deus nos reputat iustos et donat vitam aeternam ». Quis audivit unquam commenta his similia? Quod Christus informat et ornat fidem sicut color parietem? Quod Christus sit ipsa formalis iustitia christiana?

Dicit Christum esse causam formalis iustitiae, quatenus fidem informat.

VII. Sunt autem huiuscemodi Lutheri deliramenta absque numero, quale, quaeso, illud est quod ait [66] super illud *secundi [capitis] ad Galatas: Simulabant cum illo ceteri Iudaei:* [67] « Quam primum lex et ratio

Docet, quod lex et ratio fidei adversantur,

59) 1 Cor 12, 28-30. 60) W. L. t. 5, f. 302b. 61) *De Captivitate Babylonica*, ibid. t. 2, f. 74a; *Assert. Art. 2*, ibid. f. 99b; *Epist.* t. 1, f. 345, Ihenae 1566. 62) Rom 2, 2.
63) W. L. t. 5, f. 307b. 64) Ibid. f. 308a. 65) Ibid. 66) Ibid. f. 303b.
67) Vr. 13. Vulg.: *Et simulationi eius consenserunt.*

coniunguntur, statim virginitas fidei violata est. Nihil fortius adversatur fidei quam lex et ratio; neque illae duae sine magno conatu et labore superari possunt, quae tamen superanda sunt, si modo salvari velis. Ideo cum conscientia perterrefit lege et luctatur cum iudicio Dei, nec rationem nec legem consulas; sed sola gratia et verbo consolationis nitaris. Ibi omnino sic te geras quasi nunquam de lege Dei quidquam audieris; sed ascendas in tenebras, ubi nec lex, nec ratio lucet, sed solum aenigma fidei, quae certo statuat te salvari extra et ultra legem in Christo ». At, si verum est quod ratio et lex Dei tantopere inimicantur fidei christianae, nemo sapiens et probus, qui secundum rationem et legem Dei vivat, potest esse christianus, et nemo christianus erit vir sapiens et probus, vivens secundum rationem et legem Dei, ac nemo salvari poterit, nisi vivat contra rationem et legem Dei. Haec autem quaenam horrifica sunt portenta?

et quod fides apprehendens Christum est ratio iustitiae,

Sed adhuc audiendus nobis Lutherus delirans est. Folio enim 308:[68] « Observandum est, inquit, ista tria: fidem, Christum, acceptationem seu reputationem coniungenda esse. Fides apprehendit Christum et habet eum praesentem, inclusumque tenet ut anulus gemmam, et qui inventus fuerit hac fiducia apprehensi Christi in corde, illum reputat Deus iustum. Haec ratio est et meritum, quo pervenimus ad remissionem peccatorum et iustitiam. Quia credis, inquit Deus, in me et fides tua apprehendit Christum, quem tibi donavi, ut esset mediator et pontifex tuus, ideo sis iustus ». Itaque Deus acceptat, seu reputat nos iustos solum propter fidem in Christum. Sed ubi, quaeso, bone Luthere, ita loquitur Deus: « Quia tu credis in me et fides tua apprehendit Christum, ideo sis iustus? » Est ne hoc Dei dictum, an capitis tui inane figmentum?

et quod Christus non est legislator contra verba Isaiae: *Dominus legifer noster.*

Docet[69] autem Lutherus eodem loco paulo ante, quod Christus definitive non est legislator, sed propitiator et salvator: « Hoc, inquit, fides apprehendit, et sine dubio credit ». Et hoc ubi gentium scriptum est, quod Christus non sit legislator, sed propitiator? Isaias ait: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.*[70] Quomodo ergo non est Christus legislator? Quomodo vera fides apprehendit et credit Christum non esse legislatorem, sed tantum salvatorem?

68) F. 308ᵃ. 69) Ibid. 70) 33, 22.

DISSERTATIO TERTIA

LUTHERI FALSI PROPHETAE FALSA TESTIMONIA [1]

Lutherus ad iniquam causam stabiliendam falsa adhibuit testimonia.

I. Sicut qui iniquam causam tuetur, multis mendaciis et falsis testimoniis eam iuvare et sustentare necesse est; ita sane Lutherus, iniquissimae causae patronus, ad eam probandam et stabiliendam, praeter innumera mendacia adhibuit etiam multa falsa testimonia.

Et quidem contra vota monastica falso adducit verba *Deuteronomii : Non facies,* etc.

In libro *De Votis Monasticis* ad improbanda huiuscemodi vota, ex eo quod non sunt divinitus praecepta, locum adducit [2] *Deuteronomii: Non facies,* inquit, *quod tibi rectum videtur.* [3] Locum hunc *Deuteronomii* adducit Lutherus etiam in epistola *ad Ioannem Brismannum,* [4] ubi contendit nihil boni faciendum coram Deo sine certo Dei mandato, aitque quod nihil aliud est universa prophetia et tota Scriptura, quam nequicquam boni faciamus coram Deo sine certo mandato. Et in libro *Adversus Ambrosium Catharinum:* [5] « Unusquisque, inquit, facit quod sibi rectum videtur, quasi nullus sit rex in Israel; [6] et haec omnia Papa laudat et roborat, cum lex *Deuteronomii* severissime prohibeat hos proprios sensus ». Testimonium autem hoc falsum est; Moyses enim ita loquitur: *Non facietis ibi, quae nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.* [7] Lutherus autem veterator iniquus ad imponendum ineruditis de industria locum detruncatum citavit, omissis verbis illis: *Quae nos hic facimus hodie.* Loquitur autem de sacrificiis, quae in terra promissionis uno tantum in loco Deo offerenda erant, non pluribus in locis pro libito, sicut in deserto faciebant. Ubi est hic severissima monastices prohibitio, aut cultus voluntarii? Annon erant in lege et oblationes et sacrificia et vota spontanea ac voluntaria? Sed homo nequam falso hoc testimonio suffragari voluit iniquissimae causae, satanam imitatus, [8] qui ex Scripturis testimonium adduxit, sed contra sensum Scripturae et mentem Spiritus Sancti. Nec nisi detruncatum testimonium adduxit.

de industria locum citatum detruncans.

1) Cod. 2, f. 217a-218b. 2) W. L. t. 2, f. 292b. 3) 12, 8. 4) W. L. t. 2, f. 324a.
5) Ibid. f. 167a. 6) Cf. Idc 18, 1. 7) 12, 8. 8) Cf. Mt 4, 3-9.

Similiter falso citat B. Franciscum, quasi discipulos liberos a servanda castitate relinquat,

II. In eodem libro *De Votis* falso citat S. Franciscum, dicens : [9] « S. Franciscus, vir admirabilis et spiritu ferventissimus, sapientissime dixit regulam suam esse Evangelium Iesu Christi. [10] At, inquit, Evangelium castitatem liberam habet ». Et subiungit : [11] « Plane, cum Franciscus voluit suos ad Evangelium vivere, liberrimos esse voluit tam a votis, quam ab omnibus humanis traditionibus ». Sed qua fronte impudens Lutherus haec dicat, viderit ipse. In *Regula* enim sua, capite secundo, S. Franciscus ita loquitur : [12] « Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam et regulam semper observare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum Domini Papae, quia secundum Sanctum Evangelium *nemo mittens manum... ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei* ». [13] Quomodo ergo voluit S. Franciscus fratres suos liberrimos esse a votis ?

dum in *Regula* clarissime contrarium asserat.

Falsitati calumniam adiiciens, dicit B. Franciscum falsum fuisse, quod Evangelium paucis commendavit.

Sed falsitati Lutherus, tanquam optimus sycophanta, adiecit calumniam, dicens : [14] « Falsus tamen est vir sanctus ». Qua vero de causa falsus vir sanctus ? « Vel multitudine, inquit, contemnentium Evangelium in mundo, vel operatione erronea papisticae confirmationis et approbationis captus, ut commune Evangelium cunctis fidelibus faceret singularem regulam paucorum, et quod catholicum Christus esse voluit, traheret in schismaticum ». Quasi vero S. Franciscus aliis prohibuerit, ne Christi Evangelium servare possent.

Addidit mendacium, dicens quod Christus iussit caelibatum esse liberum, quodque B. Franciscus statuit solos Fratres Minores esse christianos.

Sed pulcrum est, quod paulo post subiungit Lutherus, [15] homo sane veternosus, novo superaddito mendacio, quod « Christus caelibatum liberum esse iusserit », item [16] quod si frater minor interrogetur, cur caelebs vivat, respondebit se « observare id quod in regula Franciscus humanum sapuit et tyrannide papistica vitiatum est. Id vero quod divinum sapuit, regulam suam esse Evangelium, non observare. Vides ergo demonstratum esse Franciscum ut hominem errasse in condenda regula sua. Quid enim est dicere : Regula Fratrum Minorum est Evangelium, quam statuere solos Fratres Minores esse christianos ? Si enim Evangelium eorum proprium est, nulli sunt

9) W. L. t. 2, f. 287^a. 10) *Regula* S. Francisci. Textus habet: « Regula et vita Fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi S. Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ». Cp. 1, pag. 3-4, Romae, typis Polyglottis Vaticanis 1926.
11) W. L. t. 2, f. 287^a. 12) Cp. 2, pag. 5. 13) Lc 9, 62. Vulg.: *Respiciens.*
14) W. L. t. 2, f. 287^b. 15) Ibid. 16) Ibid.

christiani praeter Minores, cum Evangelium sine controversia et solius et totius sit populi christiani ». Sed ubinam sceleratus sycophanta invenit S. Franciscum dixisse quod Evangelium sit Fratrum Minorum proprium, unde sequatur eum sensisse quod soli Fratres Minores sint christiani ?

At non dixit B. Franciscus suam *Regulam* esse Evangelium, sed servare Evangelium vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate, bene distinguens inter praecepta et consilia evangelica.

Proprium semper haereticorum fuit sententias Catholicorum virorum pessime detorquere. Non dixit S. Franciscus regulam suam esse Evangelium, ut Lutherus mentitur, sed servare Evangelium vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. Observare Evangelium ad omnes christianos spectat ex divino mandato,[17] sed non vivere in obedientia, sine proprio et in castitate. D. Franciscus non contentus, ut Fratres sui Evangelium, hoc est, evangelica praecepta cum bonis christianis servarent iuxta illud : *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata,*[18] instituit ut voluntariam etiam cum obedientia et castitate paupertatem servarent iuxta illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes, et da pauperibus,*[19] quod expresse ponitur in *Regula.* Sed Lutherus homo est, qui crassis mendaciis et virulentis calumniis suavissime pascitur.

Postea Lutherus, excusans B. Franciscum, sectatores ipsius calumniatur.

III. Folio 290 [20] liberat S. Franciscum aliosque Patres errore: « Ne credam, inquit, eos mendacia et figmenta consiliorum probasse. Dum enim Spiritus Sancti impetu et plena fide ardenteque caritate solum huc feruntur, ut Evangelio plenissime et dignissime responderent ; non hoc cogitabant, quorum esset et ad quos pertineret Evangelium, sed tantum ut impleretur. *Non enim in sermone, sed in virtute regnum Dei* habebant ».[21] Quam bonus hic, quam pius Lutherus! Sed diabolo similis, qui vera aliquando dicit, ut decipiat ; hinc sequitur: [22] « Sectatores vero illorum irruentes apprehenderunt externam eorum conversationem, spiritum autem et fidem eorum deseruerunt ». Unde nosti, Luthere, corda hominum, ut scias sectatores Sanctorum Patrum apprehendisse externam eorum conversationem, deseruisse autem eorum spiritum et fidem ? *Scrutans corda et renes Deus.*[23] *Homo... videt... quae foris sunt, Deus autem intuetur cor.*[24]

17) Cf. Mt 28, 20. 18) Ibid. 19, 17. 19) Ibid. vr. 21. 20) W. L. t. 2, f. 290ᵃ.
21) 1 Cor 4, 20. Vulg.: *Non in sermone est regnum Dei.* 22) W. L. t. 2, f. 290ᵇ.
23) Ps 7, 10. 24) 1 Rg 16, 7. Vulg.: *Parent..., Dominus autem.*

DISSERTATIO QUARTA

LUTHERI PERVERSAE SCRIPTURARUM SANCTARUM QUAS AD SUAM CAUSAM IMPIE DETORQUET INTERPRETATIONES QUIBUS EX VERITATE DIVINA ERRORES HAERESESQUE GIGNIT [1]

Lutherus sensu ariano explicat verba Pauli: *Qui cum in forma*, etc.,

I. In libro *De Libertate Christiana* versans Lutherus illud Pauli *ad Philippenses: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit,* [2] etc., ait : [3] « Hoc verbum Apostoli saluberrimum nobis obscurarunt ii, qui vocabula apostolica formam Dei, formam servi, habitum, similitudinem hominum prorsus non intellexerunt, et ad naturas divinitatis et humanitatis transtulerunt, cum Paulus id velit : Christum, cum esset plenus forma Dei et omnibus bonis abundans, ita ut nullo opere, nulla passione indiguerit, ut salvus fieret », etc. Optima sane interpretatio pro haeresi Arianorum! Expunxit Lutherus ex albo Divinarum Scripturarum clarissimum testimonium ad probandam personarum Trinitatem in Deo, *1* Ioannis 5: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo,* [4] etc., hic autem pervertit evidentissimum testimonium divinitatis Christi. Quare ostenditur Lutherus Arii [5] pestilentissimi haeretici spiritu ductus.

et expunxit e textu Ioannis: *Tres sunt*, etc.

In illud Pauli: *Ego enim*, etc., non servans connexionem verborum, dicit Paulum praecepisse utramque speciem.

II. In libro *De Captivitate Babylonica*, tractans illud Pauli, *1 ad Corinthios* : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis,* [6] exponit Lutherus, [7] quod tradidisse est praecepisse utramque speciem. Unde concludit quod negare utramque speciem laicis sit tyrannicum impiumque, nec in manu ullius Angeli, nedum Papae, aut concilii cuiuscumque. Sed quam pulcra esset Pauli, gentium doctoris; connexio : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis,*

1) Cod. 2, f. 221a-223b. 2) 2, 6-7. 3) W. L. t. 2, f. 9b. 4) 1 Io 5, 7. *Das Newe Testament* Doct. M. Luthers, ed. cit. 5) Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, t. 25, col. 247; S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 69*, (P. G. 42, 223 sqq.); *Prologus Septem Epistolarum Canonicarum*, (P. L. 29, 827-831). Auctor huius *Prologi*, qui est inter opera Hieronymi, dubius est, ut contendit Migne, ibid. not. A, col. 821-830. 6) 11, 2-3. 7) W. L. t. 2, f. 67b.

quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, [8] etc. ! Narrat historiam institutionis Eucharistiae. Quomodo praecipit? Sicut et *15 capite* eiusdem epistolae: *Tradidi vobis..., quoniam Christus mortuus est..., et ... resurrexit.* [9] O quam bene iuxta Lutheri sensum: Praecepi vobis quoniam Christus mortuus est!

In eodem libro, agens *De Sacramento Eucharistiae*, perverse interpretatur [10] verba illa consecrationis: *Hoc est corpus meum,* [11] quod pronomen hoc significet panem; ita ut sententia Domini sit: Hic panis est corpus meum; negat enim transubstantiationem tanquam figmentum thomisticum ex Aristotelis philosophia, astruitque remanere in sacramento verum panem et de pane dici: *Hoc est corpus meum,* sicut de homine Christo dicitur: Hic homo est Deus. Sed num credenda nobis est impanatio Christi in sacramento, sicut incarnatio in hypostatica unione naturarum divinae et humanae? Afferat Scripturas de impanatione manifestas, et credemus novam hanc unionem hypostaticam. Vult Lutherus [12] contineri corpus Christi in pane, sicut vinum in dolio, sicut ignis in ferro ignito. Sed quis unquam dixit: Dolium est vinum, ferrum est ignis? Ut mittam quod panis graece, sicut et latine, generis est masculini; hoc autem, graece τοῦτο, [13] generis neutri.

Scribit etiam, quod verbum consecrationis: *Hoc*, panem significat.

Vult autem Lutherus [14] ita sentire, quoniam Eucharistia appellatur panis a Paulo *1 Corinthiis: Panis, quem frangimus, nonne,* [15] etc.? Sed etiam virga Moysi in serpentem versa appellatur virga.[16] Quid inde? Appellatur panis, quia apparet sensibus panis, sicut Angelus, apparens in forma viri, appellatur vir.[17] Et alioquin ubinam dicit Scriptura, quod panis maneat in Eucharistia, et quod panis manens sit corpus Christi? Pervertit atque depravat hanc Christi sententiam Lutherus.

non recte interpretans locum Pauli: *Panis, quem frangimus,* etc.

In eodem libro, capite *De Baptismo*, interpretatur,[18] licet cum metu, illud Pauli *1 Timotheo:* [19] *Erunt docentes,* ita adducit Lutherus, *in hypocrisi... mendacium..., prohibentes nubere et abstinere a cibis,* etc., de rationibus votivis religiosorum; ubi asserit quod in religionibus S. Bernardus, Franciscus, Dominicus et alii, qui authores

Perverse etiam exponit contra vota monastica textum Apostoli: *Erunt docentes*, etc.

8) 1 Cor 11, 23-27. 9) Ibid. vrr. 3-4. 10) W. L. t. 2, f. 71ᵇ. 11) Mt 26, 26. 12) W. L. t. 2, f. 71ᵃ. 13) Ms.: Τουτο. 14) W. L. t. 2, f. 67ᵇ. 15) 10, 16. 16) Cf. Ex 4, 2-4. 17) Cf. Dn 4, 12; 8, 15; 9, 21; Tob 5, 5 sqq. 18) W. L. t. 2, f. 82ᵃ. 19) 4, 1-3. Vulg.: *In hypocrisi loquentium mendacium..., prohibentium,* etc.

vel auctores fuerunt religionum, salvati sint Dei opera, sicut Ananiam, Azariam et Misaelem,[20] addit Lutherus[21] etiam Danielem, imo ipsum primo ponit, in fornace babylonica. Luthero scilicet, non *mundus*, qui *totus in maligno positus est*,[22] ita quod *quidquid est in mundo est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae*,[23] sed sacra religio, ubi in castitate et sanctitate corporis et spiritus pie Deo servitur, est fornax babylonica. Sed textum D. Pauli Lutherus detruncatum impie depravavit; Paulus enim sic loquitur: *Spiritus... manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam conscientiam habentium, prohibentium nubere* et *abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.*[24] Quod ergo Paulus de haereticis, Luthero similibus, manifeste dicit, hoc ipse de religiosis maxime catholicis interpretatur, *dicens bonum malum* et *ponens lucem* in *tenebras.*[25]

et ad hoc refert locum detruncatum.

III. In libro *Adversus Ambrosium Catharinum* inquit Lutherus,[26] quod « Christus ordinavit, ut nullum sit peccatum nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides ». Sed quo auctore? Quo teste? « Sicut, inquit, dicitur Ioanne: *Ille arguet mundum de peccato..., quia non crediderunt in me.*[27] Sed ubi hic Christi ordinatio? Tantum praedicit Christus, quae operaturus erat promissus Spiritus Sanctus; deinde asserit quidem Christus quod incredulitas sit peccatum; sed ubi dicit quod nullum est peccatum nisi incredulitas, nec iustitia sine fide? Itane interpretari debent Scripturae? An putabat Lutherus insaniens quod Catholici stipites essent aut homines saxei, ut ille ait,[28]

« Marpesiis[29] ex cautibus nati? »

Item ex verbis Christi: *Ille arguet*, etc. perperam concludit Christum docuisse nullum esse peccatum, nisi incredulitatem.

IV. Libro *De Votis Monasticis*, adducens illud: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite,*[30] « quibus verbis, inquit,[31] Christus dux constitutus est et omnes ei subiecti et

Adhuc, ex verbis: *Hic est filius meus*, etc.

20) Cf. Dn 3, 19-50. 21) W. L. t. 2, f. 82. 22) 1 Io 5, 19. 23) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est.* 24) 1 Tim 4, 1-3. Vulg.: *Cauteriatam habentium suam conscientiam.* 25) Is 5, 20. Vulg.: *Ponentes*, loco: *Ponens*. 26) W. L. t. 2, f. 164a. 27) 16, 8-9. 28) Virg. *Aeneid.* lib. 6, vr. 471. 29) Ms.: *Marsepiis.* 30) Mt 17, 5. 31) W. L. t. 2, f. 287a.

postpositi, aitque quod haec verba cogunt damnare quidquid est regularum, statutorum ordinum », etc. Quasi praeceptum sit ut solum Christum audiamus, nihilque quod a Christo praeceptum non sit facere possimus. Quare docet per hoc coeleste mandatum prohibitam esse vitam monasticam. Sed dico : Si solus Christus audiendus est, ergo non est audienda Ecclesia. Quomodo ergo, *si... quis Ecclesiam non audierit*, habendus est tanquam *ethnicus et publicanus ?* [32] Aut quomodo Paulus ait : *Obedite praepositis vestris et subiacete eis ?* [33] Nam in his verbis : *Ipsum audite*, audire obedire est; datus enim nobis Christus in principem ducemque est. At si soli Christo obediendum divino mandato est; ergo contra divinum mandatum iubet Apostolus obediendum praepositis esse ; quod insaniae plenum est.

arguit Christum solum esse audiendum, et regulas monasticas prohibitas esse.

Si ita est, quomodo Christus docet Ecclesiam esse audiendam ? etc.

In libro *De Votis Monasticis* ad ea evertenda docet [34] nullum in Evangelicis Litteris dari consilium, sed omnia esse necessaria praecepta, quia Dominus praecipit praedicari *Evangelium omni creaturae.* [35] Optimum argumentum ! Et quia dicitur quod Dominus *aperiens os suum docebat eos.* [36] « At docere, inquit, [37] non est consulere, sed quid faciendum sit necessario tradere ». Haec etiam optima Lutheri interpretatio est, quod docere sit quid faciendum est necessario tradere. Quare statuit [38] beatitudines evangelicas esse praecepta necessaria cum omnibus, quae a Domino dicuntur in divinissimo illo sermone. Et tamen insani capitis homo docet alibi, [39] quod Evangelium nullum contineat praeceptum, sed tantum divinas promissiones; hic autem, quia Dominus ait : *Non veni solvere legem, sed adimplere,* [40] et: *Qui... solverit unum de mandatis istis minimis ;* [41] vult omnia pertinere ad legem et mandata necessaria esse, maxime quia sequitur : *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* [42] « Regnum autem coelorum, inquit, [43] solum iis negatur, qui divina mandata non servant ». Sed quid inde ? Ergo omnia, quae continentur in Evangelio, sunt praecepta ?

Ex eo quod Christus praecipit praedicari Evangelium, etc., infert quod omnia in Evangelio sunt praecepta necessaria; et ex verbis: *Aperiens os suum*, etc. quod beatitudines sunt de praecepto.

In eodem libro habet [44] quod, cum Dominus Matthaeo ait : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum,* [45] « non

Item dicit illis verbis

32) Mt 18, 17. 33) Hebr 13, 17. 34) W. L. t. 2, f. 287ᵇ. 35) Mc 16, 15.
36) Mt 5, 2. 37) W. L. t. 2, f. 288ᵃ. 38) Ibid. f. 287ᵇ. 39) Ibid. 40) Mt 5, 17.
41) Ibid. vr. 19. 42) Ibid. vr. 20. 43) W. L. t. 2, f. 288ᵃ. 44) Ibid. f. 289ᵃ.
45) 19, 12.

Christi: *Sunt eunuchi, etc.* et Pauli: *Consilium autem, etc.* homines deterreri a virginitate.

consuluit castitatem, sed deterruit ab ea, quia ait: *Qui potest capere capiat.* [46] Et item Paulus *1 Corinthiis*, cum ait: *Consilium autem do de virginibus tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis... Quoniam bonum est homini sic esse;* [47] non consulit, nec invitat ad virginitatem, sed deterret et avocat, quoniam dicit: *Unusquisque proprium donum habet a Deo;* [48] nec suadet, inquit, [49] sed dissuadet ». Pulcherrimum est: *Consilium do, quoniam bonum est homini* virginem *esse*, hoc est, dissuadeo, avoco et deterreo a virginitate. O caput insanum! Et audiunt multi miranturque hunc Arcadiae asinum [50] rudissimum!

Ex textu Ieremiae: *Domine, oculi tui, etc.* arguit, quod Deus non respicit opera,

In libro *De Votis Monasticis* aliam habet perversionem, dicens: [51] « Stat sententia: Opera et personas non respicit Deus, sed cor et fidem, Ieremia: *Domine, oculi tui fidem respiciunt* ». [52] Satis optime. *Oculi* Dei *respiciunt fidem;* ergo non respiciunt opera; sed *respexit Deus ad Abel et ad munera eius.* [53] Sed insigne adhuc est quod paulo post asserit, dicens: [54] « Negamus votum esse aut fieri posse praeceptum, sicut nec opera legis sunt aut fieri possunt praecepta: *Deus* enim *non est impietatem volens, Psalmo 6* ». [55] O bene; *Deus non est impietatem volens;* ergo non potest esse praeceptum, ut servetur votum aut opus legis. « Imo, inquit, [56] probamus esse prohibitum ex ipsa evangelica libertate ». Haec autem est libertas Luthero evangelica, ut homo vivat liber a iustitia secundum libertatem carnis; nam alioquin Paulus *ad Romanos* docet hominem per gratiam Christi liberum factum a peccato, servum esse iustitiae. [57]

quia *Deus non est impietatem volens.*

Scribit, quod Christus nonnisi sacerdotes et scribas arguit.

V. In libro *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum* sane virulentissimo et longe pestilentissimo Lutherus [58] tanquam lupus rapax sub ovilla pelle coacervat Prophetarum testimonia, quod coarguendi sunt omnes peccatores, maxime vero principes, additque apertum mendacium quod Christus potissimum nonnisi solos principes sacerdotum, scribas et Pharisaeos arguebat et obiurgabat. Scribas enim et Pharisaeos Christus saepe taxavit; [59] sacerdotes autem hoc

46) Ibid. 47) 7, 25-26. Vulg.: *De Virginibus... consilium autem do.* 48) Ibid. vr. 7. 49) W. L. t. 2, f. 289a. 50) Cf. *Dissert. 8*, sect. 2, not. 83, libri 1 huius vol. 51) W. L. t. 2, f. 300a. 52) 5, 3. Vulg.: *Respiciunt fidem.* 53) Gn 4, 4. Vulg.: *Dominus.* 54) W. L. t. 2, f. 300a. 55) Vr. 5. Vulg.: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* 56) W. L. t. 2, f. 300a. 57) Cf. 6, 18. 20. 22. 58) W. L. t. 2, f. 331a. 59) Cf. Mt 23, 13-39; Lc 11, 42-52.

nomine aut principes sacerdotum nunquam nisi quam levissime summaque cum moderatione, sacerdotii causa.[60]

Similiter verba Pauli: *Peccantes*, etc. intelligi vult, ut peccantes publice arguantur contra apertam doctrinam Apostoli.

Postea subiungit Lutherus[61] quod sequi debemus et mordicus tueri liberam doctrinam Apostoli, qua inquit: *Peccantes coram omnibus argue.*[62] Quasi vero unicuique singulatim hoc praecipiat Apostolus, cum ibi Episcopum instruat; et quoniam ibidem ait Paulus: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus,*[63] Lutherus ait[64] quod per hoc non sustulit obiurgationem omnem, sed potius confirmavit, quia post illa verba, quae de testimonio ille dixit, sequitur mox: Qui autem delinquunt, inquit, hos publice obiurgare debes coram omnibus. Bene, Luthere; sed servato caritatis et iuris ordine. Non iubet Paulus famosos libellos inscribere, qualis est liber iste plane infamissimus flammisque ultricibus infernalibus longe cum suo auctore dignissimus; quin eodem loco habet Apostolus: *Seniorem*, graece *presbyterum, ne increpaveris, sed obsecra*, graece *hortare, ut patrem.*[65]

DISSERTATIO QUINTA

MARTINI LUTHERI PARADOXA PORTENTAQUE PLANE ADYNATA[1]

Lutherus voluit Wittembergenses inaudita paradoxa docere.

I. Sicut Paulus apostolus Athenis praedicans libenter auditus ab Atheniensibus fuit, quoniam videbatur *novorum daemoniorum annunciator* et nova quaedam auribus eorum inferre; nam, ut Lucas ait, *Athenienses... omnes... ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi*, a multis autem irrisus fuit praedicans resurrectionem mortuorum quasi adynaton paradoxum praedicaret;[2] puto ego quod Martinus Lutherus, qui in multis Pauli apostoli veluti simia fuit, ut diabolus Dei,[3] Wittembergae docens, noverit Wittembergenses similes Atheniensibus esse novitatum ama-

60) Cf. Io 18, 19-23. 61) W. L. t. 2, f. 331ª. 62) 1 Tim 5, 20. 63) Ibid. vr. 19. 64) W. L. t. 2, f. 331ª. 65) 1 Tim 5, 1.

1) Cod. 2, f. 227ª-232ª. 2) Act 17, 16-34. 3) Cf. 2 Cor 11, 14.

tores, ac propterea voluisse nova daemonia annunciare novaque dogmata eorum auribus inferre et mirabilia inauditaque paradoxa docere, plane stoicis paradoxis multo mirabiliora.[4]

Docuit enim Deum esse scelerum auctorem,

II. Docet Lutherus[5] in libro *De Votis Monasticis*, quod in Sacris Litteris nullum sit consilium, sed omnia sint praecepta necessaria. Lutheri paradoxum est, cum Deum, auctorem omnium bonorum, malorum vero summum osorem et vindicem, facit ipse auctorem omnium scelerum in libro *De Servo Arbitrio*,[6] in *Assertione Articuli 36*[7] et in *Resolutionum Assertione 36*,[8] sicut in blasphemiis ipsius ostendimus.[9] Paradoxum, quod multis in locis docuit[10] humanitatem Christi ubique esse sicut et divinitas; ita ut novus Eutyches humanitatem Christi in divinitatem transmutarit atque transfuderit.[11]

humanitatem Christi ubique esse,

Paradoxum est quod ait[12] *super tertium caput ad Galatas* de Christo, nempe quod « omnes Prophetae praeviderunt in spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus, etc., quod nullus maior unquam in mundo fuerit ». Et post pauca, opponens sibi quod valde absurdum et contumeliosum est Filium Dei appellare peccatorem et maledictum, ait:[13] « Si vis negare eum esse peccatorem et maledictum, negato etiam passum, crucifixum et mortuum ». Facit itaque Lutherus novum horrendumque fidei articulum credendum, quod Christus fuerit peccator omnium maximus.

Prophetas omnes praevidisse Christum futurum esse latronem, etc.,

Paradoxum quod de eodem Christo ait[14] *super Psalmum 22*,[15] nempe Christum fuisse « simul summe iustum et summe peccatorem, simul summe veracem et summe mendacem ». Potuisset dicere eadem ratione simul et Deum fuisse et diabolum, neque enim veritus fuit Lutherus Christum aliquando diabolum appellare. Nam scribens *in caput secundum ad Galatas*, ita[16] loquitur,[17] versans illud: *Ego... per legem legi mortuus sum*,[18] dicens quod « Paulus facit quandam

et simul veracem et mendacem;

non semel etiam Christum diabolum appellat.

4) Stoicorum principia de Deo, de felicitate, de honestate et virtute, de peccato et de quiete animi irrisa fuerunt a Cicerone, qui passim, specialiter vero in *Paradoxis* de eis disseruit. Forsitan ad hoc alludit S. Laurentius. 5) W. L. t. 2, f. 288ᵇ. 6) Ibid. f. 495ᵇ. 7) Ibid. f. 118. 8) Ibid. f. 112. 9) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 8*, pag. 288. 10) *De Conciliis*, part. 2, I. G. t. 7, f. 167. 265. 11) Denzinger n. 48. 168. 710. 12) W. L. t. 5, f. 348ᵇ. 13) Ibid. 14) Ibid. t. 3, f. 369ᵇ. 15) Iuxta Vulgatam *Ps. 21*. 16) Textus adiungit: *Enim*. 17) W. L. t. 5, f. 317ᵃ. 18) Gal 2, 19.

picturam, quasi lex contra legem pugnaret, quasi dicat : Lex, si potes me accusare, perterrefacere et ligare, constituam super te aliam legem, hoc est, alium tyrannum et tortorem, qui te vicissim accuset, liget, opprimat. Tu quidem meus es carnifex ; sed habeo alium carnificem, Christum, qui te excarnificet ; te autem excarnificato, per illum liber sum. Si diabolus me flagellat, habeo fortiorem diabolum, qui illum vicissim flagellat et vincit ». Et post pauca :[19] « Iucundissimum duellum, quod scilicet lex contra legem pugnet, ut sit mihi libertas ; peccatum contra peccatum, ut sit mihi iustitia ; mors contra mortem, ut habeam vitam ; quod Christus sit diabolus meus contra diabolum, ut sim filius Dei ». Quam illustribus titulis novus hic propheta Christum exornat, dum eum peccatorem maximum diabolumque appellat! Blasphemia plane exitiabilis est !

Docuit quod christianus ignorare debet legem et iram Dei, ut salvus sit,

III. Sicut autem de Christo, ita et de christiano homine paradoxa docuit. Paradoxum mirabile habet L u t h e r u s, dicens[20] in *Argumento Epistolae ad Galatas :* « Mira res est et mundo inaudita docere christianos, ut discant ignorare legem, utque sic vivant coram Deo, quasi penitus nulla sit lex ; nisi enim ignoraveris legem et in corde tuo statueris nullam esse legem et iram Dei, sed meram gratiam et misericordiam propter Christum, non potes salvus fieri ». Mirabile dictum, quod fides Christi faciat hominem sine lege Dei oporteatque christianum exlegem esse.

quia ipse est supra legem, infernum, etc.,

Capite secundo ad Galatas ait :[21] « Christianus, si proprie et diserte definiatur, est filius gratiae et remissionis peccatorum, qui nullam prorsus legem habet, sed est supra legem, peccatum, mortem et infernum ». Sed si nullam prorsus legem habet, nec fidem habet, quam P a u l u s *ad Romanos legem fidei* dicit.[22] Si supra omnem legem est, Deus ipse verus est. Et quomodo P a u l u s *ad Romanos* ait : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati ?*[23] Et *1 Corinthiis: Factus sum... iis, qui sine lege erant, quasi sine lege essem, cum sine lege* Dei *non essem, sed in lege essem* Iesu *Christi ?*[24]

simul iustus et peccator,

Sed propheta L u t h e r u s, sicut Saul in medio domus suae malo spiritu agitatus,[25] *capite tertio ad Galatas* ait,[26] quod « homo

19) W. L. t. 5, f. 317ᵃ. 20) Ibid. f. 272ᵇ. 21) Ibid. f. 316ᵃ. 22) 3, 27.
23) Ibid. 7, 25. 24) 9, 20-21. Vulg.: *Tanquam*, loco: *Quasi*. 25) Cf. 1 Rg 16, 14.
26) W. L. t. 5, f. 335ᵇ.

christianus simul iustus et peccator, amicus et hostis Dei est »; Lutherus enim quinto suo evangelio quintum reperit elementum, quod simul calidum et frigidum est.

et tam dives ut, etiam volens, non possit animam perdere, modo credat;

Paradoxum inauditum est, quod habet in libro *De Captivitate Babylonica*, capite *De Baptismo*, dicens[27] « quod tam dives est homo christianus, sive baptizatus, quod etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas ». Mira sapientia, quam omnes Sancti ignoraverunt, scientes quod *anima quae peccaverit ipsa morietur;*[28] quam ignoravit Paulus, qui de seipso ait: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar.*[29]

quod iustus in omni opere bono peccat, et quidem mortaliter, iuxta iudicium Dei;

Paradoxum inauditum quod habet[30] in *Assertione Articuli 31*, quod « in omni opere bono iustus peccat », et in *Assertione Articuli 32*[31] quod « omne opus bonum optime factum, est peccatum veniale secundum misericordiam Dei, sed mortale secundum iudicium Dei », et in *Assertione Articuli 35*[32] quod « nemo est certus se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiae vitium ». Sed, mi Luthere, credere in Christum est operari, ait enim Dominus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.*[33] Ergo per te homo, licet iustus, licet optime credat, fide, inquam, perfectissima, peccat, et quidem secundum *iudicium Dei*, quod *est secundum veritatem*,[34] mortaliter. Quomodo ergo, dum actu novo mortali peccato inquinatur, dum credit, iustificatur? Quomodo simul res una eodem tempore et actu *denigratur super carbones*,[34a] et dealbatur super nivem?[35] Quis autem capiat, quod opus bonum ab homine iusto optime factum sit peccatum? Nam, si opus bonum optime factum est, non est male factum; si non est male factum, non est peccatum. Quomodo igitur simul et male et bene, imo optime factum est? Quis audivit unquam similia paradoxa?

quod liberum arbitrium est res de solo titulo,

His autem non est absimile, quod habet[35a] in *Assertione Articuli 36*, nempe quod « liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit quod in se est peccat mortaliter ». Paradoxum inau-

27) Ibid. t. 2, f. 78a. 28) Ez 18, 20. 29) 1 Cor 9, 27. 30) W. L. t. 2, f. 115a. 31) Ibid. f. 116a. 32) Ibid. f. 117a. 33) Io 6, 29. 34) Rom 2, 2. 34a) Thr 4, 8. Vulg.: *Denigrata est.* 35) Cf. Ps 50, 9. 35a) W. L. t. 2, f. 117b.

ditum, repugnante non modo Divina Scriptura,[36] sed ipsa etiam humana natura, quae libera voluntate spoliatur. Paradoxum docuit[37] in libro *De Libertate Christiana*, quod omnia praecepta Dei sunt nobis aeque impossibilia; quasi mentitus fuerit Christus, dum ait: *Iugum... meum suave est et onus meum leve*,[38] et Ioannes, dum ait quod *mandata Dei gravia non sunt*,[39] facitque Deum non, ut revera est, principem, imo patrem clementissimum, sed tyrannum crudelissimum, qui sub poena damnationis aeternae praecipiat impossibilia.

et praecepta Dei sunt impossibilia;

IV. Paradoxum docuit *super Epistolam ad Galatas, capite tertio*, ad illud: *In manu mediatoris*,[40] ubi fingens quod populus, audita voce Dei valde terribili e monte Sinai, dum legem promulgaret,[41] fugerit ab eo, ait:[42] « Ista fuga indicat infinitum odium cordis humani contra legem et per consequens contra ipsum Deum, legis auctorem ». At vero Paulus ait: *Condelector... legi Dei secundum interiorem hominem*.[43] Quomodo ergo cor humanum odio infinito in legem affectum est et in Deum, legis auctorem?

quod cor humanum infinite odit legem Dei et ipsum Deum, legis auctorem;

Praeterea de lege aliud paradoxum docet in eadem *Epistola, capite tertio*, super illud: *Si enim data esset lex, quae posset vivificare*,[44] etc.; ait enim:[45] « Lex non est data ad iustificandum, vivificandum et salvandum, sed simpliciter ad damnandum, occidendum et perdendum contra opinionem omnium hominum, qui naturaliter iudicant legem datam esse ad iustitiam, vitam et salutem consequendam ». O hominem impium et vere exlegem legisque omnis inimicum! *Finis... legis Christum ad iustitiam omni credenti*;[46] *finis... praecepti est caritas*,[47] non iniquitas. Folio 365 ait[48] quod « lex est carcer spiritualis et vere infernus », exponens illud: *Sub lege custodiebamus*.[49] Paradoxum habet *quarto capite ad Galatas*, dicens[50] de lege: « Debemus extra conscientiam facere ex ea Deum, in conscientia vero est vere diabolus ».

quod lex non est data ad salvandum, sed ad damnandum;

est carcer spiritualis vereque diabolus in conscientia,

Paradoxum quod docuit in *Epistola ad Galatas, capite quarto*, dicens[51] quod « lex in summo suo usu et vi nihil potest quam accu-

et terret, damnat,

36) Cf. Dt 30,19; Eccli 15, 6; 31, 8 sqq.; Rom 8, 22; 2 Cor 6, 1; Gal 5, 13; Phil 2, 12; 1 Petr 2, 13-19; 2 Petr 1, 10. 37) W. L. t. 2, f. 4ᵇ. 38) Mt 11, 30. 39) 1 Io 5, 3. Vulg.: *Mandata eius*. 40) Vr. 19. 41) Cf. Ex 19, 16 sqq. 42) W. L. t. 5, f. 360ᵇ. 43) Rom 7, 22. 44) Vr. 21. 45) W. L. t. 5, f. 364ᵃ. 46) Rom 10, 4. 47) 1 Tim 1, 5. 48) W. L. t. 5, f. 365ᵇ. 49) Gal 3, 23. 50) W. L. t. 5, f. 373ᵇ. 51) Ibid. f. 372.

et nihil vivificum, sed solum mundana praestat.

sare, terrere, condemnare et occidere », quodque « in vero suo usu tantum revelat et auget peccatum et incutit terrorem mortis » ; et concludens, ait : « Constat igitur legem nihil vivificum, salutiferum, coeleste et divinum praestare, sed solum mundana ». At non ita sensit de lege Dei Divinus Psaltes, Spiritu Sancto plenus, qui ait : *Lex Domini immaculata*, sive *perfecta, convertens animas ; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae laetificantes corda ; praeceptum Domini lucidum illuminans oculos... Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, iusta pariter, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.* [52] At longe alius spiritus loquebatur in Luthero, spiritus divinae legis supra modum inimicus, qui odio implacabili omnibus bonis operibus exitiale bellum indixit.

Asseruit Matrimonium ad fidem ducere, esseque spiritualissimum opus, e contra caelibatum impietatem promovere;

V. Adhuc autem quale paradoxum Lutheri est in *Exegesi ad septimum caput prioris ad Corinthios*, ubi ait [53] « Matrimonium natura esse eiusmodi, ut hominem impellat, agat et urgeat ad internum, summum, spiritualissimum opus, ad fidem puta » ; itemque quod « Matrimonium sit velut aurum, spiritualis vero status[53a] uti stercus, propterea quod illud ad fidem, is vero ad impietatem promoveat ». Non est autem Luthero Matrimonium sacramentum, sed tantum coniugium. [54] Spiritualem autem statum intelligit caelibatum. Hic autem, bone Deus, quam extra chorum saltat Lutherus! Paulus ait : *Bonum est homini uxorem non tangere,* [55] hebraica phrasi positivo usus pro comparativo, sicut : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille ;* [56] et : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* [57] Hinc postea ait : *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, et qui non iungit melius facit ;* [58] et : *Beatior... erit si sic permanserit secundum meum consilium ; puto* enim *quod et ego spiritum Dei habeam.* [59] Ac praeterea ait : *De virginibus... praeceptum Domini non habeo ; consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis..., quoniam bonum est homini sic esse,* [60] hoc est, *melius, utilius.* Et item : *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis*

52) Ps 18, 8-11. Vulg.: *Iudicia*, loco: *Iustitiae*. 53) W. L. t. 5, f. 107^{b}. 53a) Ms.: *Spiritualem... statum.* 54) *De Captivitate Babylonica*, ibid. t. 2, f. 81^{b}. 83^{a}. 55) 1 Cor 7, 1. Vulg.: *Mulierem.* 56) Mt 26, 24. 57) Ps 117, 9. 58) 1 Cor 7, 38. 59) Ibid. vr. 40. 60) Ibid. vrr. 25-26.

iniiciam, sed ad id quod honestum est et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi, [61] sive ut graece est, *bene adhaerere Domino, indistracte.* Nam *qui sine uxore est, sollicitus est quae sunt Dei, quomodo placeat Deo; qui sine uxore,* graece *agamos, caelebs. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori... Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* [62] Unde ergo habuit Lutherus coniugium esse aurum, caelibatum vero stercus, esseque coniugium opus spiritualissimum? Plane non a Spiritu Dei, quo praeditus Paulus caelibatum consulebat, sed a spiritu satanae, qui ad opera carnis semper impellit.

Impossibile esse castitatem servare, etc.,

Hinc docuit [63] impossibile esse homini castitatem servare et sine re uxoria vivere, esseque illud: *Crescite et multiplicamini,* [64] praeceptum longe maximum et plusquam praeceptum, [65] quasi vero non et animalibus dictum similiter sit volatilibus et piscibus maris: *Benedixitque eis* Deus, *dicens: Crescite et multiplicamini.* [66] Quare non praeceptum est, sed benedictio Dei, qua tribuit naturae donum fecunditatis ad procreandum sibi simile. Sed Lutherus *ex abundantia... cordis* loquebatur; [67] cum enim *secundum carnem* saperet, [68] quod *secundum carnem* est effutivit, dicens coniugium esse rem spiritualissimam, quod ad summam pietatem promoveat, ubi Paulus ait impedimento esse pietati in Deum, ac propterea desistendum esse a re uxoria propter orationem. Quod experimento compertum adeo est, ut etiam Marcus Tullius dixerit, [69] quod non poterat philosophiae et uxori operam dare.

Paulum non consuluisse virginitatem, sed potius ab eadem absterruisse.

VI. Inter Lutheri paradoxa numerandum est, quod ait [70] in libro *De Votis Monasticis* virginitatem in Sacris Litteris non esse consultam, et quod, ubi Paulus ait: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do,* non consuluit, sed absterruit a virginitate servanda. Praeclarissima sane glossa! Paulus ait:

61) Ibid. vr. 35. 62) Ibid. vrr. 32-34. Vulg.: *Qui sine uxore est..., quae Domini sunt,* etc. 63) *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum,* W. L. t. 2, f. 352a; *Sermo de Matrimonio,* ibid. t. 5, f. 119. 64) Gn 1, 28. 65) *Sermo de Matrimonio,* W. L. t. 5, f. 119a. 66) Gn 1, 22. 67) Mt 12, 34. 68) Rom 8, 5. 69) S. Hieronymus *Adversus Iovinianum,* lib. 1, (P. L. 23, 278); Io. Carnotensis episc. *Polycraticus,* lib. 8, cp. 11, ibid. 199, 752. 70) W. L. t. 2, f. 289a.

Consilium do de servanda virginitate, *quoniam bonum est homini sic esse ; consilium do,* hoc est, absterreo, quoniam sequitur : *Unusquisque proprium donum habet a Deo.* [71] Unde infert [72] non esse in potestate nostra vovere virginitatem, cum sit donum Dei, quasi vero non etiam fides saepe in Sacris Litteris donum Dei dicatur. [73] Num, quia fides donum Dei est, impossibile est credere ?

Docuit non dari votum, nisi de rebus a Deo praeceptis,

Habet autem in libro *De Votis Monasticis* Lutherus mirabilia paradoxa, ut puta non posse fieri vota Deo, nisi de rebus a Deo ipso praeceptis. [74] Sed quo auctore ? Divina Scriptura hoc nullibi dicit ; et cum primum legimus in Sacris Litteris votum Deo factum, absque ullo praecepto legimus. Iacob enim patriarcha votum vovit Domino, dicens : *Si fuerit Dominus mecum,* etc., *cunctorum..., quae dederis mihi, decimas offeram tibi ;* [75] et praeterquam quod in *Levitico* [76] et *Numeris* [77] manifestissime legimus vota de rebus minime praeceptis, sed sponte ac libere factis, in *Deuteronomio* legimus : *Si votum voveris..., non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus... ; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* [78] Sic rex David absque ullo Dei praecepto *votum vovit Deo Iacob* [79] de aedificando templo.

vota autem adversari fidei,

Docet [80] adhuc Lutherus aliud paradoxum, nempe vota adversari fidei, quoniam *omne... quod non est ex fide peccatum est.* [81] Si quis ergo iuxta Pauli consilium virginitatem servaret, ut sine impedimento inserviret Domino, contra fidem Dei peccaret, quoniam virginitas non habet praeceptum Dei ! Sic [82] adolescens ille, cui Dominus dixit : *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus..., et veni, sequere me,* [83] peccasset in fidem, si servasset, quoniam fecisset quod minime praeceptum erat. Peccaverunt Apostoli, qui, ut Christum sequerentur, omnia sine praecepto Dei reliquerunt ? [84] Monstra et portenta in mundum invexit Lutherus !

libertati evangelicae,

Libro *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum* habet Lutherus, [85] quod fieri religiosum est Christum negare. At quid,

71) 1 Cor 7, 7. Vulg.: *Ex Deo.* 72) W. L. t. 5, f. 106b. 73) Cf. Act 17, 31; Rom 9, 12; 1 Cor 12, 9; Eph 2, 8. 74) *De Votis Monasticis,* W. L. t. 2, f. 269a. 270b-272a. 75) Gn 28, 20-22. Vulg.: *Deus,* loco: *Dominus.* 76) Cf. 7, 16; 22, 18-23; 23, 38. 77) Cf. 6, 2-4; 15, 3; 29, 39; 30, 3. 78) 23, 21-22. Vulg.: *Cum votum.* 79) Ps 131, 2. 80) W. L. t. 2, f. 292a. 81) Rom 14, 23. 82) Ms.: *Si.* 83) Mt 19, 21. 84) Cf. ibid. 4, 18-22; Lc 27, 29. 85) W. L. t. 2, f. 347a.

quaeso, est religio aliud quam apostolicae vitae imitatio? Praeterea docet [86] vota adversari libertati evangelicae, sane quia emisso continentiae voto homo non potest Matrimonium contrahere. Sed num etiam Matrimonium repugnat evangelicae libertati? Homo enim subiectus Matrimonii legibus impeditur a caelibatu. Quare ergo Lutherus tantopere coniugium praedicat? Magnus libertatis evangelicae assertor et vindex Lutherus, sed minime intelligens aut intelligere minime volens! Summa enim Evangelii libertas non est libertas a praeceptis et consiliis divinae legis, quae ad virtutem, ad sanctitatem, ad perfectionem spectant, sed libertas a vitiis et peccatis, ut Paulus ait: *Liberati... a peccato, servi facti estis iustitiae.* [87] Sed bonus Lutherus Evangelii libertatem transtulit in libertatem carnis factus carnalium desideriorum, *quae militant adversus animam*, [88] infame mancipium.

caritati et rationi;

Addit [89] praeterea vota adversari divinis praeceptis, adversari caritati, adversari rationi. Facile credam adversari praeceptis dei alicuius lutherici, deus enim Lutheri deus huius saeculi fuit, adversari caritati carnis et cupidinis, adversari rationi, quae tradita est in *reprobum sensum.* [90] Num exactior vitae sanctitas ipsaque sanctitatis perfectio, quae in Evangelio continetur, qua dicitur: *Si vis perfectus esse*, adversari potest praeceptis Dei et caritati, quae summa est christianae perfectionis? Docet [91] eodem libro versus finem, quod votum continentiae ex diametro pugnat cum voto Baptismi. Mirabile dictum! Castitas pugnat contra gratiam Spiritus Sancti, quam in Baptismo accepimus!

votum continentiae pugnare cum voto Baptismi.

Dixit fidem esse omnium excellentissimum opus, quod Deus in nobis sine nobis operatur;

VII. Sed progrediendum ad alia; sunt enim Lutheri paradoxa innumera. In libro *De Captivitate Babylonica*, capite *De Baptismo*, ait: [92] « Ne vilem habeas fidem, quae opus est omnium operum excellentissimum et arduissimum, quo solo, etiam si omnibus aliis carere cogereris, servaberis; est enim *opus Dei*, non hominis, sicut Paulus docet. [93] Cetera nobiscum et per nos operatur, hoc unicum in nobis et sine nobis operatur ». Mitto hic quod ait fidem esse opus Dei omnium excellentissimum, cum, teste Paulo, caritas sit fide

86) Ibid. f. 297a. 87) Rom 6, 18. 88) 1 Petr 2, 11. 89) W. L. t. 2, f. 302a-311b.
90) Rom 1, 28. 91) W. L. t. 2, f. 319a. 92) Ibid. f. 78b. 93) Rom 14, 20.

multo excellentior; [94] quaeso: Quomodo Deus operatur in nobis fidem sine nobis? Num extra nos operatur hanc fidem? Aut quomodo homo sine homine credit?

Baptismum nihil prodesse, sed solam fidem in verbo promissionis;

Sic in eo libro multa mirabilia docet: quod Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis; [95] quod fides sine sacramento Baptismi servare possit; [96] quod in Baptismo parvulorum requiratur fides actualis in verbum promissionis, acquisita fide per orationem Ecclesiae et fide offerentium parvulum ad Baptismum. [97] Ubi supra modum mirabile paradoxum subiungit, dicens: [98] « Hac ratione libens admitterem sacramenta Novae Legis esse efficacia ad dandam gratiam non modo non ponentibus obicem, sed etiam obstinatissime ponentibus obicem ». *Quis audivit unquam tale?* [99] Obex est mala voluntas cordisque impoenitentia et durities, resistens abiiciensque gratiam Dei. Ergone sine poenitentia iustificatur homo, imo cum obstinata impoenitentia?

sacramenta N. L. esse efficacia etiam obstinatissime ponentibus obicem;

praestare omittere Baptismum in parvulis;

In eo autem quod docet requiri in infantibus fidem ad suscipiendum Baptismum, – quod etiam in libro *Adversus Cochlaeum* urget; [100] et *ad Waldenses* scribens, ait [101] praestare prorsus omittere Baptismum in parvulis, quam baptizare eos sine fide, – fundamenta iecit haeresis Anabaptistarum et humanis sensibus iniuriam inferre voluit. Nam, ut Augustinus ait epistola *ad Dardanum*, [102] « nescire divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris videamur facere iniuriam, quando id loquendo suademus, ubi omnes vires officiumque sermonis superat evidentia veritatis ».

per Baptismum non tolli peccatum, sed operiri;

Paradoxum est, quod ait in *Assertione Articuli 2* [103] per Baptismum non tolli peccatum, sed operiri, manereque peccatum, sed non imputari, cum, Scriptura teste, ad delenda abluendaque peccata Baptismus institutus sit, [104] ad dealbandam animam super nivem. [105] Paradoxum est, quod in *Praefatione ad Psalmum 50* ait peccatum esse substantiam, dicens: [106] « Magna sapientia est scire nos nihil esse quam peccatum, nec sic leviter de peccato sentiamus, ut Papae Doctores,

peccatum esse substantiam,

94) Cf. 1 Cor 13, 1-13. 95) W. L. t. 2, f. 77b. 96) Ibid. f. 79b. 97) Ibid. f. 81a. 98) Ibid. 99) Is 66, 8. 100) W. L. t. 2, f. 442a. 101) W. G. t. 7, f. 345a. 102) Epist. 187, cp. 7, (P. L. 33, 841). 103) W. L. t. 2, f. 105a. 104) Cf. Act 22, 16. 105) Ps 50, 9. 106) W. L. t. 3, f. 504b.

qui definiunt peccatum esse dictum, factum aut cogitatum contra legem Dei;[107] quin tu sic defini secundum hunc *Psalmum* peccatum esse hoc totum, quod est natum ex patre et matre, antequam homo possit per aetatem aliquid dicere, facere aut cogitare ». Et ad illud eiusdem *Psalmi: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis,*[108] etc. docet agi hic de peccato originali, et inter cetera sic loquitur:[109] » Semen humanum massa illa, ex qua formatus sum, tota est vitio seu peccato corrupta, materia ipsa est vitiata, lutum illud, ut sic dicam, ex quo vasculum fingi coepit, damnabile est. Quid vis amplius? Talis sum ego, tales sunt omnes homines; ipsa conceptio, ipsa augmentatio foetus in utero, antequam nascimur et homines esse incipimus, est peccatum ».

Hinc puto Matthiam Illyricum, summum lutherolatram, sumpsisse[109a] monstra illa de peccato originali:[110] quod peccatum originale sit substantia, non accidens, pertineatque ad praedicamentum substantiae, non ad quodvis aliud praedicamentum; quodque peccatum originis nihil aliud sit quam substantialis imago diaboli, adeo ut per peccatum rationalis anima primi hominis substantialiter tota corrupta sit et transformata in imaginem diaboli ex imagine Dei, ut quemadmodum in homine mortuo forma substantialis cadaveris est loco animae; ita post peccatum Adae sit in anima forma quaedam teterrima substantialis, pro ea quae ante fuerat. Sed si peccatum substantia est; ergo Dei opus, Dei creatura est, *omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*[111] Si Dei creatura est; ergo res bona est, nam, ut Paulus ait, *omnis creatura Dei bona est,*[112] et Moyses: *Vidit...*, inquit, *Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona,*[113] quin etiam *Dei perfecta sunt opera.*[114] Quisquis ergo peccat, bonum facit opus. O monstra!

Docet de peccato Lutherus[115] aliud paradoxum, scribens *in Epistolam ad Galatas*, tractans illud *capite tertio*: *Christus nos redemit de maledicto legis,*[116] ubi non contentus dixisse, quod peccatum

et deum maximum, omnes doctos,

107) S. Augustinus *Contra Faustum Manichaeum*, lib. 22, cp. 27, (P. L. 42, 418). 108) 50, 7. 109) W. L. t. 3, f. 518. 109a) Ms. adiungit: *Existimo.* 110) *Orthodoxa Confessio de Originali Peccato*, an. 1571, sine loco. Totum opus huc spectat, quod scilicet peccatum originale non accidens, sed natura, forma, substantia mala sit. Verba quae S. Laurentius refert, saepius repetita inveniuntur, praesertim vero pag. 518 sqq., ubi fit descriptio peccati originalis, et pag. 543 sqq., in quibus crude tota doctrina enunciatur et defenditur. 111) Io 1, 3. 112) 1 Tim 4, 4. 113) Gn 1, 31. 114) Dt 32, 4. 115) W.L. t. 5, f. 349b. 116) Vr. 13.

Sanctos, etc. exhaurientem.

est potentissimus et crudelissimus tyrannus, damnans et regnans in toto orbe terrarum, subiunxit, dicens: « In summa peccatum est deus maximus ac potentissimus, qui exhaurit totum genus humanum, omnes doctos, Sanctos, potentes, sapientes ». Inaudita hyperbole! Sit verum quod peccatum primi hominis exhauserit, hoc est, perdiderit totum genus humanum; quomodo peccatum exhaurit omnes Sanctos? Ex qua theologia docuit, ex quo fonte hausit Lutherus novum hunc deum maximum et potentissimum? Sed homo fuit Lutherus ad monstra excogitanda, diabolo auctore, prognatus.[117]

Asseruit, quod christianus est omnium dominus et servus, perperam exponens verba Pauli;

VIII. Insigne[118] paradoxum habet Lutherus in libro *De Libertate Christiana*, dicens,[119] quod « christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subiectus »; et item quod « christianus homo omnium servus est officiosissimus, omnibus subiectus; omnium dominus liberrimus secundum animam per fidem et omnium servus secundum corpus ». Et utrumque se probare existimat per Paulum; primum quidem quia *1 Corinthiis* ait: *Cum essem liber..., omnium me servum feci;*[120] secundum quia *Romanis* ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*[121] Optime utrumque, quasi idem esset homo liber et homo omnium dominus liberrimus. Vult autem toto eo libro talem esse hominem per solam fidem, cum Paulus dicat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam..., nihil sum.*[122]

quod opera bona non faciunt hominem bonum, sed e converso;

Aliud habet in eodem libro, dicens[123] quod « opera bona non faciunt hominem bonum, sed homo bonus facit opera bona », et e contra quod « opera mala non faciunt hominem malum, sed homo malus facit opera mala », iuxta illud: *Arbor bona,*[124] etc. Ergo peccatum Adae non constituit eum malum, neque peccatum Angeli.

quod nullus potest christiano legem

In libro *De Captivitate Babylonica*, capite *De Baptismo*, aliud habet paradoxum, inquiens:[125] « Dico itaque: neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet ius unius syllabae constituendae

117) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 1*, pag. 202. 118) Cod. 2, f. 233-234. Quae in his foliis continentur, prostant in fine huius *Dissertationis*, sub titulo: *Alia Lutheri Paradoxa*; quae iuxta mentem Auctoris huic *Dissertationi* inserenda erant. Nos hic ea apponimus, ut cum sequentibus cohaereant. 119) W. L. t. 2, f. 3b. 120) 9, 19. Vulg.: *Liber essem ex omnibus.* 121) 3, 8. 122) 1 Cor 13, 3. 123) W. L t. 2, f. 8a. 124) Mt 7, 17. 125) W. L. t. 2, f. 80a.

super christianum hominem, nisi fiat eiusdem consensu ». Ergo neque princeps in populum, neque dominus in servum, neque pater in filium, neque Petrus in concilio Ierosolymitano potuit prohibere.[126] Et tamen mirabile istud paradoxum paulo post replicat Lutherus, dicens[127] « christianis nihil ullo iure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus ». Vult enim omnes esse filios Belial sine iugo.[128] Quis audivit unquam, quod pastor nihil possit super oves?

imponere, quia est liber;

IX. In libro *Adversus Bullam Execrabilem Antichristi* Lutherus ridet, maxime ridendus nec minus deplorandus homo, quod in Bulla dicatur aliquos articulos ipsius esse haereticos, aliquos erroneos, et mirabiliter philosophatur:[129] « Acutissima, inquit, acutissimorum hominum distinctione colligimus erroneum non esse haereticum. Sed quod haereticum non est, catholicum est, dicente Christo: *Qui non est contra vos, pro vobis est* ».[130] Sapientior Salomone Lutherus sapientissime, sicut Arcadiae asinus,[131] loquitur. Error in philosophia, imo in historia, in grammatica non est quid haereticum; ergo est quid catholicum, nam quod haereticum non est, catholicum, ipsius sententia, est. Et si omnis error est haeresis, quis non erit haereticus? Quam multae sunt opiniones falsae cum in philosophia, tum etiam in theologia et in expositione Divinarum Litterarum citra fidem! Omnes ergo falso opinantes sunt haeretici? Platonem etiam et Aristotelem cum Pythagora, quin et omnes infideles Lutherus pronunciabit haereticos: « Vellem, ait,[132] dari mihi ab istis viris magnificis articulum erroneum in Ecclesia, qui non sit haereticus. Si enim erroneus est, nihil differt ab haeretico, nisi pertinacia asserentis; omnia enim aequaliter, aut vera sunt aut falsa ». O hominem acutissimum! Erravit Petrus, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse..., nesciens quid diceret;*[133] ergo fuit haereticus. Quaecumque minus vera intelligentia Scripturae error est, cum verum sensum non teneat; ergo haeresis est. Et tamen paulo post Lutherus cum Papa ita insolentissime

quod erroneum in fide idem est ac haereticum, et e contra quod haereticum non est catholicum est;

126) Cf. Act 15, 6-11. 127) W. L. t. 2, f. 81ᵃ. 128) Cf. Idc 19, 22. 129) W. L. t. 2, f. 94ᵇ. 130) Lc 9, 50. Vulg.: *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est*. Textum refert ex Luthero. 131) *Dissert.* 8, sect. 2, not. 83 libri 1 huius vol. 132) W. L. t. 2, f. 94ᵇ. 133) Lc 9, 33. Vulg.: *Praeceptor*.

loquitur:[133*] « Tu eum articulum damnas, qui non est haereticus, ac per hoc verus et catholicus ». Optime sane, non est articulus haereticus; ergo verus et catholicus, veluti: Turca non est haereticus; ergo christianus catholicus.

quod quilibet christianus, etiam mulier, absolvere potest a peccatis, etc.;

X. In *Assertione Articuli 13* habet Lutherus non ignobile paradoxum, dicens:[134] « In sacramento Poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa, Episcopus quam infimus sacerdos; imo ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset ». Non mirum, nam alibi docuit,[135] quod etiam diabolus potest absolvere a peccatis. Sed et articulo 12 mirabile quid docet,[136] quod si sacerdos non serio, sed ioco quempiam a peccatis absolveret, esset absolutus verissime, modo crederet se absolutum.

quod accedens ad Eucharistiam, etiam optime dispositus, iudicium sibi manducat;

Nec minus illustre est quod habet articulo 15, inquiens:[137] « Magnus error est eorum, qui ad sacramentum Eucharistiae accedunt huic innixi quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria. Omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt ». Cur vero istud? Quia Paulus ait: *Nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*[138] Optime; ergo qui bene dispositus pro sua virili accedit ad Sacramentum, cum probaverit seipsum, ut Paulus ait, indigne accedit et *iudicium sibi manducat et bibit.*[139] O insaniam! Propter bonum opus damnatur homo?

quod peccatum semper eodem modo accipitur in Scripturis, contra evidentes Sacrarum Scripturarum textus.

XI. In *Confutatione Rationis Latomianae* habet Lutherus[140] dictum mirabile, quod « Scriptura peccatum ubique eodem modo accipit, sed non ubique eodem modo tractat, aut tractari describit ». O dictum theologicum hominis maxime theologotati! Imo cum primo peccatum legimus in Sacris Litteris, *Genesi,*[141] non accipitur pro peccato proprie dicto, hoc est, culpa, transgressione, mala actione, sed pro poena: *Nonne,* inquit Dominus ad Cain, *si bene egeris, recipies,* sive ex hebraico *elevatio* aut *exaltatio;* si autem non bene egeris, hoc est, *si male egeris.* Nihil autem aliud est peccare quam male agere; *qui*

133*) W. L. t. 2, f. 94a. 134) Ibid. f. 109a. 135) *De Missa Privata et Unctione Sacerdotum,* ibid. t. 7, f. 243a. 136) *Assert. Art.* ibid. t. 2, f. 109a. 137) Ibid. f. 109a. 138) 1 Cor 4, 4. 139) Ibid. 11, 28-29. 140) W. L. t. 2, f. 253a. 141) 4, 7. Vulg.: *Sin autem male.*

facit peccatum et iniquitatem facit.[142] Quid ergo est quod sequitur: *Peccatum ad ostium cubabit?*[143] Bonae actioni tribuit praemium et malae actioni poenam.

In hac autem eadem significatione sumitur, Zacharia: *Hoc erit peccatum Aegypti, et hoc peccatum omnium gentium, quae non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum.*[144] Loquitur enim ibi de poena infligenda. Deinde quis tam male versatus est in Sacris Litteris, qui nesciat quod saepe in *Levitico* sacrificium pro peccato appellatur absolute peccatum,[145] maxime in *Levitico* ex hebraico,[146] secundum quam significationem Paulus ait Christum factum fuisse a Deo peccatum?[147] Moyses *Deuteronomio* vitulum aureum appellat peccatum, dicens: *Peccatum... vestrum, quod feceratis,* idest, *vitulum, arripiens igne combussi et in frustra comminuens..., et in pulverem redigens, proieci in torrentem.*[148] Quin et Michaeas appellat civitatem Samariae *scelus Iacob.*[149] Et audet Lutherus dicere, quod Scriptura peccatum ubique eodem modo accipit?

Asseruit, quod diabolus potest esse animarum curator, sacramentorum minister, etc.

Et,[150] ut finem tandem faciamus et receptui canamus, quale illud Lutheri paradoxum censendum est, quod in libro *De Abroganda Missa Privata et Unctione Sacerdotum* docuit?[151] Nempe quod diabolus, si velit, iure potest curator animarum esse, praedicare Evangelium, ministrare sacramenta, baptizare, a peccatis absolvere, conficere Corporis et Sanguinis Christi sacramentum, communicare et facere omnia quae legitimus sacerdos facit, et rite rateque administrata erunt a diabolo sacramenta. Doctrinam cedro dignam!

Animae immortalitatem portentum dixit.

Sed quo loco ponemus illud, quod habet in *Assertione Articuli 27*, ubi animam hominis esse immortalem collocat inter portenta?[152] Non contentus docuisse pluribus in locis, *super Genesim,* capitibus 25[153] et 26,[154] nec non 49[155] et *super Ecclesiasticum,*[156] capite 9, quod anima a corpore separata amittit et sensum et memoriam et intelligentiam, adeo ut somno lethargoque tota sopita, nihil prorsus sentiat, nihil intelligat, nihil sciat; eo devenit novus Epicurus, ut animae immortalitatem portentum esse statuerit docueritque.

142) 1 Io 3, 4. 143) Gn 4, 7. Ex hebraico. 144) 14, 19. 145) 7, 2-5.
146) Cf. ex. gr. 4, 3. 147) Cf. 2 Cor 5, 21. 148) 9, 21. 149) Cf. 1, 5.
150) Cod. 2, f. 232 sub initio. 151) W. L. t. 7, f. 243b-244a. 152) Ibid. t. 2, f. 113a.
153) Ibid. t. 6, f. 351. Ms.: *Cp. 21.* 154) Ibid. f. 392b-393a. 155) Ibid. f. 745a.
156) Ibid. t. 4, f. 37b-38a.

Docuit homines, quatenus sub lege sunt, Deum necessario odisse,

XII. Nec contemnendum paradoxum est, quod habet Lutherus *super Epistolam ad Galatas, capite tertio,* super illud : *Sub lege custodiebamur,* ubi docet non posse homines Deum non odisse et blasphemare, dicens : [157] « Si Deus non haberet infernum, nec malos puniret, amarent et laudarent eum omnes ; quia vero malos punit, et omnes mali sunt, ideo, quatenus sub lege concluduntur, non possunt non odisse et extreme blasphemare Deum ». Vult enim Lutherus, quod lex sit carcer spiritualis et vere infernus, propterea ait : « Quatenus sub lege concluduntur ».

et, etiamsi sanctos, non esse liberos a blasphemia in Deum,

Vult infinitum esse odium cordis humani contra legem Dei, ac proinde contra Deum auctorem legis ; vult quod totus mundus sit inimicus legis eamque infensissime odio habeat, et insuper inimicus Dei sit, qui auctor est legis. Ita enim docet folio 361. [158] Folio autem 366, [159] habet quod « etiamsi christianus homo non ruit in crassa peccata, homicidium, adulterium, furtum, etc. ; tamen non est liber ab impatientia, murmuratione, odio et blasphemia contra Deum, quae peccata humanae rationi prorsus ignota sunt. Ista eum etiam invitum cogunt detestari legem, cogunt a conspectu Dei fugere, cogunt odisse et blasphemare Deum. Ita in sancto viro fortis est impatientia, murmuratio, odium et blasphemia Dei ». Sed quaenam est haec mirabilis sanctitas, quae Deum odit atque fortiter blasphemat ? Hoc enim daemonum est inimicorum Dei, [160] non Sanctorum, qui summa pietate et caritate Deum colunt et super omnia diligunt. Aut quaenam peccata sunt, quae christianum hominem etiam invitum cogunt a conspectu Dei fugere, Deumque odisse et blasphemare ? Quis est homo, qui invitus et coactus peccat, cum non possit esse peccatum nisi voluntarium ; aut quomodo non potest homo non odisse et extreme blasphemare Deum, cum homini sit propria et naturalis pietas erga Deum ex naturae ipsius instinctu ? Sed novo isto suo evangelio docuit Lutherus quod vetus Evangelium prorsus ignoravit penitusque nescivit.

servare autem mandata una cum fide idem esse ac

Non possum autem non adhuc unum Lutheri paradoxum recensere. Ad *secundum caput Epistolae ad Galatas* super illud : *Si autem quaerentes iustificari in Christo :* [161] « Papistae, inquit, [162] et quot-

157) Ibid. t. 5, f. 365ᵇ. 158) Ibid. f. 361ᵃ. 159) Ibid. f. 366ᵇ. 160) Cf. Apc 13, 5-6.
161) Ver. 17. Vulg.: *Quod si, etc.* 162) W. L. t. 5, f. 311ᵃ.

quot iustitiam Christi ignorant aut non recte tenent, non possunt non facere ex Christo Moysen et legem et ex lege Christum. Sic enim docent: Fides in Christum iustificat quidem, sed simul servari oportet etiam praecepta Dei, quia scriptum est: *Si vis... ad vitam ingredi, serva mandata.* [163] Ibi statim Christus abnegatus est et fides abolita, quia mandatis Dei sive legi tribuitur, quod est solius Christi ». Mirabile dictu! Una cum fide in Christum servare mandata Dei est Christum negare et fidem abolere.

Christum negare et fidem abolere.

DISSERTATIO SEXTA

MARTINI LUTHERI SOPHISMATA ET FUTILIA INANIAQUE ARGUMENTA FALLACIAE STROPHAEQUE SOPHISTICAE ET NUGACES INSULSAEQUE RATIONES [1]

I. Paulus apostolus, *ad Colossenses* scribens, optime monuit, ut essent *radicati et superaedificati in Christo, confirmati in fide*, sicut didicerant, subiunxitque dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi* huius *et non secundum Christum.* [2] Quibus etiam paulo ante dixerat: *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* [3] *Decipiat*, graece est verbum *paralogizo*, et, *in sublimitate sermonum*, graece est *persuasibili sermone*, *pithanologia*.

Paulus monet, ut simus radicati in fide, ne decipiamur per sophismata falsae scientiae,

Est autem paralogismus falsa ratiocinatio; persuasibilis autem sive probabilis sermo cultus et ornatus eloquentiae rhetorum coloribus fucata oratio, qua Paulus minime usus fuit. Nam *ad Corinthios* ait: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis;* [4] et: *Cum venissem ad vos..., veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae;* [5] et item: *Non... in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* [6] Docet itaque Apostolus pseudoapostolos haereticosque veritate divina destitutos ad persuadendam haeresum falsi-

quae ab haereticis proferuntur.

163) Mt 19, 17.

1) Cod. 2, f. 235a-239a. 2) 2, 7-8. Vulg.: *Superaedificati in ipso.* 3) Ibid. vr. 4. 4) 1 Cor 2, 4. 5) Ibid. vr. 1. 6) Ibid. 4, 20.

tatem nonnisi paralogismis, inanibus fallaciis, sophismatis et fucatae eloquentiae armis instructos esse. Sic enim, ut idem Apostolus *ad Timotheum* ait, haeretici, qui *circa fidem exciderunt*, profitentur *falsi nominis scientiam, falso nominatam scientiam.* [7] Quod olim proprium sophistarum infamium fuit, qui volebant potius videri sapientes quam esse.

Hoc Pauli monitum attendendum fuisset in apostasia Lutheri, qui fallaciis suis innumeras animas decepit.

Utinam autem divinum hoc Apostoli monitum attendissent, cum Martinus Lutherus, a catholica fide excidens et *falsi nominis scientiam* profiteri incipiens, auctore satana, errores spargere et iamdiu damnatas haereses ab orco revocare doctrina et praedicatione sua coepit! Magistro nanque diabolo, qui egregius rhetor et sophista optimusque fallaciarum artifex est, malis his artibus ad decipiendas animas apprime imbutus, satanae optimus discipulus effectus, mille fraudibus usus, innumeras animas decepit et a via veritatis abductas in mille errorum barathrum diabolica sua doctrina coniecit, et satanica virtute intrusit.

Fuit Lutherus sophista habilissimus;

II. Fuit autem Lutherus revera ad decipiendas animas milleartifex sophistaque fallacissimus; facilius quis coeli stellas enumerabit quam Lutheri sophismata fallaciasque, adeo ut ipsius scripta ob copiam fallaciarum et putidissimorum sophismatum Augiae stabulum [8] merito quis dicere possit.

nec defuit illi persuasionis sermo;

Nec defuit Luthero persuasionis sermo; fuit enim homo supra modum verbosus et loquax, ipsiusque oratio vehementissima, acerrima, ardentissima, saepe etiam furentissima rabidissimaque, imperiosae et superbae dicacitatis, tam potentis linguae, ut verba ipsius tonitrua aliquando videantur. Sed in praesentiarum ipsius sophismata, paralogismos, fallacias ostendenda suscepimus.

saepissime circulos et nugas construit,

Frequentissimus est Lutherus in circulis, saepe gyros et rotas fabricat nugarum architectus, dum illud ipsum quod in quaestione positum est pro argumento assumit tanquam indubitatum. Saepissime andabatarum more [9] vires suas frustra fatigat, et in te-

7) 1 Tim 6, 21. 20. Vulg.: *Scientiae.* 8) Idest, pestilentissimarum immunditierum cloaca, quia Augias stabulum fingitur habuisse tria millia boum capiens; et, cum per triginta annos expurgatum non fuisset, congesti stercoris foetore pestilentiam regioni intulisse. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Augias* nomine. 9) Idest, gladiatores, quorum caput tectum erat galea, ita ut veluti caeci depugnarent, eoque risum moverent spectatoribus; vel qui noctis tenebris caeca pugna certabant. Cf. S. Hieronymus *De Perpetua Virginitate B. M. Virginis adversus Helvidium,*

nebris pugnat, veluti impugnans iuratos caelibes et in votum castitatis profuse nuptias laudat, et vertens meritum bonorum operum ex gratia Dei praedicat meritum Christi, convellens venerationem cultumque Sanctorum, qui cum Christo regnant in coelo, Scripturas adducit, quae idololatriam prohibent, ut ostendat non iustificari hominem caritate, adducit praeconia fidei. Huiusmodi autem innumera sunt in L u t h e r i scriptis sane plumbea argumenta, quibus veluti satagit, ut in proverbio est, ex arenulis resticulas nectere et ligneas serras fabricare.[10]

et in tenebris pugnat;

Supra modum vero versatur in logomachia circa pugnas verborum: haereticus homo, de quo P a u l u s *ad Timotheum* ait. *Qui... non acquiescit... ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum.*[11] Ut puta, Scriptura appellat Eucharistiam; ergo in consecratione remanet panis cum corpore Christi, non convertitur in corpus Christi. In Scriptura non legitur transubstantiatio, non Missa aut Missae sacrificium, non solemnis ordinatio sacerdotum; ergo haec inania figmenta papistarum sunt. Saepe saepius ac frequentissime quidem detortis Scripturis per summam fallaciam elicit conclusiones plane erroneas atque falsissimas.

frequenter versatur circa pugnas verborum;

saepius detorquet Scripturas.

Exemplis illustranda nobis res est, ne quae asserimus gratis et per invidiam dixisse existimemur. Adducemus autem quam plura L u t h e r i sophismata, quibus veluti instructa acie atque phalange Catholicorum dogmata placitaque impugnat, et, uti sibi videtur, potentissime arietat.[12] Adducemus autem non ex omnibus ipsius scriptis, quod operosissimum esset, sed ex quibusdam tantum, maxime vero ex sua *Captivitate Babylonica*, ex *Votis Monasticis*, ex *Falso Nominato Statu Episcoporum* et ex *Assertionibus Articulorum Damnatorum*. Et, ut ab his dicendi initium faciamus, videbimus tantum *Assertiones* potissimorum articulorum, quales sunt *1*, *2*, *31*, *32* et *36*.

Aliqua Lutheri sophismata in exemplum adducuntur.

III. Est autem primus articulus:[13] « Haeretica est, sed usitata sententia sacramenta Novae Legis dare gratiam illis, qui non ponunt

Ut probet sacramenta

(P. L. 23, 188); *Adversus Iovinianum*, lib. 1, ibid. col. 260. 10) Idest, frustra conari quod nulla ratione effici potest. P. Mannuccii *Adagia*, col. 262. 11) 1 Tim 6, 3-4.
12) *De Captivitate Babylonica*, W. L. t. 2, f. 67ᵇ; *Contra Henricum Regem Angliae*, ibid. f. 355. 357. 358; *Responsio ad Maledelici et Contumeliosi Regis Angliae Titulum*, ibid. f. 538ᵃ.
13) Ibid. f. 101ᵇ.

non dare gratiam non ponentibus obicem, inepte affert auctoritates Pauli et Christi.

obicem ». Probat sententiam auctoritate et ratione; auctoritate, quia Paulus[14] ait ex propheta Habacuc: *Iustus... ex fide sua vivit.*[15] « Non dicit, inquit, ex sacramentis ». Ecce optima conclusio. Ergo haeretica sententia est sacramenta dare gratiam illis, qui non ponunt obicem. Quomodo sequitur? Num quia non meminit ibi gratiae Dei et meriti Christi sicut nec sacramentorum, haeretica erit sententia dicere quod Dei gratia et Christi merito salvamur? Imo nec Dei nec Christi ibi meminit. Quid ergo? Itane argumentandum est? Probat alia auctoritate, quia Dominus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*[16] Et hinc quomodo sequitur haereticam esse sententiam, quod sacramenta Novae Legis dent gratiam illis, qui non ponunt obicem? Aliam adducit auctoritatem Pauli *ad Romanos: Corde... creditur ad iustitiam.*[17] « Non dicit, inquit, corpore sacramenta suscipiuntur ad iustitiam ». Ergo haeretica est sententia. Tandem adducit illud: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.*[18] Sed hinc quomodo sequitur: Ergo haeretica est sententia?

Ratio vero adducta nihil evincit.

Sed videnda est ratio. « Haeretica, inquit, sententia est, quaecumque contraria est apostolicae et catholicae sententiae ». Bene, optime, verissima propositio est. Videamus assumptionem. « Sed talis est sententia eorum, qui dicunt sacramenta Novae Legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem ». At hoc falsissimum est. Unde probatur? « Quia, inquit, obicem vocant peccatum mortale, incredulitatem autem pro nullo obice habent ».[19] Sed hoc apertum mendacium est; nam primum quod requiritur ad suscipienda sacramenta ex omnium Catholicorum sententia fides est. Annon optime articulum suum istum probavit Lutherus?

Ut demonstret in puero post Baptismum manere peccatum, perperam profert illud: *Non concupisces.*

Ad secundum:[20] « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare ». Quomodo probat? Quia lex dicit: *Non concupisces.*[21] Sed lex non prohibet omnem concupiscentiam, nam est etiam concupiscentia bona: *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas;*[22] prohibet malam, non naturalem, quae nobis communis cum brutis est, sed voluntariam;

14) Rom 1, 17. 15) 2, 4. Vulg.: *Iustus autem in fide sua vivet.* 16) Mc 16, 16.
17) 10, 10. 18) Gn 15, 6; Rom 4, 3. 19) W. L. t. 2, f. 102ᵃ. 20) Ibid.
21) Rom 7, 7. 22) Ps 118, 20.

nam non potest esse peccatum nisi voluntarium. Prohibet igitur concupiscentiam, ne prohibita lege divina animo concupiscamus. Quomodo hinc sequitur, quod « negare peccatum in puero post Baptismum est Christum simul et Paulum conculcare ? » « At, ait,[23] quis est hominum, qui postquam adoleverit, non sentiat concupiscentiam, quamvis baptizatus ? » Hic Lutherus aequivocat ac paralogizat, transiens a concupiscentia actuali, lege prohibita, ad concupiscentiam naturalem, quam dicunt fomitem peccati,[24] quae non peccatum, sed causa peccati est ac veluti radix, sicut Iacobus ait: *Unusquisque... tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*[25]

Aequivocat etiam ibi, accipiens concupiscentiam naturalem pro actuali.

Probat Lutherus, quia a Paulo appellatur habitans in nobis peccatum.[26] Sed etiam Christus a Paulo dictus est aliquando *peccatum.*[27] Quid inde ? Num peccatum proprie dictum ? In *Confutatione Rationis Latomianae* Lutherus agnoscit[28] peccatum metaphoricum, quo Christus appellatur, et verum, quod est nostrum. Teste autem D. Augustino, quem hic citat Lutherus, ibi Paulus peccati nomine de vitio loquitur, sicut *ad Galatas: Carnem suam crucifixerunt cum vitiis,*[29] etc. Scriptura autem semper de vitio loquitur peccati nomine, adeo ut nunquam in Scriptura legatur vitium animi, quod virtuti opponitur, nisi *Iudicibus*[30] et *Iob;*[31] at non ita est in hebraico.[32] Differt autem vitium a peccato sicut arbor a fructu. D. Augustinus *De Perfectione Christiana,*[33] dicit vitium simile curvitati tibiae, peccatum claudicationi. Noluit hoc Lutherus intelligere.

Item non ad rem affert textus Pauli et Augustini;

In hac autem *Assertione* Lutherus, non contentus paralogizasse, voluit et mentiri, falso adducens[34] D. Augustinum asserentem, quod peccatum in baptizatis manet, sed non imputatur;

quinimo mentitur, falso adducens Augustinum.

23) W. L. t. 2, f. 102b. 24) P. Lombardus *Collectanea in Epist. ad Rom.* (P. L. 191, 1416-1417); S. Bonaventura *Sententiarum*, lib. 4, vol. 4, pag. 21, ed. cit.; S. Thomas *1a 2ae, Quaest. 82*, art. 3, pag. 314-315, ed. cit.; Concilium Tridentinum, sess. 5, can. 5; *Catechismus Romanus*, part. 2, cp. 2, pag. 153, ed. cit. 25) 1, 14-15. 26) Cf. Rom 7, 17. 20. 27) Cf. 2 Cor 5, 21. 28) W. L. t. 2, f. 244a. 29) 5, 24. 30) Cf. 9, 19. 31) Cf. 20, 11. 32) Idc 9, 16. 19. Adhibetur vox: וּבְתָמִים, quae litteraliter vertitur *in integritate, innocenter.* Cf. Io. Buxtorfius op. cit. sub. h. v.; Iob 20, 11 adhibetur vox: עֲלוּמָו litteraliter *adolescentiae eius;* de significatione tamen vocis עַלְמָה *Alma,* disputatur. Cf. ibid. sub. h. v. 33) Cp. 2, (P. L. 44, 293-295). 34) W. L. t. 2, f. 99.

cum D. Augustinus non dicat peccatum, sed concupiscentiam, quam appellari dicit peccatum, quia effectus primi peccati, sicut scriptura appellatur manus, et etiam quia causa peccati, sicut frigus appellatur pigrum, quia facit hominem pigrum.[35]

Idem dicendum de auctoritatibus adductis ad probationem *Articulorum 31, 32 et 35* suarum *Assertionum*

Quomodo autem probat 31 et 32 articulos, quod « iustus in omni opere bono peccat »,[36] et quod « opus bonum optime factum est peccatum veniale secundum misericordiam Dei, sed secundum iudicium Dei mortale ? »[37] Quibus annectitur etiam 35, quod[38] « nemo certus est se non semper mortaliter peccare propter occultissimum superbiae vitium ». Probat[39] ex Isaia, qui ait : *Facti sumus immundi omnes nos, et omnes iustitiae nostrae sicut pannus mulieris menstruatae.*[40] Sed hic Isaias non dicit quod « omnis iustus in omni opere bono peccat », nec de iustis, sed de peccatoribus loquitur : *Facti sumus immundi omnes nos.* Falso igitur ex hoc Lutherus probat articulum. Adducit[41] illud Ecclesiastis: *Non est... homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet.*[42] Sed non minus falso ex hoc loco probatur articulus ; non enim dicit, quod iustus in omni opere bono peccat, sed qui aliquando non peccet, nam *septies* in die *cadit iustus et resurget.*[43] Hinc hebraice est: *Et non peccabit.* Adducit[44] et locum ex *Psalmo : Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*[45] Sed ubi hic dicitur, quod omnis iustus in omni opere bono peccat ? Nemo hominum reperiri potest, qui nullius prorsus peccati accusari possit, qui omnino innocentem et inculpatam vitam duxerit, *in multis enim delinquimus omnes.*[46]

et *Articuli 36* de servo arbitrio, pro quo affert sententiam Salvatoris: *Sine me,* etc.

IV. Veniamus ad articulum 36, qui Luthero est omnium optimus rerumque suarum summa,[47] et videamus optimam potissimamque probationem. Est autem articulus :[48] « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et, dum facit quod in se est, peccat mortaliter ». Probat potissimum ex Salvatoris sententia : *Sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit... sicut palmes,*[49] etc.

35) *De Nuptiis et Concupiscentia*, lib. 1, cp. 23, (P. L. 44, 428). 36) W. L. t. 2, f. 115^a. 37) Ibid. f. 116^a. 38) Ibid. f. 117^a. 39) Ibid. f. 109^b. 40) 64, 6. Vulg.: *Et facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae*, etc. 41) W. L. t. 2, f. 109^b. 42) 7, 21. 43) Prv 24, 16. Vulg.: *Septies enim cadet*, etc. 44) W. L. t. 2, f. 109^b. 45) Ps 142, 2. 46) Iac 3, 2. Vulg.: *Offendimus.* 47) W. L. t. 2, f. 118^b. 48) Ibid. f. 117^b. 49) Io 15, 5-6.

Sed quomodo, quaeso, ex hac Christi sententia sequitur, quod liberum arbitrium homo per peccatum amiserit, quod careat libera voluntate, ita ut post peccatum liberum arbitrium sit res de solo titulo, et quod, dum facit quod in se est, peccat mortaliter? Perinde sequitur ac si quis concludat: Homo sine lumine externo nihil videre potest, ergo non habet potentiam visivam; infirmus valde debilis sine baculo non potest ambulare, ergo caret naturali progrediendi facultate; mulier sine viro nullum potest filium generare, ergo caret potentia. Annon optima haec essent argumenta? Tale est Lutheri ex Salvatoris sententia. Ut mittam quod ibi non loquitur Dominus, nisi de operibus gratiae, quae ipse operatur in nobis, dum ei fide et caritate sicut palmites viti coniuncti sumus.

Et tamen Lutherus, ac si articulum optima ratione ac potissima clarissimaque demonstratione probasset, in Summum Pontificem, qui articulum istum, qui ipsi etiam naturae et sensibus iniuriam facit, [50] merito damnaverat, procaciter insultat, dicens: [51] « Obsecro, quae est tua frons meretricia, sanctissime Vicarie Christi, qua sic audeas Domino tuo contradicere? Tu dicis, quod liberum arbitrium possit se parare ad gratiam; contra Christus dicit, quod mittetur foras, ut longior fiat a gratia ». Sed insanit, et delirans loquitur infelix homo, propterea tam putide paralogizat, et putat se optime ratiocinari.

Ut probet vota monastica adversari verbo Dei, refert verba Christi: *Ego sum*, etc., ex quibus inepte concludit omnia religionum statuta damnari.

V. Sed accedamus ad monastica vota. Lutherus igitur libro *De Votis Monasticis* docet [52] primo vota monastica non niti verbo Dei, sed adversari verbo Dei. Sed quomodo, Luthere, caste, pie, iuste, sancteque vivere adversatur verbo Dei? Quia vota monastica non sunt instituta a Christo suntque sine auctoritate et exemplo Scripturae, nec nisi Christus imitandus est, qui apud Michaeam dicitur dux populi Dei. [53] Et ipse ait: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris;* [54] et: *Ego sum via..., veritas, et vita. Ego sum ostium.* [55] *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* [56] Tunc concludit: [57] « Haec et similia oracula Scripturae, cum sunt luce clarissima et fi-

50) S. Augustinus epist. 187, cp. 7, (P. L. 33, 841). 51) W. L. t. 2, f. 117ᵃ. 52) Ibid. f. 286ᵇ. 53) Cf. 5, 2. 54) Io 8, 12. 55) Ibid. 10, 9. 56) Ibid. 14, 6. 57) W. L. t. 2, f. 287ᵃ.

Si hoc consequeretur, imitari Sanctos adversaretur Scripturae, et damnandi essent B. Virgo et Io. Baptista.

delissima, certe cogunt damnare quidquid est regularum, statutorum ordinum, sectarum, quod vel citra vel praeter vel ultra Christum incedit, etiamsi per Angelos de coelo traditum, si per miracula ingentia confirmatum esset ». Stupenda sane argumenta, sed insani capitis! Christus est dux noster, Christus est ostium, Christus est via; ergo vota monastica adversantur verbo Dei. Non, non habent auctoritatem in Scriptura, ergo adversantur verbo Dei. Ergo, dicam ego, imitari Sanctos Christi est contra Scripturam, et Sanctorum exempla vitae adversantur [58] Scripturae. Quomodo ergo Paulus ait: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi?* [59] Et: *Memores estote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem?* [60] Dico etiam: Num Beatissima Virgo Deipara et Ioannes Baptista contra Divinas Scripturas fecerunt, quia sine auctoritate Scripturae perpetuam virginitatem servarunt?

Docet autem hoc loco Lutherus [61] in Sacris Litteris nullum prorsus esse consilium, sed omnia esse necessaria praecepta et exhortationes. Sed figmentum insanissimi capitis contra Divinas Scripturas apertissimum est.

Ad probandum vota adversari fidei, perperam producit verba Pauli: *Omne quod non est, etc.*

Docet praeterea [62] vota monastica adversari fidei christianae, quod probat, quia Paulus ait: *Omne... quod non est ex fide peccatum est.* [63] Sed quid inde, Luthere? Accipiatur ibi fides cum Chrysostomo pro conscientia, ut peccatum asseratur quidquid fit contra conscientiam, [64] vel cum Augustino pro fide christiana catholica, contra quam quidquid fit proculdubio peccatum est; [65] quid inde? Ait, [66] quia nesciunt votarii opera sua placere Deo, cum non sint praecepta ab eo, et sic faciunt sine fide. Ergo, quia homo, dum bene operatur, non est certus se placere Deo, peccat vel contra conscientiam vel contra fidem?

et *Deuteronomii: Non facies*, etc.

Adducit autem Lutherus [67] sententiam ex *Deuteronomio* contra vota. Ait nanque: *Non facies quod tibi rectum videtur.* Sed falsus testis Lutherus sententiam ad imponendum imperitis detruncat; sic enim habet: *Non facietis ibi, quae nos hic facimus hodie,*

58) Ms.: *Adversatur.* 59) 1 Cor 11, 1. 60) Hebr 13, 7. Vulg.: *Mementote.* 61) *De Votis Monasticis*, W. L. t. 2, f. 288. 62) Ibid. f. 292a. 63) Rom 14, 23. 64) *In Epist. ad Rom. Hom. 26*, (P. G. 60, 640). 65) *De Gestis Pelagii*, lib. 1, cp. 14, (P. L. 44, 341); *Contra Iulianum Pelagianum*, ibid. col. 750. 66) W. L. t. 2, f. 293a. 67) Ibid. f. 275b-276a.

singuli quod sibi rectum videtur. [68] Loquitur autem de oblationibus, de sacrificiis ritibusque divini cultus in loco, quem Dominus electurus erat, ut manifeste sequitur in textu. Et alioquin, num Moyses et alii faciebant in deserto contra conscientiam et contra fidem, facientes quod rectum sibi videbatur ?

Docens vota adversari libertati, confundit libertatem spiritus cum libertate carnis.

Docet [69] vota monastica adversari libertati christianae, ubi verbosissimus est et nugacissimus, tantum impugnat [70] obligationem voti in conscientia. At obligatio haec non repugnat libertati christianae, sed libertati carnis, libertas enim christiana libertas est a peccato ; sed non repugnat servituti Dei et iustitiae, sive virtutis. Hinc Paulus ait : *Liberati a peccato, servi autem facti Deo.* [71] Dicit etiam christianos servos iustitiae. [72]

Mirifice paralogizat, dum conatur probare vota adversari praeceptis Dei.

VI. In eodem libro optime paralogizat Lutherus, [73] probans vota monastica adversari praeceptis Dei. *Quis audivit unquam tale ?* [74] Quod castitas sit contra praeceptum non adulterandi, paupertas voluntaria, qua quis propter Christum relinquit omnia sua et dat pauperibus, adversetur praecepto non furandi ? Sed vult Lutherus [75] monasticum institutum adversari praecipue tribus primis Decalogi praeceptis, quibus praecipiuntur nobis in primo fides, in secundo laus et confessio nominis Dei et in tertio opera Dei in nobis, in quibus tribus, inquit, absolvitur verus et legitimus cultus Dei. Sed institutio voti adversatur primo, quia, dum docet opera, evacuat fidem. Bene, optime ad insipientiam ! Omne ergo opus bonum evacuat fidem, adversatur fidei ? O monstrum, o portentum in exteras terras deportandum ! Adversatur secundo, quia, abiecto Dei nomine, suum erigunt; non enim christiani aut filii Dei, sed Augustiniani, Benedictini, Franciscani, Dominicani dicuntur. Optimum argumentum ! Dicuntur Augustiniani, Benedictini ; ergo abiiciunt nomen Dei, non sunt christiani, nec filii Dei ; ergo iam Baptismus et fides veluti naufragio perierunt ; ergo non assumunt, nec invocant nomen Dei. O insaniam dignis fustibus castigandam !

Ex eo quod Christus solus

Sed audiendum est hic aliud Lutheri argumentum. Ait enim : [76] « Cum solus Christus ascendat in coelum, qui et descendit

68) 12, 8. 69) W. L. t. 2, f. 297ª. 70) Ibid. f. 297ᵇ. 71) Rom 6, 22. 72) Cf. ibid. vr. 18. 73) W. L. t. 2, f. 302ª. 74) Is 66, 8. 75) W. L. 2, f. 302ᵇ. 76) Ibid.

In coelum ascendit, concludit quod nullus religiosus in coelum ascendere potest!

et est in coelis, impossibile est ut Benedictinus, Augustinianus, Franciscanus, Dominicanus, Carthusianus et sui similes in coelum ascendant ». At si ita licet argumentari, ergo neque Apostoli, neque Evangelistae, neque Prophetae et Patriarchae ascenderunt cum Christo in coelum, quia solus Christus.

Paralogizat etiam, dum vota caritati

VII. Non minus putido sophismate paralogizat in eodem libro Lutherus, [77] dum probat vota monastica adversari caritati, quia iuxta Paulum omnia, quae fiunt sine caritate, nihil sunt. [78] At vota monastica sunt contra caritatem proximi et obedientiam parentum. At qui ita vivit, ut Paulus ait, *fidem negavit et est infideli deterior.* [79] Apostoli ergo, qui, ut Christum sequerentur, reliquerunt parentes, patrem matremque, ut Iacobus et Ioannes, [80] contra caritatem fecerunt. Et Christus, cum ait : *Omnis qui reliquerit... patrem et matrem... propter nomen meum, centuplum accipiet,* [81] itemque : Qui *non odit patrem suum et matrem* suam propter me, *non est me dignus,* [82] contra caritatem monuit. O Lutheri caecum pectus, o mentem cimmeriis, ut aiunt, tenebris atriorem ! [83]

et rationi adversari asserit.

Tandem in eodem libro Lutherus [84] falso ostendit vota monastica adversari rationi propter impossibilitatem. Statuit enim servatu esse impossibilia vota sicut et praecepta Dei, et multo magis. Maxime vero impossibilem existimat caelibatum propter concupiscentiam carnis. Hinc illae lacrimae ! Hoc quam maxime Lutherum urebat propter suam Borram, quam impiis et sacrilegis nuptiis sacrilegus homo constupraratt. Statuit [85] itaque hanc propositionem, quod votum, licet per omnia pium et rectum, si impossibile factum fuerit, desinit esse votum. Esto ; quid inde ? Sed caelibatus urgente tentatione est impossibilis. [86] Falsissimum est ; nam *qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ;* [87] et *Deus fidelis est,* ait Paulus, *qui non patitur vos tentari supra id quod potestis ; sed facit cum tentatione etiam proventum,* [88] deditque contra carnis tentationem praesentia, optima efficacissimaque remedia, ieiu-

77) Ibid. f. 304b. 78) Cf. 1 Cor 13, 2-3. 79) 1 Tim 5, 8. 80) Cf. Mt 4, 21-22. 81) 19, 29. 82) Ibid. 10, 37; Lc 14, 26. 83) *Divinarum Institutionum*, lib. 5, cp. 3, (P. L. 6, 561). Quoad sensum huius proverbii, cf. lib. 1, sect. 1, *Dissert. 3*, not. 25 huius vol. 84) W. L. t. 2, f. 307a. 85) Ibid. f. 307b. 86) Ibid. 87) Gal 5, 24. 88) 1 Cor 10, 13. Vulg.: *Fidelis autem Deus est..., patietur..., sed faciet*, etc.

nium et orationem [89] ex fide, cui nihil est impossibile, nam *omnia possibilia sunt credenti,* [90] ut Salvator ait. Sic nonnisi putidissima sophismata affert Lutherus ad sua placita, falsitatis et impietatis plenissima, comprobanda.

VIII. In libro autem, quem scripsit *Adversus Falso Nominatum Ordinem Episcoporum,* recitatis duabus Pauli sententiis *ad Timotheum* [91] et *Titum* [92] de Episcopis, examinat, [93] novus mundi censor et criticus homo, vitam Episcoporum in universum, et recensitis abusibus, quos invidiosissime et calumniosissime exaggerat atque exagitat, [94] concludit satanico plane phalarismo abolendos ac de medio tollendos esse omnes Episcopos. [95] Sed unde novit Lutherus, malorum omnium pessimus et nequissimus homo, omnes Episcopos esse malos? Annon *Spiritus Sanctus posuit* ponitque *Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo?* [96]

Ineptum argumentum conficit, cum ex abusibus exaggeratis omnes Episcopos exterminandos dicit, perperam adducens textus Pauli

Et esto quod omnes essent mali, quales erant scribae et Pharisaei tempore Christi; [97] quo, quaeso, spiritu ducitur Lutherus? Christus de malis illis ait: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Quaecumque ergo dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere;* [98] et Petrus: *Obedite... praepositis* vestris; *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis;* [99] Lutherus autem in eo libro ita bulla in Episcopos edita eos fulminat, [100] ut asserat quod quicumque rem, honorem, sanguinem, vitam impendunt contra Episcopos, ut penitus exterminentur, hi sunt filii Dei et veri christiani; qui vero eis obediunt, hi sunt ministri satanae. Quam contrarius est Lutheri spiritus spiritui Christi, quam diabolus Deo!

Postea, adducta Petri sententia de Episcopis: *Seniores..., qui sunt inter vos,* [101] etc., iterum ex abusibus invehitur in Episcopos, in quos mille modis conviciatur et sycophantatur. [102] Sed si propter abusum Episcoporum abolendus episcopatus omnis est; cur, cur Lu-

et Petri.

89) Cf. Mt 17, 20. 90) Mc 9, 22. 91) Cf. 1 Tim 3, 1-7. 92) Cf. 1, 1-9. 93) W. L. t. 2, f. 332b. 94) Ibid. f. 333 sqq. 95) Ibid. f. 342a. 96) Act 20, 28. 97) Cf. Mt 23, 13-29; Lc 11, 42-52. 98) Mt 25, 2-3. Vulg.: *Omnia ergo quaecumque..., opera vero eorum,* etc. 99) 1 Petr 2, 18. Vulg.: *Subditi estote... dominis.* 100) W. L. t. 2, f. 342a. 101) 1 Petr 5, 1. Vulg.: *Seniores ergo, qui in vobis sunt.* 102) W. L. t. 2, f. 345 sqq.; *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 9,* pag. 300-301.

therus, tam acer inimicus abusuum omnium, non interdixit Germanis suis potu vini atque cerevisiae propter infinitum abusum foedissimae ebrietatis? Cur non etiam saecularium vitia insectatus fuit? Semper in Episcopos, sacerdotes et monachos furens invehitur. Lupus vorax pastores odit et canes ad ovium custodiam tutelamque deputatos.[103]

Idem facit, asserens Pontificem in votis dispensare non posse, quia claves super peccata tantum valent.

IX. In libro *De Captivitate Babylonica*, capite *De Baptismo*, impugnatis votis monasticis ait[104] errorem esse Romani Pontificis, quod dispensat in votis, quoniam votum est indispensabile, et optima ratione probat: « Si, inquit, votum dispensari potest, quilibet frater cum proximo, et ipse secum dispensare potest ». Insignis plane consecutio, sed Luthero digna! « Sin autem dispensare proximus non potest, nullo iure Papa potest. Unde enim habet auctoritatem? Ex clavibus? At hae omnibus communes sunt, et super peccata dumtaxat valent ». Annon sunt haec phalarica spicula?[105] O insaniam! Si ligata ovis solvi posset, quaelibet ovis seipsam etiam solvere et illam posset. At non potest ovis solvere; ergo nec pastor. Annon esset haec praestantissima argumentatio?

Ex verbis Pauli: *Et nos*, etc. inepte concludit impiam esse doctrinam, quae docet ad iustificationem necessariam esse caritatem.

In *Epistola ad Galatas, capite secundo*, ad illud:[106] *Et nos in Iesum Christum credimus, ut iustificemur*, ait[107] impiam esse et pestilentem glossam sophistarum, qua aiunt fidem non iustificare nisi accesserit caritas, quia tum statim homo a fide deficit. Ubi sic argumentatur: « Si fides sine caritate non iustificat, ergo fides est otiosa et inutilis, et sola caritas iustificat, quia nisi fides sit formata et ornata caritate, nihil est ». Quasi vero ad formam non requiratur necessaria dispositio.

103) Ms.: *Deputati*. 104) W. L. t. 2, f. 82b. 105) Erat missile telum, cuius bastile, sulphure, resina, bitumine et stuppa linita oleo circumvolvebatur, atque, accenso igne, magno iaciebatur impetu in hostium agmina. Cf. Forcell. *Lexicon Tot. Latin.* sub voce *phalarica*.
106) Vr. 16. Vulg.: *In Christum Iesum*. 107) W. L. t. 5, f. 309.

DISSERTATIO SEPTIMA

DE FALSIS ARGUMENTIS LUTHERI [1]

I. Cum omnis doctrina sana, maxime quae ad fidem pietatemque et salutarem scientiam spectat, requirat praeter puram sinceramque veritatem, ut optimo ordine, distincte clareque tradatur, solidisque fundamentis nixa firmis verisque argumentis muniatur; Lutheri doctrina ab hac sanae doctrinae norma longissime abest, nullo enim servato ordine, indistincta, confusa, obscura, nullo solido fundamento nixa aut firmo argumento munita reperitur.

Omnis doctrina requirit veritatem, ordinem, firma argumenta, quibus caret doctrina Lutheri.

Solet Lutherus plerumque ac fere semper novi sui evangelii dogmata argumentis firmare vel ab auctoritate, vel a ratione, vel ab utraque sumptis; sed quam firmis, quam solidis ipse viderit. Ubique semper verbosissimus est, utinam non inanissimus, non mendacissimus, non falsissimus et una iniuriosissimus blasphemissimusque.

Lutherus solet doctrinam firmare auctoritate, ratione, vel utraque; at non recte.

Nunc autem argumenta videnda sunt. Statuimus autem videre argumenta ipsius, quibus articulos a Leone X damnatos asseruit, de quibus ita loquitur in suo scripto *Adversus Execrabilem Bullam Antichristi:* « Assero, inquit, [2] et amplector fiducia tota spiritus mei articulos per bullam damnatos, asserendosque pronuncio omnibus christianis sub poena aeternae maledictionis et antichristos habendos quicumque bullae consenserint, quos et his scriptis, coniuncto mihi omnium spiritu, qui Christum pure cognoscunt et colunt, pro ethnicis habeo, et devito secundum praeceptum Domini nostri Iesu Christi ». Et ad calcem eiusdem scripti ait: [3] « Melius est me millies occidi, quam unam syllabam damnatorum articulorum revocare ». Magnum assertum! Sed videamus argumenta, quibus articulos praesertim insigniores confirmat.

Videamus argumenta, quibus articulos a Leone X damnatos defendit.

Primus articulus est: [4] « Haeretica est, sed usitata sententia sacramenta Novae Legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem ».

Articulus 1: Haeretica est sententia

1) Cod. 2, f. 266a-271b. Haec *Dissertatio* a nobis inscripta fuit.
2) W. L. t. 2, f. 94a.
3) Ibid. f. 98b.
4) Ibid. f. 101b.

sacramenta N. L. dare gratiam non ponentibus obicem, inscite probatur a Luthero ex Scriptura;

In *Assertione* autem *Articulorum* probat articulum istum auctoritate Scripturae et ratione. Auctoritate quidem multiplici, primo quia *Romanis,* [5] *Habacuc* [6] et *Hebraeis* [7] dicitur: *Iustus... ex fide vivet.* « Non dicitur iustus ex sacramentis vivet ». Secundo M a r c u s : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* [8] « etiam si baptizaretur, neque enim Baptismus salvat, sed fides Baptismi ». Tertio *Romanis: Corde... creditur ad iustitiam,* [9] « non dicit corpore sacramenta suscipiuntur ad iustitiam ». Quarto *Romanis* [10] et *Genesi:* [11] *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.*

ex verbis: *Iustus ex fide vivit,* quia ibi non fit mentio de sacramentis. Sed hoc est deliramentum.

His auctoritatibus probat asseritque L u t h e r u s primum istum articulum, nempe haereticam esse sententiam, quod sacramenta Novae Legis conferunt gratiam; quia Scriptura dicit: *Iustus... ex fide vivit,* nec meminit sacramentorum. At vero nec Christi, nec Dei, aut Spiritus Sancti ibi meminit; igitur haereticum erit dicere, quod Christus, quod Deus, quod Spiritus Sanctus dat gratiam, quia in illa sententia non fit mentio Dei, Christi, Spiritus Sancti! Est ne istud argumentum, an potius deliramentum?

Idem dicendum de secundo textu allato: *Qui crediderit,* etc.

Et ex secunda auctoritate quomodo sequitur, quod vult L u t h e r u s ? Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* ergo haeretica est sententia dicere, quod sacramenta conferunt gratiam. Unde ista collectio et consecutio? « Quia, inquit, non salvat Baptismus, sed fides Baptismi ». At vero D. P e t r u s prima epistola dicit: *Quod... vos... similis formae salvos facit Baptisma.* [12] Et P a u l u s *ad Titum* ait, quod *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;* [13] et *ad Ephesios: Christus dilexit Ecclesiam... mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* [14]

Unde ergo habet L u t h e r u s , quod Baptismus non salvat? Non salvat sine fide, bene; sed quid inde? Cibus sine anima non nutrit hominem; ergo cibus sumptus non nutrit hominem? Sed num etiam fides sine Baptismo salvabit? Sit catechumenus optime instructus, credat de Christo quaecumque credenda sunt, contemnat autem Baptismum renuatque baptizari; num propter solam fidem salvus erit absque Baptismo? *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;*

5) 1, 17. 6) 2, 4. 7) 10, 38. 8) 16, 16. 9) 10, 10. 10) 4, 3. Vulg.: *Illi,* loco: *Et.* 11) 15, 6. 12) 3, 21. 13) 3, 5. 14) 5, 25-26.

num haeretica dicenda aut censenda sententia est, quod fides salvat, quia sine Baptismo non salvat? Quare ergo haeretica censenda sententia est dicere, quod Baptismus salvat, quia sine fide non salvat? Scriptura manifeste dicit, quod *Baptisma salvos nos facit,* et cum Paulus credidisset in Christum, statim vocatus a Christo, cum ait: *Domine, quid me vis facere?* [15] tamen audivit ab Anania: *Baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.* [16]

Ex tertia autem sententia: *Corde... creditur ad iustitiam,* Lutherus novum elicit non argumentum, sed deliramentum, quia « non dicit corpore sacramenta suscipiuntur ad iustitiam ». Et ex quarta sententia: *Credidit Abraham Deo,* similiter. Num quia nullius hic sacramenti facta est mentio, propterea nullum est in Ecclesia Christi sacramentum? Aut quia nec passionis Christi meminit, propterea absque meritis passionis Christi iustificari possumus et salvari?

Idem de tertio: *Corde creditur,* etc. et de quarto: *Credidit Abraham,* etc.;

Ex hisce plane auctoritatibus Lutherus nil minus probare poterat hominem non esse rationalem, aut ad imaginem Dei conditum, [16a] quia huius rei nulla fit in eis mentio, quam sacramenta non conferre gratiam. Et tamen ex his auctoritatibus condit Lutherus novum fidei articulum, ut, qui primum istum articulum ipsius non credit, habendus sit tanquam *ethnicus et publicanus,* [17] imo antichristus.

nam eodem iure argui posset hominem non esse rationalem, quia nulla de hoc fit mentio.

II. Verum non sola Scripturae auctoritate asserit articulum istum Lutherus, sed etiam ratione. Age, videamus rationem; audiamus ipsum ratiocinantem et quam bellissime disputaturientem; nervosissime enim argumentatur, optimus enim fuit, si superis placet, dialecticus, logicen optime calluit. Ait igitur ratione sic: [18] « Quia in omni sacramento est verbum promissionis divinae, quod affirmative promittit et exhibet gratiam Dei ei, qui suscipit sacramentum. Ubicumque autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis, ne Deum faciat mendacem sua incredulitate. Quare in sacramentis suscipiendis necessaria est fides suscipientis ».

Ratio adducta, quod in omni sacramento est verbum promissionis, quod fidem exigit, non est concludens;

Sed unde sciam, Luthere, quod in omni sacramento est verbum

nec rationes

15) Act 9, 6. 16) Ibid. vr. 16. 16a) Cf. Gn 1, 26. 17) Mt 18, 17.
18) W. L. t. 2, f. 101b.

ex auctoritate allatae assumptum probant.

promissionis divinae? Probat inductione et auctoritate. Inductione quidem de Baptismo: « Quia, inquit,[19] Baptismus datur in verbo istius promissionis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sic in sacramento Poenitentiae datur absolutio in verbo istius promissionis: *Quodcumque ligaveris super terram.*[20] Sic in sacramento Panis datur Corpus Christi in verbo istius promissionis: *Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur* ».[21] Ab auctoritate autem,[22] quia Augustinus *super Ioannem* ait:[23] « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum ».

Argumentum forma syllogistica caret,

His autem praesuppositis, ita argumentatur Lutherus:[24] « Haeretica sententia est, quaecumque contraria est apostolicae et catholicae sententiae. At talis est eorum, qui dicunt sacramenta Novae Legis dare gratiam his, qui non ponunt obicem, quorum auctor est Scotus ». Neglexit Lutherus formam syllogisticam, et est ipsi solemne. Agit sicut sepia, effundens atramentum, *involvitque sententias sermonibus imperitis.*[25]

et praesupositum falsum est, quia nullibi probatur verbum promissionis;

III. Sed condonemus Luthero, si quid in dialecticam peccat, modo non peccet contra veritatem. Condonemus etiam praesuppositi falsitatem, quod « in omni sacramento sit verbum promissionis divinae ». Augustinus enim non loquitur de verbo promissionis, sed consecrationis et benedictionis potius divinae; et quando Dominus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit,* non loquitur de substantia sive essentia sacramenti, sed de effectu et fine. Nec, cum baptizatur homo, afferuntur illa verba, sed: « Ego te baptizo *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ».[26] Hoc est verbum, de quo Augustinus ait, quod « accedit verbum ad elementum et fit sacramentum ». Neque in sacramento Poenitentiae usurpantur illa verba: *Quodcumque alligaveris,* quibus promissa fuit auctoritas sacerdotibus; sed illa: « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ».[27] Et in verbis consecrationis nulla prorsus est promissio. Sed demus, inquam, Luthero hanc veniam; tantum exigimus, ut ostendat quomodo sententia, quae asserit sacramenta Novae

imo in conferendis sacramentis non adhibentur verba a Luthero allata.

19) Ibid. 20) Mt 18, 18. Vulg.: *Quaecumque alligaveritis,* etc. 21) 1 Cor 11, 24. Vulg.: *Tradetur.* 22) W. L. t. 2, f. 102ᵃ. 23) *Tract. 80,* (P. L. 35, 1840). 24) W. L. t. 2, f. 102ᵃ. 25) Iob 38, 2. Vulg.: *Involvens.* 26) *Rituale Romanum,* pag. 25, Romae, typis Polyglottis Vaticanis 1925; Mt 28, 19. 27) Ibid. pag. 213.

Legis conferre gratiam non ponentibus obicem, contraria sit sententiae apostolicae atque catholicae.

Dum autem probare nititur Catholicorum sententiam esse haereticam,

Qua quidem in re Lutherus supra modum mirabilis est, adhibetque mirabilem probationem, quin etiam, si Christo placet, demonstrationem: « Quod probo, inquit,[28] sic, quia docent non modo non esse necessariam fidem, qua credas te accepturum id quod sacramentum promittit, sed quod sufficiat, ut non ponas obicem. Obicem autem vocant peccatum mortale vel propositum eiusdem, quale est homicidium, libido et similia; adeo ut satis sit suscepturo sacramentum, ut desinat peccare et propositum deponat, etiam si nullum bonum propositum formet. Quidam enim ex eis dicunt nec motum bonum cordis requiri. Haec omnia, quia supradictis contraria sunt, vere haeretica sunt. Incredulitatem vero pro nullo obice habent, scientes quod non est in potestate nostra ponere incredulitatem, sed solius Dei, qui infundit solus fidem ».

mendacia profert, faciens Scotum auctorem huius sententiae, quae communis est,

IV. Sic plane Lutherus dialecticatur, ne dicam, quod verum est, sycophantatur. Adducit enim non argumenta vera, sed mera mendacia, dum Scotum facit[29] auctorem huius sententiae, quam facit haereticam. Quae tamen non solum communis omnium theologorum est, verum etiam Innocentii III, qui Scoto longa aetate superior fuit, capite *Maiores, De Baptismo et eius Effectus*,[30] quin videtur esse D. Augustini, epistola *ad Bonifacium*,[31] ubi docet parvulum baptizatum, licet actu non credat, habere tamen fidei sacramentum, quia ei obicem contrariae cogitationis non opponit. Mentitur etiam, dum ait, quod non requiramus in sacramentis fidem, cum sciamus, quod accedentem ad Deum oportet credere, et quod *sine fide... impossibile est placere Deo*,[32] estque communis theologorum doctrina, quod in adultis requiritur maxime in suscipiendo Baptismo actualis fides. Quod docet Magister Sententiarum,[33] et D. Thomas[34] et in Iure Canonico *De Consecratione* per multos canones [docetur].[35] Mentitur etiam, dum ait, quod incredulitatem

asserens Catholicos non requirere fidem in sacramentis,

nec obicem habere

28) W. L. t. 2, f. 102ª. 29) Ibid. 30) Denzinger n. 410-411. 31) Epist. 98, (P. L. 33, 364). 32) Hebr 11, 6. 33) Lib. 4, *Distinct. 4*, (P. L. 192, 846-847). 34) Part. 3, *Quaest. 68*, art. 5, vol. 2, pag. 134-135, Patavii 1722. 35) *De Consecratione, Distinct. 4*, pag. 1835-1838. 1865. 1872. 1883-1891, Venetiis, apud Iuntas 1595.

incredulitatem,

non habemus pro obice, quod falsissimum est, cum apud Catholicos infidelitas et incredulitas sit unum ex maximis peccatis. [36]

nec bonum cordis motum admittere.

Sed ludit Lutherus in verbo, ut lectorem eludat et illudat, dum incredulitatem dicit non credere, hoc est, non suscepisse a Deo donum fidei. Incredulitas enim apud Catholicos est non quidem non credere, quod fidei privatio est, sed nolle credere, quod contrarium fidei est. Mentitur, dum ait, quod non requirimus bonum motum cordis. Et, quia Scotum adducit falso Lutherus, audiat Scotum libro quarto *Sententiarum* ita loquentem: [37] « Quia, inquit, nolentem Deus non iustificat secundum illud Augustini: Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te; [38] iste, qui actualiter habet obicem contra gratiam, puta infidelitatem vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit, et nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam ». Quam manifeste Scotus Lutherum mendacii arguit, dum infidelitatem ponit obicem, et bonum motum cordis requirit, ut peccatum displiceat!

Scotus aperte ponit incredulitatem ut obicem, et requirit bonum cordis motum.

Sed argumenta Lutheri nituntur falso supposito de speciali fiducia Dei.

Nunc, ut concludam, quomodo probat Lutherus Catholicorum sententiam, quod « sacramenta Novae Legis conferant gratiam iis, qui non ponunt obicem », esse haereticam uti contrariam sententiae apostolicae? Quia, inquit, docent fidem non esse necessariam. Probat optime impudentissimo mendacio falsoque supposito de speciali fide, hoc est, fiducia promissionum Dei, quae non fides catholica est, sed fictio lutherica.

Eius doctrina est contra doctrinam Augustini et Petri.

Dicam autem hic unum sane mirabile. Contendit Lutherus haereticam esse sententiam, quod conferant gratiam sacramenta, citatque Augustinum dicentem, quod « accedit verbum ad elementum et fit sacramentum »; nec tamen audit Augustinum eodem in loco dicentem: [39] « Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? » Adducitque ibi Augustinus Petri sententiam, qua ait: *Sic nos similis formae Baptisma salvos facit.* [40] Cur non etiam Augustinum, imo Petrum ipsum Lutherus, omnium haereticissimus, fecit haereticum? Augustinus enim

36) S. Hieronymus epist. 65, (P. L. 22, 634); D. Augustinus *Contra Duas Epist. Pelagiani*, lib. 3, cp. 3, ibid. 44, 589; S. Thomas *2a 2ae*, *Quaest. 10*, art. 3, vol. 1, pag. 104-105, ed. cit.; *Quaest. 39*, art. 2, ibid. pag. 421; *Quaest. 80*, art. 5, vol. 2, pag. 328.

37) *Distinct. 4*, *Quaest. 5*, f. 21a, Venetiis 1597.

38) *Sermo 169*, cp. 11, (P. L. 38, 923).

39) *Tract. 80 in Ioannem*, ibid. 35, 1840.

40) 1 Petr 3, 21. Vulg.: *Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma.*

manifeste dicit, quod aqua Baptismi cor abluit, et Petrus quod nos salvat.

V. Sed forte in sequentibus Lutherus meliori fortuna post debile principium meliora dabit; videamus quomodo asserat secundum articulum. Est autem:[41] « In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum est Paulum et Christum simul conculcare ». Tremendum fulmen continent verba ista Lutheri. Videamus probationes, quomodo « negare peccatum remanens post Baptismum sit Paulum simul et Christum conculcare ». Probat primo auctoritate Pauli *Romanis: Concupiscentiam nesciebam* esse peccatum, *nisi lex diceret: Non concupisces.*[42] Hic sine dubio claret concupiscentiam esse peccatum. At quis est, inquit,[43] hominum, qui concupiscentiam non sentit? »

2 articulus: In puero post Baptismum manere peccatum, probatur a Luthero multis auctoritatibus Scripturae,

Praeterea sententia Pauli *ad Galatas: Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus;*[44] et: *Caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.*[45] Et iterum Paulus *Romanis: Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore;*[46] et: *Condelector... legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati;*[47] et iterum: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*[48]

Statuit autem Lutherus Paulum toto hoc capite loqui in persona sua propria, non, ut multi interpretantur,[49] in persona hominis peccatoris, adducitque[50] pro se hac in re Augustinum,[51]

quae ad rem evincendam nihil faciunt,

41) W. L. t. 2, f. 102ᵃ. 42) 7, 7. 43) W. L. t. 2, f. 102ᵇ. 44) 5, 25. 45) Ibid. vr. 17. 46) 6, 12. Vulg.: *In vestro mortali corpore.* Post coniunctionem: *Et*, Auctor repetit: *Romanis.* 47) 7, 22-23. Vulg.: *In lege*, loco: *Sub lege.* 48) Ibid. vr. 25.

49) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 3, cp. 20, (P. G. 7, 944); Origenes *Comment. in Epist ad Rom.* lib. 6, ibid. 14, 1084-1086; S. Basilius *Regulae Brevius Tractatae, Interrog. 16*, ibid. 31, 1094; S. Io. Chrysostomus *Hom. 13 in Epist. ad Rom.* ibid. 60, 507; Theodoretus *Interpret. Epist. ad Rom.* ibid. 82, 122; Oecumenius *Comment. in Epist. ad Rom.* ibid. 124, 427; Tertullianus *De Pudicitia*, cp. 17, (P. L. 2, 1013 sqq.); S. Ambrosius *De Abraham*, lib. 2, cp. 6, ibid. 14, 468; *De Isaac et Anima*, cp. 2, ibid. col. 504; *De Iacob et Vita Beata*, lib. 1, cp. 4, ibid. col. 604-605; Ambrosiaster *Comment. in Epist. ad Rom.* ibid. 17, 110-111; S. Hieronymus epist. 121, cp. 8, ibid. 22, 1026; N. Lyranus *Glossa Ordinaria in Epist. ad Rom.* t. 6, pag. 17, Venetiis 1588. Fr. Prat S. I. de hac interpretatione ait: « Tale era l' opinione comune dei Padri prima di S. Agostino, tale è di nuovo l' opinione comune degli interpreti ». Cf. *La Teologia di S. Paolo*, part. 1, lib. 3, cp. 2, pag. 220. Pag. autem 218-219 invenitur criticum examen circa contrariam expositorum, praecipue D. Augustini, sententiam. 50) W. L. t. 2, f. 98ᵇ. Attendat lector ad errorem in enumeratione foliorum. 51) S. Augustinus communiorem sententiam, supra allatam, propugnat

multasque alias Divinae Scripturae auctoritates his similes consarcinat Lutherus [52] ad probandum, quod in articulo asseruit. Sed in nulla adductarum auctoritatum dicitur, quod in articulo continetur, nempe quod « negare peccatum in homine post Baptismum est Paulum simul et Christum conculcare »; in nulla fit vel minima Baptismi mentio. Quomodo ergo probat suum placitum erroneumque figmentum Lutherus ?

ut diserte ostenderunt Roffensis et Bellarminus.

Non est autem animus omnes auctoritates, quas Lutherus adducit, ad exactam libellam examinare ; hoc enim egregie praestitum est a Roffensi Episcopo [53] et Bellarmino Cardinali [54] aliisque. [55]

Mirandum vero, quod Lutherus utatur Augustino contra Augustinum.

Sed mirabile est, quod Lutherus Augustino utitur contra Augustinum ; is enim semper constantissime docuit per Baptismum deleri omne peccatum et post Baptismum in homine nullum remanere peccatum, [56] Paulique auctoritates *Romanis*, a Luthero adductas, exponit non de peccato proprie dicto, sed de concupiscentia et fomite peccati, quae dicitur peccatum per metonymiam, quia effectus primi peccati, sicut scriptura dicitur manus, et sermo lingua appellatur. [57]

Et tamen exigit verba Dei proprio sensu interpretari, dum ipse contrarium agit.

VI. Sed vociferatur Lutherus, dicens, [58] quod « non licet ulli Angelorum, nedum ipsis hominibus, verba Dei proprio suo sensu interpretari »; quasi vero ipse, haereticorum more, non sit innumera proprio suo sensu interpretatus, etiam hoc eodem loco, dum ait remissionem peccatorum, quae secundum fidem catholicam tribuitur Baptismo, intelligendam quantum ad reatum, non quantum ad actum, manereque actu peccata, sed non imputari, [59] aut quasi

in *Exposit. Quarundam Propositionum ex Epist. ad Rom. Proposit. 41*, (P. L. 35, 2071); in *Comment. ad Gal.* ibid. col. 2139; *De Diversis Quaestionibus, Quaest. 66*, ibid. 40, 60 sqq.; *De Diversis Quaestionibus ad Simplicianum, Quaest. 2*, ibid. col. 116-117. Cum autem contra Pelagianos contendere coepisset, opinionem mutavit, quin tamen alteram sententiam damnaret. Cf. *Retractationum*, lib. 1, cp. 23-24. 26, ibid. 32, 620-629; *Contra Duas Epist. Pelagianorum*, lib. 1, cp. 8, ibid. 44, 556.

52) W. L. t. 2, f. 102ᵇ sqq.

53) *Assertionis Lutheranae Confutatio*, art. 2, f. 59ᵇ-90ᵃ, Antuerpiae, in aedibus Io. Stelsii 1545.

54) *De Controversiis Christianae Fidei*, t. 3, lib. 1 *De Sacramento Baptismi*, cp. 11, pag. 132 sqq.

55) St. Stapletonus *Antidota Evangelica contra Horum Temporum Haereses*, part. 1, pag. 297-305, Cl. Chappellet, Lugduni 1595.

56) Epist. 93, (P. L. 33, 364); epist. 217, cp. 2, ibid. col. 981-982; *Sermo 130*, ibid. 38, 751; *De Continentia*, cp. 7, ibid. 40, 360; *Contra Faustum Manichaeum*, lib. 12, cp. 15-17, ibid. 42, 263 sqq.; *De Peccatorum Meritis et Remissione*, lib. 1, cp. 17-18, ibid. 44, 121-122; cp. 28, ibid. col. 140; cp. 39, ibid. col. 150; lib. 3, cp. 3-4, ibid. col. 188-189; *Contra Duas Epistolas Pelagianorum*, lib. 4, cp. 4, ibid. col. 615.

57) *Contra Duas Epist. Pelagianorum*, lib. 1, cp. 13, ibid. 44, 562-563.

58) W. L. t. 2, f. 104ᵃ.

59) Ibid. f. 104ᵇ.

semper, cum in Scripturis peccatum legimus, intelligere debeamus proprie dictum peccatum,[60] cum tamen saepe in *Levitico hostia pro peccato* appelletur peccatum;[61] *Deuteronomio* vitulus aureus appellatur peccatum;[62] a Paulo Christus dictus fuit peccatum,[63] hoc est, sacrificium et hostia pro peccato; unde etiam apud Oseam legimus sacerdotes comedere peccata populorum.[64] Num peccata proprie dicta comedi possunt? Insanit igitur Lutherus, dum ita insane vociferatur.

Falsae interpretationi mendacia addit, non exacte referens verba Augustini.

Et tandem *Assertioni* istius *Articuli* coronidem ponit duplici mendacio longe splendido ex D. Augustino.[65] Alterum est, Augustinum, urgentibus Pelagianis, dixisse peccatum remitti quoad reatum, sed non quoad actum: « Seu, inquit, ut verbis ipsius Augustini utar, peccatum istud reatu transit, actu manet. Sicut enim, ut idem ait, aliquod peccatum transit actu et manet reatu, sicut est omne actuale; ita e contra hoc originale peccatum transit reatu et manet actu. Ecce non negat esse peccatum, nec dicit solum defectum aut poenam esse, sed peccatum actu et vere esse ». Sed apertum mendacium est; Augustinus enim non loquitur de peccato, sed de concupiscentia, quae non tollitur per Baptismum.[66]

Alterum mendacium est, quo ait:[67] « Concludamus ergo cum pulcherrimo verbo Augustini: Peccatum, inquit, remittitur in Baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur. Ecce est et remanet peccatum, sed non imputatur ». Et hoc apertum mendacium est; nam hic quoque Augustinus de concupiscentia apertissime loquitur, uti videre est libro primo *De Nuptiis et Concupiscentia;*[68] semperque Augustinus constantissime docuit[69] concupiscentiam in renatis non esse proprie peccatum, sed dici peccatum, vel quia est effectus peccati primi, sicut scriptura appellatur manus et sermo lingua, vel etiam quia est causa peccati, nam *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum;*[70] sicut frigus dicitur pigrum, quia facit hominem pigrum. Et libro primo *Contra duas Epistolas Pelagianorum* docet Augustinus[71] « Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere ». Quare Lu-

60) Ibid. 61) 6, 25-26. 62) Cf. 9, 21. 63) Cf. 2 Cor 5, 21. 64) Cf. 4, 8. 65) W. L. t. 2, f. 104ᵇ. 66) *De Nuptiis et Concupiscentia*, lib. 1, cp. 25, (P. L. 44, 430). 67) W. L. t. 2, f. 105ᵃ. 68) Cp. 25. 27, (P. L. 44, 429-431). 69) Lib. 1, cp. 23, ibid. col. 428. 70) Iac 1, 15. 71) Cp. 13, (P. L. 44, 562).

therus optime asseruit erroneum placitum; sed auctoritatibus Scripturae nil minus probantibus et apertis mendaciis, Augustini doctrinae manifestissime repugnantibus. Haec sunt bases et fundamenta, haec luthericae doctrinae praesidia!

Articulus 31: In omni opere bono iustus peccat, etc.

VII. Longum autem esset singulos articulos discutere; sed quia sequentes articulos usque ad 31 Lutherus in *Assertione Articuli 31* appellat [72] nugales, « in quibus nec pietas, nec eruditio doceri vel audiri potuit »; age, videamus articulum 31. Est autem articulus: [73] « In omni opere bono iustus peccat ». Videamus probationes. Probat autem auctoritatibus tum Sacrae Scripturae, tum Sanctorum Patrum.

probatur a Luthero ex Is.: *Facti sumus*, etc., ex Eccle: *Non est homo*, etc., ex Ps.: *Non intres*, etc., ex Paulo: *Mente servio*, etc.

Sciendum est autem apud Lutherum omne peccatum esse mortale; et in *Articuli* sequentis *Assertione* expresse dicit [74] « omne opus bonum optime factum esse mortale peccatum secundum iudicium Dei ». Probat autem assertum ex Scriptura; primo quia Isaias dixit: *Facti sumus immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae;* [75] secundum quia Salomon ait *Ecclesiaste: Non est... homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet;* [76] tertio quia in *Psalmo 143* dicitur: *Non intres in iudicio cum servo tuo,* Domine, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* [77] et tandem quarto quia, cum secundum Paulum iustus homo mente serviat *legi Dei, carne autem legi peccati,* [78] adeo ut persona iusti sit partim iusta, partim peccatrix; necesse quoque est, ut opus sit partim bonum et partim malum.

Sed textus non bene interpretantur: Isaias loquitur de peccatoribus;

Sed quaenam, quaeso, harum auctoritatum dicit, quod in omni opere bono iustus peccat? Num Isaias ait, quod *omnes iustitiae* hominum iustorum sunt sicut *pannus menstruatae?* Loquitur de immundis hominibus, de peccatoribus, quibus seipsum adiungit, quod Sancti Prophetae ex humilitate faciunt, sicut Ieremias, sanctificatus in utero matris, [79] ait: *Operiet nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra,* [80] et Daniel. [81] Et manifeste ibi Isaias peccata populi deplorat. Quomodo ergo dicit iustum in omni opere bono peccare?

72) W. L. t. 2, f. 115ᵃ. 73) Ibid. 74) Ibid. f. 116ᵃ. Ms. autem addit: *Quod*, sed evidenter expungendum est. 75) 64, 6. Vulg.: *Ut immundus..., universae iustitiae.* 76) 7, 21. 77) Vr. 2. *Ps 143*, ex hebraico, ut est in Luthero; in Vulg. autem *Ps. 142.* 78) Rom 7, 25. 79) Cf. Ier 1, 5. 80) Ibid. 3, 25. 81) 9, 7-8.

Salomon etiam ait quidem non reperiri hominem in terra iustum, *qui faciat bonum et non peccet*, hoc est, qui semper operetur bonum et nunquam peccet; nam, sicut alibi ait, *septies... in die cadit iustus et resurgit.* [82] Non dicit autem, quod in omni opere bono peccet, nam tunc etiam, cum resurgit, caderet. Et David non dicit iustum in omni opere bono peccare, sed non reperiri hominem, qui coram Deo reperiatur sine peccato, qui nunquam peccaverit, aut qui Dei comparatione sit iustus, cum nec Angeli mundi sint in comparatione Dei. [83] Quod autem tandem Lutherus dicit Paulum facere personam iusti partim bonam, partim peccatricem, figmentum est; cum ibi Paulus non loquatur de peccato proprie dicto, se de fomite peccati et concupiscentia, sicut supra ostendimus.

Salomon dicit non dari hominem, qui aliquando non peccet;

idem affirmat David;

Paulus vero loquitur de fomite peccati.

Quare articulus iste, cum sit falsissimus, nullum prorsus suffragium accipit a Scriptura, quin ei summopere refragatur, dum iustorum opera probat et laudibus effert, [84] ut patet de Noe, [85] de Iob, [86] de Moyse, [87] de David, [88] de parentibus Ioannis Baptistae [89] et de ipso etiam Ioanne Baptista. [90]

Scriptura Luthero refragatur, dum laudat iustorum opera.

VIII. Ad hoc ipsum assertum suum comprobandum Lutherus adducit [91] Gregorium *super Iob* dicentem, [92] quod omne meritum virtutis nostrae vitium est. Sed non dicit Gregorius, quod iustus in omni opere peccat, nec quod omne opus bonum optime factum sit peccatum veniale; sed quod omne meritum virtutis nostrae [vitium est]. Loquitur enim de homine, qui propriae virtutis suae meritis vult cum Deo contendere: *Vere*, inquit B. Iob, *scio quod... non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.*[93] Qui autem vere iustus est, non contendit cum Deo de iustitia, sciens quod non potest esse vera iustitia nisi ex dono et gratia Dei, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum,* [94] ita quod omne meritum virtutis nostrae, seclusa gratia Dei, vitium dici potest potius quam virtutis meritum coram Deo. Sed hoc quid commune habet cum vera iustitia?

Inepte etiam Lutherus adducit S. Gregorium

82) Prv 24, 16. Vulg.: *Resurget.* 83) Cf. Iob 4, 18. 84) Eccli 44, 1 sqq.; Hebr 11, 7 sqq. 85) Cf. Gn 6, 9. 86) 1, 1. 8; 2, 3. 87) Cf. Nm 12, 3. 88) Cf. 1 Rg 13, 14; 3 Rg 3, 6. 89) Cf. Lc 1, 6. 90) Cf. Mt 11, 7-11; Io 5, 35. 91) W. L. t. 2, f. 115b. 92) *Moralium*, lib. 9, cp. 2, (P. L. 75, 859). 93) 9, 2-3. Vulg.: *Et respondere.* 94) Iac 1, 17.

et S. Augustinum.

Adducit etiam[95] Augustinum libro nono *Confessionum*, dicentem:[96] « Vae hominum vitae quantumcumque laudabilis, si, remota misericordia, iudicetur! » Bene ait Augustinus; sed male inde Lutherus probat, quod « iustus in omni opere bono peccat ». Quod ne somniavit quidem Augustinus; sed, quia vix reperitur homo, qui totam vitam sine peccato traduxerit, propterea ait, quod vae erit homini vitae, licet laudatissimae, si, remota misericordia, sit iudicandus in tribunali divinae iustitiae, nam *qui offenderit... in unum, factus est omnium reus.*[97] Vides lector quam insulse Lutherus articulum istum suum asserat?

Pro articulo de libero arbitrio congeruntur a Luthero textus Scripturae,

IX. Unum adhuc addam articulum, qui est de libero arbitrio, quem Luthero ait[98] esse omnium optimum et rerum suarum summam. Est autem articulus:[99] « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et, dum facit quod in se est, mortaliter peccat ». Articulum autem istum Lutherus multis auctoritatibus Scripturae nititur probare. Sed, ne longiores simus, adducemus eas, quae Lutheri ipsius iudicio sunt efficaciores potentioresque.

qui nihil omnino probant,

Probat primo ex illo Ioannis: *Sine me nihil potestis facere;*[100] deinde ex illo *Genesis: Cuncta cogitatio cordis* humani *intenta esset ad malum omni tempore,*[101] ubi hebraice est: *Tantum ad malum;* et capite 8: *Sensus... et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*[102] Adducit et illud Ieremiae: *Scio, Domine,* quoniam *non est hominis via eius, nec viri est, ut... dirigat gressus suos.*[103] Ubi Lutherus:[104] « Quid, inquit, potuit apertius dici? » Tandem adducit illud Pauli *ad Ephesios: Eramus* et nos *natura filii irae sicut et ceteri.*[105] Ubi ait Lutherus:[106] « Vix breviorem et apertiorem potentioremque in Scripturis invenias sententiam adversus liberum arbitrium ».

cum evidenter sermo sit de hominibus, ad malum incli-

Sed per Deum, quaeso, lector, videas in quanam harum auctoritatum dicitur, quod asseritur in articulo, quod « liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et quod, dum facit quod in se est, peccat mortaliter! » Ubi vel nominatur liberum arbitrium? De

95) W. L. t. 2, f. 115. 96) Cp. 13, (P. L. 32, 778). 97) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicumque... offendat in uno*, etc. 98) W. L. t. 2, f. 119ᵇ. 99) Ibid. f. 117ᵃ. 100) 15, 5. 101) 6, 5. 102) Vr. 21. 103) 10, 23. 104) W. L. t. 2, f. 118ᵃ. 105) 2, 3. 106) W. L. t. 2, f. 119ᵃ.

hominibus loquitur Scriptura; num etiam homo post peccatum res est de solo titulo?

natis, non de libero arbitrio.

Non fuit autem veritus Lutherus a D. Augustino subsidium petere ad probandum non dari liberum arbitrium, cum tamen D. Augustinus integros libros hac de re scripserit[107] et pro haeretico habendum censuerit hominem, qui negat liberum arbitrium, libro *Hypognosticon.*[108] Adducit autem Lutherus[109] Augustinum, in libro *De Spiritu et Littera* dicentem: « Liberum arbitrium sine gratia non valet nisi ad peccandum ». Sed non adducit integram Augustini sententiam; ita enim ait:[110] « Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via ». Quod quidem verissimum est; si enim ignoratur veritatis via, quomodo potest quis per eam recte incedere? Lutherus autem, his resecatis rescissisque verbis ex Augustini sententia, nonnisi inique Augustinum adducit, et prorsus nihil probat. Neque enim Augustinus dicit, quod Lutherus in isto articulo somniat.

Ad comprobandum articulum Lutherus detruncatum affert textum Augustini.

Non est autem opus hic diutius immorari, nam in *Visitatione Saxonica* Lutherus palinodiam cecinit, mutataque sententia, liberum arbitrium docuit.[111] Sed pauca haec dicta sunt, ut liquido constet quam futilibus inanibusque et falsis argumentis Lutherus doctrinam suam munierit.

Patet igitur Lutherum falsis argumentis usum fuisse.

107) *Acta seu Disputatio contra Fortunatum Manichaeum,* (P. L. 42, 121); *De Actis cum Felice Manichaeo,* lib. 2, cp. 4-11, ibid. col. 538-543. 108) *Hypomnesticon,* vulgo: *Hypognosticon,* cp. 10, (P. L. 45, 1631). 109) W. L. t. 2, f. 117ᵇ. 110) Cp. 3, (P. L. 44, 203).
111) *Der Unterricht der Visitatoren,* cp. *Von Freyen Willen,* S. 31, herausg. von Hans Lietzmann, Bonn 1912.

DISSERTATIO OCTAVA

QUOD LUTHERUS ACTUS FUIT SPIRITU VERTIGINIS MAXIMAQUE LABORAVIT INCONSTANTIA ET INSTABILITATE IN TRADENDIS FIDEI DOGMATIBUS

[SEU]

DE ANTILOGIIS M. LUTHERI [1]

Petrus ait haereticos esse *instabiles*.

I. Appellatur in Sacris Litteris daemon *spiritus vertiginis ;* [2] unde inter quamplurimas haereticorum notas D. P e t r u s statuit, quod *instabiles animas pelliciunt,* sive *inescant,* [3] et quod ipsi indocti et instabiles sunt ; ait enim quod, cum in epistolis P a u l i sint *quaedam difficilia intellectu,* ea homines *indocti et instabiles depravant,* sive *detorquent, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* [4]

Paulus haereses comparat vento.

P a u l u s a p o s t o l u s , *ad Ephesios* scribens, doctrinam haereticorum comparat vento, qui et natura sua instabilis est, et magnae causa est instabilitatis in mari : *Ut iam,* inquit, *non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* [5] Et alibi haereses appellavit doctrinas varias et peregrinas ; scribens enim *ad Hebraeos : Doctrinis,* inquit, *variis et peregrinis nolite abduci ; optimum est enim gratia stabiliri cor.* [6] Sunt nanque haeretici secundum spiritum de stirpe Cain, [7] qui a Deo maledictus egressus fuit *vagus et profugus a facie Domini,* [8] semper instabilis. T e r t u l l i a n u s libro *De Praescriptionibus* ait, [9] quod haeretici « in regulis suis inter se variant et unusquisque de suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei ».

Tertullianus dicit haereticos semper in regulis variare.

Ab hac haereticorum

Ab ista autem haereticorum inconstantia et levitate in tradenda fidei doctrina P a u l u s , *ad Corinthios* scribens, primo immunem

1) Cod. 2, f. 175ᵃ-182ᵇ. Uterque titulus ponitur ab Auctore. 2) 3 Rg 22, 22; Is 19, 14. 3) 2 Petr 2, 14. Vulg.: *Pellicientes animas.* 4) Ibid. 3, 16. 5) 4, 14. 6) 13, 9, ex graeco; Vulg.: *Stabilire cor.* 7) Cf. Iud 11. 8) Gn 4, 14-16. 9) *Praescript. 9,* cp. 42, (P. L. 2, 58).

se facit, dicens: *Cum... hoc voluissem, nunquid levitate usus sum? Aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non. Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit;* [10] hoc est, in nostra Evangelii praedicatione nulla unquam fuit doctrinae varietas, nulla inconstantia, ut prius affirmata negaremus, aut affirmaremus negata circa fidei et pietatis dogmata, in ea, *quae secundum pietatem est, doctrina,* [11] semper unum idemque docuimus. Veritas enim una est, falsitates multae, sicut in corpore humano una sanitas, infirmitates multae. Ita fides semper una: *Unus* enim *Dominus, una fides, unum Baptisma; unus Deus et Pater omnium;* [12] haereses autem innumerae, errores seductorum sine fine. Laudavit Dominus Ioannem Baptistam constantiae, quod non esset sicut arundo vento agitata, [13] et Deus Ieremiam constituit *murum aeneum et columnam ferream.* [14]

instabilitate immunem se facit Paulus;

Dominus autem laudavit Io. Baptistae constantiam,

Haereticus autem, qui divina hac firmitate caret, homo est instabilis, sicut I a c o b u s a p o s t o l u s ait, quod, qui haesitat in fide, *vir* est *duplex animo, inconstans in omnibus viis suis,* [15] *similis... fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* [16] S. A t h a n a s i u s [17] libro, quo recenset *Nicaenae Synodi Decreta* contra arianam haeresim, haereticos Arianos, quos Eusebianos dicit, homines esse ait tales, quales D. I a c o b u s *duplices corde et instabiles in omnibus viis suis* appellat, nunquam unam eandemque sententiam sequuntur; sed alias aliam faventes dictaque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur, ut quod iam probarint, e vestigio damnent. Subiungitque, dicens: [18] « Hi sunt, ut P a s t o r dixit, [19] progenies diaboli, qui speciem potius cauponum quam magistrorum prae se ferant. Est enim ibi, ut Patres tradiderunt, verae disciplinae et magisterii argumentum, ubi eadem confitentur, nec a se invicem, nec a maioribus dissentiunt; qui autem hoc animo non sunt, mali potius quam veri praeceptores appellari debent ».

qua haeretici carent, ut scribit Iacobus,

et Athanasius de Arianis testatur.

10) 2 Cor 1, 17-19. 11) 1 Tim 6, 3. Vulg.: *Doctrinae.* 12) Eph 4, 5-6. 13) Cf. Lc 7, 24. 14) 1, 18. Vulg.: *Columnam ferream et in murum aereum.* 15) 1, 8. Vulg.: *Inconstans est,* etc. 16) Ibid. vr. 6. 17) *Epist. De Decretis Nicaenae Synodi,* (P. G. 25, 430). 18) Ibid. 19) S. Hermas Pastor, lib. 2, *Mandatum 9,* ibid. 2, 938.

Haeretici sunt velut nautae huc illuc navigantes,

II. Sunt autem haeretici sicut nautae, qui certum iter in portum minime collimantes, saepe navigant velis in contrarium versis, ut nunc quidem hoc, nunc illo atque contrario vento ducantur, et tandem vel in syrtes vel in scopulos navim illidentes, miserabili naufragio pereunt. Sunt autem *instabiles*, quia revera *indocti*, veritatis cognitionem minime sunt assecuti; sed, ut Paulus ait, *semper discentes, ad veritatis cognitionem nunquam perveniunt.* [20] Veluti philosophi sceptici, [21] sunt semper in inquisitione: «Cum autem, inquit Tertullianus *De Praescriptionibus*, [22] quaerunt adhuc, nondum tenent; cum autem non tenent, nondum crediderunt». Unde infert, quod nec christiani sunt.

et velut sceptici semper inquirentes;

similes arundini vento agitatae;

Cum itaque haeretici non habeant firmum et stabile fidei fundamentum, nullaque solida divinarum rerum doctrina nitantur, et a Deo destituti sint, tantum opinionum suarum a satana ipsorum mentibus inspiratarum ventis agitati, instabiles sunt, similesque arundini vento agitatae, cum Prophetae et Apostoli fuerint firmissimae columnae in domo Dei. [23] Bases enim et fundamenta fuerunt Ecclesiae Dei secundum Christum, sicut Paulus ait, *ad Ephesios* scribens: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* [24] Sic enim Christus *ut sapiens architectus* [25] Ecclesiam suam fundavit super solidam petram, non super arenam; [26] unde ad Petrum ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* [27] Sic legimus duodecim fundamenta coelestis civitatis Ierusalem cum nominibus duodecim Apostolorum Christi. [28]

dum e contra Prophetae et Apostoli sunt columnae in Ecclesia Dei.

Lutherus fuit maxime instabilis, ut patet ex praecipuis eius doctrinae capitibus.

Cum autem omnibus in universum haereticis divinitus inusta sit nota haec instabilitatis, mirum quam insigniter Lutherus, traditus *in reprobum sensum*, [29] ea signatus et stigmatizatus fuerit et quam patenti spiritu vertiginis circumactus. Diximus hac de re nonnulla in speciali ipsius *Hypotyposi*; [30] sed quia res magni momenti

20) 2 Tim 3, 7. Vulg.: *Nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* 21) Sceptici, a graeco σκέψις *meditatio*, sic appellati, quia de omnibus dubitabant, et omnia meditabantur et expendebant, seque ab omni iudicio absoluto abstinebant. Cf. Io. Perin *Onomast.* sub *Sceptici* nomine. 22) *Proposit. 5*, cp. 14, (P. L. 2, 28). 23) Cf. Apc 3, 12. 24) 2, 19-20. Vulg.: *Super*, loco: *Supra.* 25) 1 Cor 3, 10. 26) Cf. Mt 7, 24-26. 27) Ibid. 16, 18. 28) Cf. Apc 21, 14. 29) Rom 1, 28. 30) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert. 3*, pag. 165-168.

est, statuimus paulo fusius hic magnam ipsius inconstantiam in doctrina instabilitatemque in animi sententia demonstrare in praecipuis quibusdam doctrinae capitibus, puta de Scripturis Sanctis, quas nunc affirmat, nunc negat; – in libro *Adversus Ambrosium Catharinum* de epistola Iudae apostoli ait:[31] «Epistola Iudae mihi quondam inutilis visa, nunc agnita est e Petri epistola sumpta, propter solum Papam esse scripta»; quo loco etiam suo more papistas splendido mendacio horrende criminatur, dicens:[32] «Nam papistae hodie plane non credunt animae immortalitatem»; – de libero arbitrio, de Ecclesia, de papatu, de sacramentis et praesertim de communione sub utraque specie. Et licet in multis aliis capitibus Lutheri antilogias apertas manifestasque contradictiones secumque pugnantes sententias demonstrare facile possemus, ne tamen hac in re longiores simus, his tantum capitibus contenti erimus.

Quandiu catholicus fuit, asseruit liberum arbitrium; haereticus factus, mordicus negavit.

III. Ut autem a libero arbitrio incipiamus, quandiu Lutherus theologus doctorque catholicus fuit, tenuit cum universa Ecclesia catholicam de libero arbitrio sententiam. Factus autem haereticus et a Christi castris ad antichristum transfuga, liberum arbitrium penitus negavit, asseruitque, quod non sit nisi res de solo titulo, in articulo 36 in *Articulis a Leone X Damnatis*.[33] In *Assertione* autem eiusdem *Articuli* Lutherus ita loquitur:[34] «Male dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere: Liberum arbitrium est figmentum in rebus, sive titulus sine re, quia nulli est in manu sua cogitare quippiam mali aut boni». Et in eadem *Assertione* versus finem articulum hunc facit optimum et rerum suarum [summam], dicens:[35] «In ceteris articulis de papatu, de conciliis, indulgentiis aliisque non necessariis nugis ferenda est levitas et stultitia Papae et suorum; sed in hoc articulo, qui omnium optimus et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est miseros sic insanire». In libro autem *De Servo Arbitrio contra Erasmum Roterodamum*[36] articulum hunc mordicus tuetur, et pertinacissime astruit, defenditque omnibus ingenii fontibus longe lateque effusis; adeo ut ad

31) W. L. t. 2, f. 160ᵃ. 32) Ibid. 33) Ibid. f. 58ᵇ. 34) Ibid. f. 118ᵃ. 35) Ibid. f. 119ᵇ. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum. 36) Ibid. f. 457 sqq.

liberum arbitrium funditus evertendum penitusque e medio tollendum nullum non moverit lapidem.

Postea docuit hominem esse liberum ad facienda externa opera;

Et tamen postea in *Saxonica Visitatione*, anno 1528, inter 18 articulos duodecimo loco statuit articulum de libero arbitrio, ubi docet [37] quod homo ex propria virtute habet liberum arbitrium ad externa opera vel facienda vel omittenda, et propterea potest etiam ex propria virtute civilem probitatem et opera bona praestare, quod Paulus dicit iustitiam carnis, [38] hoc est, quod caro, sive homo, ex propria virtute facit. Quod si operatur homo ex propria virtute aliquam iustitiam, habet utique libertatem et evitandi malum et faciendi bonum. Et requirit etiam Deus talem externam sive civilem iustitiam, sicut scriptum est : *Lex posita est propter transgressionem ;* [39] et : *Lex iusto non est posita, sed iniustis.* [40]

quam sententiam secuta est *Augustana Confessio.*

Et hanc quidem posteriorem sententiam secuta est *Confessio Augustana* de praecipuis fidei articulis ; 18 ait enim : [41] « De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam et deligendas res rationi subiectas ». Unde apparet quod non per transennam locutus est Lutherus in libro *De Visitatione Saxonica,* dum scribit instructionem de doctrina liberi arbitrii, sed deliberato consilio. « Quoniam, inquit, [42] multi de libero arbitrio indiscrete loquuntur, propterea hanc brevem instructionem adscripsimus » ; quae iam relata a nobis est, qua docet hominem habere liberum arbitrium propriamque virtutem a Deo datam obtentamque ad faciendum vel omittendum quodcumque opus exterius circa civilem iustitiam.

Fuit igitur Lutherus inconstans in re magni momenti.

Habere autem hominem et non habere prorsus liberum arbitrium per diametrum opposita sunt, contraria omnino sunt. Habet itaque Lutherus *Est et Non*, et hoc quidem in articulo, ut ipse ait, [43] omnium optimo, in quo rerum suarum summa consistebat. Quis est iste propheta, qui prius tam affirmate asserebat, et Divinarum Scripturarum testimoniis comprobabat figmentum esse liberum arbitrium, nunc autem non sine Scripturis et docet et docendum tradit hominem ex divino munere habere liberum arbitrium ?

37) W. G. t. 9, f. 262ᵃ; cp. *Von Freyen Willen*, S. 31, ed. Lietzmann. 38) Cf. Hebr 9, 10.
39) Gal 3, 19. Vulg.: *Quid igitur lex? Propter transgressiones*, etc. 40) 1 Tim 1, 9.
41) I. L. t. 4, f. 163ᵇ. 42) W. G. t. 9, f. 262ᵃ; cp. *Von Freyen Willen*, S. 31, ed. cit.
43) W. L. t. 2, f. 119ᵇ.

Sed ignoscenda Luthero esset ista, licet tam aperta tamque manifesta antilogia, licet circa fidei dogmata, non circa factum aliquod, sicut Nathan propheta circa factum aedificandi templum, humani quid passus atque deceptus, auctore Deo, compulsus fuit, quod regi David dixerat, retractare.[44]

Lutherus instabilis in doctrina de Ecclesia, dum ab initio docuit eam non esse audiendam,

IV. Sed non solum hac in re contraria L u t h e r u s docuit, de Ecclesia etiam repugnantia circa doctrinae dogmata minime levicula tradidit. Et quidem in defectionis et tragoediae, quam parabat, non quidem epitasim ad antistrophen, sub finem; sed ad protasim, in ipso exordio statim evertere voluit a fundamentis sacrosanctae Christi Ecclesiae auctoritatem, dicens docensque non standum esse iudicio Ecclesiae, quia errare postest,[45] et a iudicio universalis Ecclesiae ad solas Scripturas provocavit.[46] Concilia etiam omnia pessumdare constituit, quod in L u t h e r i operibus nusquam non est pervium, maxime in *Captivitate Babylonica*,[47] in *Assertione Articulorum 28* et *29*,[48] in libro *De Conciliis et Ecclesia*,[49] in *Epistola ad Galatas*[50] et alibi saepe, praecipue vero in *Ecclesiastica Postilla, Dominica 1 post Epiphaniam.*

quia errare potest;

Hoc docuit, et causam reddidit Luthero dignam: « Dices, inquit:[51] Ecclesia et Sancti Patres habuerunt Spiritum Sanctum, qui non sinit eos errare penitus. Nihil prorsus; sed Ecclesia, inquit, aut concilia, sint sancta prout libet, non habent tamen Spiritum Sanctum magis quam Maria Mater Christi, quae membrum fuit et principalis pars Ecclesiae; et quamvis esset per Spiritum Sanctum sanctificata, tamen permisit eam errare etiam in magnis fidei rebus ». Sic bonus L u t h e r u s [docuit] Ecclesiam, quae a P a u l o dicta est *columna et firmamentum veritatis*,[52] et quam Dominus audiendam praecipit tanquam certissimam veritatis magistram,[53] Ecclesiam, inquam, cum conciliis, licet Spiritum Sanctum habeat, errare posse; sic tantum vult audiri Scripturas, totum tribuit Scripturis, Ecclesiae nihil L u -

44) Cf. 2 Rg 7, 1-18. 45) *Von den Conciliis und Kirchen*, W. G. t. 7, f. 495b-501a.
46) Epist. Lutheri *ad Leonem X*, W. L. t. 2, f. 2b; *Praefat. ad Assert. Art.* ibid. f. 95; *Assert. Art. 27*, ibid. f. 110. 47) Ibid. f. 89a. 48) Ibid. f. 110. 49) *Von den Conciliis und Kirchen*, I. G. t. 7, f. 230b-291b. 50) W. L. t. 5, f. 303a. 51) W. G. t. 4, f. 490. In hac tamen editione textus non invenitur ad litteram, et quaedam etiam desiderantur.
52) 1 Tim 3, 15. 53) Cf. Mt 18, 17.

t h e r u s , quoniam Ecclesia, ut quae hominibus constat, errare potest, Scriptura, quia ex Deo est, non potest.

postea vero dixit, quod solum testimonium totius Ecclesiae est argumentum validum ad articulum fidei stabiliendum,

Sui tamen oblitus, vel in contrariam sententiam actus, scribens *ad Albertum Marchionem Brandeburgensem* adversus sectarios spiritus, praesertim in Sacramentarios, ita loquitur: [54] « Ab initio, inquit, christianae Ecclesiae in toto mundo usque ad hanc horam unanimi consensu ita creditum est et servatum, sicut demonstrant Sanctorum Patrum libri et Scriptura, graeca simul et latina lingua, insuper quotidianus usus opusque cum experientia usque ad horam hanc. Quod quidem testimonium totius sanctae christianae Ecclesiae, quando nihil aliud haberemus, nobis solum abunde satis esse deberet ad tenendum hunc articulum, et ad minime audiendum aut ferendum quemvis spiritum sectarium. Est enim periculosum et horrendum aliquid audire aut credere contra testimonium unanime, fidem et doctrinam totius sanctae christianae Ecclesiae ». Et subiungit, agens de eo quod universa credit Ecclesia : [55] « Qui autem in eo dubitat, sane ita agit, ac si nullam crederet christianam Ecclesiam, et damnat non solum universam christianam Ecclesiam tanquam haereticam, verum etiam Christum ipsum cum omnibus Apostolis et Prophetis , quoniam Christus ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus,* [56] etc. ; et P a u l u s ait quod Ecclesia est *columna et firmamentum veritatis* ».

et, qui de eo dubitat, nullam credit christianam Ecclesiam,

Et alibi etiam contrarium docuit. In libro enim *De Antiqua Ecclesia,* [57] semel, iterum et tertio dicit Ecclesiam non posse errare, quia, ut P a u l u s ait, *columna* est *et firmamentum veritatis*, et quia os Ecclesiae os Dei est, et sicut non potest errare Deus, ita nec Ecclesia. Sic L u t h e r u s bellissime sibi constans, nunc ait, nunc negat, et perinde sibi est.

et quod Ecclesia non potest errare.

Docet aliquando R. Ecclesiam esse Babylonem, etc.

V. Erit autem manifestius in ipsius assertionibus de Romana Ecclesia, quam in omnibus operibus suis L u t h e r u s ubique passim, sed praesertim in *Captivitate Babylonica,* [58] in libro *Adversus Execrandam Bullam Antichristi,* [59] in libro *De Antiqua Ecclesia* [60] et in libro *De Papatu Romae Fundato,* [61] fronte supra modum impudenti

54) Ein Sendbrief Lutheri *an Hertzog Albrecht in Preussen wider Etliche Rottengeister*, W. G, t. 2, f. 209. 55) Ibid. f. 209ᵇ. 56) Mt 28, 20. 57) W. G. t. 7, f. 518ᵃ-519ᵃ. 58) W. L. t. 2, f. 63ᵃ. 76ᵇ. 78ᵇ. 79-81ᵃ. 59) Ibid. f. 88ᵇ-93ᵇ. 60) W. G. t. 7, f. 515ᵃ-517ᵃ. 61) W. L. t. 7, f. 451ᵃ-454ᵇ. 457. 459ᵇ. 463ᵃ-472ᵇ. 474. 476ᵇ-479ᵇ.

dicit confusam Babyloniam, sedem antichristi, synagogam satanae, meretricem magnam, Sodoma et Gomorrha multo peiorem, colluviem haeresum, templum abominandae idololatriae, infame prostibulum, pestilentiae cathedram milleque aliis modis in Romanam Ecclesiam furiose debacchatur, eamque proscindit, sicut *aper de silva et singularis ferus*[62] vineam Domini. In *Expositione primae Epistolae* Petri ait[63] Romanam Ecclesiam specialiter a Deo maledictam esse; in *Ecclesiastica Postilla, Dominica 2 Adventus*, exponens epistolam, ait,[64] quod nonnisi diabolica impostura est quidquid in papatu est, a summo vertice usque ad imum pedis. Peiora dicere aut cogitare de sacrosancta Romana Ecclesia ne diabolus quidem potuisset! — **a Deo maledictam;**

Et tamen alibi protestatur Lutherus se nihil dicere aut tenere velle contra Romanam Ecclesiam. In *Protestatione* sua, quae posita est ante *Resolutiones de Indulgentiis*, ita habet:[65] «Protestor me nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in et ex Sacris Litteris primo, deinde ecclesiasticis Patribus, a Romana Ecclesia receptis, hucusque servatis, et ex canonibus et decretalibus pontificiis habetur et haberi potest». — **e contra alibi protestatur se nihil tenere, nisi quod tenet R. Ecclesia,**

Eadem habet in *Appellatione ad Leonem X.*[66] Et in *Appellatione a Papa ad Concilium*, facta expressa et solemni protestatione, ita loquitur, dicens[67] «quod contra unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram et tenere principatum non ambigo, Sanctaeque Sedis Apostolicae auctoritatem ac Sanctissimi Domini nostri Papae bene consulti potestatem nihil dicere intendo». Et in *Actis* ipsius *coram Cardinali Caietano Augustae* coram quattuor caesareae Maiestatis senatoribus, adductis notario et testibus, coram Cardinali Legato solemniter protestatus fuit, dicens:[68] «In primis ego Fr. Martinus Lutherus Augustinianus protestor me colere et sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis et factis praeteritis, praesentibus et futuris. Quod si quid aliter vel contra dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi et habere volo». — **quam totius orbis magistram vocat;**

Praeter haec autem publicus notoriusque factus sanctae Romanae Ecclesiae hostis, affirmat in Romana Ecclesia multa reperiri bona,

62) Ps 79, 14. 63) W. L. t. 5, f. 481ᵇ. 64) F. 27, Argentorati 1535. 65) W. L. t. 1, f. 101ᵇ. 66) Ibid. f. 218ᵇ. 67) Ibid. f. 231ᵃ. 68) Ibid. f. 209.

imo omnis christianitatis bonum. In libello enim, cui titulus est: *Instructio super quibusdam Articulis*, in ultimo articulo *De Romana Ecclesia* ita loquitur: [69] « Quod Romana Ecclesia a Deo sit super omnes alias honorata, nullum est dubium; ibi enim S. Petrus et Paulus, quadraginta sex Papae, multa millia martyrum sanguinem suum fuderunt, infernum et mundum vicerunt. Quod quidem palpari potest, quemadmodum Deus in eam Ecclesiam aspectum oculi coniecerit. An autem, proh dolor! Romae ita nunc res se habeat, hoc bene melius esset; tamen nulla est nec potest quidem esse tam magna causa, ob quam quisquam debeat seipsum ab ea Ecclesia separare et ea discedere, imo quo peius agitur, eo magis ad eam accurrendum est eique inhaerendum. Per abscessum enim aut per contemptum nil melius fit, nec debet Deus propter diabolum relinqui, nec eos, qui reliqui sunt boni, propter multos malos devitare; imo propter nullius peccata, aut malum quod cogitari aut nominari potest abrumpenda est caritas, aut unitas dividenda. Nam caritas omnia potest [70] et unitati sive concordiae non est aliquid difficile; vilis autem est caritas et concordia, quae propter aliena peccata sinit se dividi. Quid autem Romanae Sedis potestas aut auctoritas possit, et quomodo seipsam tam late extenderit, sinas doctos discutere; hoc enim ad salutem animarum non spectat, et Christus Ecclesiam suam non fundavit in externa ista et conspicua potestate et superioritate aut temporalibus rebus, quas mundo mundanisque reliquit, sed posuit atque fundavit in interiori caritate, humilitate atque concordia. Quapropter potestas sive magna sit sive parva, universalis vel particularis, placere nobis debet contentique esse debemus, sicut Deus divisit, quemadmodum contentos nos esse oportet, quod Deus cetera temporalia bona: honorem, divitias, favorem, artem ceteraque divisit; concordiam tantum curare debemus, et nullo prorsus modo papalibus mandatis adversari. Ecce spero hic manifestum fore, quod nihil velim Ecclesiae Romanae adimere, sicut amici mei cari me insimulant, eo quod hypocritas aliquos placere mihi nequaquam sino. Videor autem recte agere, nec propter aquae bullas timendum mihi est mori. Sanctae Romanae Sedi in omnibus obsequendum est, non tamen hypocritae alicui credendum ».

a Deo super omnes honoratam,

a qua nulla ratione discedendum est.

nec eiusdem mandatis adversandum.

69) W. G. t. 7, f. 7ᵇ. 70) Cf. 1 Cor 13, 7.

Haec omnia Lutherus, cum iam esset et haberetur haereticus et sanctae Romanae Ecclesiae inimicus. Et praeter haec in libro *Contra Anabaptistas ad duos Parochos:* « Fatemur, inquit, [71] quod sub papatu multum est christiani boni, imo omne christianum bonum et inde ad nos quoque promanavit; fatemur, quod in papatu vera sit Sacra Scriptura, verus Baptismus, verum Altaris Sacramentum, verae claves ad peccatorum remissionem, verum concionandi munus, verus catechismus, ut sunt oratio dominica, decem praecepta, articuli fidei ». Et post pauca: [74] « Dico ego, quod sub Papa est vera christianitas et vera christianitatis excellentia, multi boni magni Sancti ». Quomodo ergo, Luthere, nihil est in papatu, nisi diabolica impostura? **Fatetur in ea esse omne christianum bonum,**

Haec eadem habet Lutherus in libro *De Missa Angulari et Unctione Sacerdotum,* [73] non multis paginis post disputationem cum diabolo habitam, [74] superius a nobis relatam. [75] Et in *Epistola ad Galatas capite primo,* sub initium capitis, ita loquitur: [76] « Manet in Romana urbe, quamquam Sodoma et Gomorrha peiore, Baptismus, Sacramentum, vox et textus Evangelii, Sacra Scriptura, nomen Christi, nomen Dei. Qui habent, habent, qui non habent, non sunt excusati; thesaurus enim est ibi. Ideo Romana Ecclesia est sancta, quia habet nomen sanctum Dei, habet Evangelium, Baptisma, etc. Ista si sunt in populo, dicitur sanctus ». Quomodo ergo nihil boni est in Romana Ecclesia? Ita perspicuum est, quam belle sibi constet Lutherus etiam in doctrina de Romana Ecclesia. **ideoque esse sanctam.**

VI. Nil minus autem in dogmatibus suis de Romano Pontifice. Hac autem in re erimus paulo fusiores, ut magis magisque elucescat quanta fuerit hominis inconstantia. Fatetur ipse, quod ante suam apostasiam et defectionem ab Ecclesia catholica Romana erat Papae addictissimus. Ita in *Praefatione* Operum suorum: « Sciat, inquit, [77] lector, me fuisse aliquando monachum et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus Papae, ut paratissimus fuerim, si potuissem, occidere omnes, **Item Lutherus inconstans in doctrina de R. Pontifice; ait enim se fuisse prius Papae addictissimum, etc.**

71) W. G. t. 2, f. 229^{b}-230^{a}. 72) Ibid. f. 230^{b}. 73) W. L. t. 7, f. 236^{b}. 74) Ibid. f. 228^{a}-230^{a}. 75) *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 1,* pag. 204-209. 76) W. L. t. 5, f. 278^{a}. 77) Ibid. t. 1, f. II^{a}.

qui Papae vel una syllaba obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus in defendendo papatu! » Et in *Praefatione ad Propositiones de Viribus et Voluntate Hominis sine Gratia:* « In multis, inquit, [78] et magnis articulis Papae non solum cedebam, sed ultro etiam adorabam. Quis enim ego eram miserrimus tunc fraterculus, qui Maiestati Pontificis contra irem? » In *Epistola* etiam *ad Galatas, capite primo*, hac de re ita loquitur: [79] « Si quispiam alius certe ego ante lucem Evangelii pie sensi, et zelavi pro papisticis legibus et Patrum traditionibus, easque magno serio ut sanctas et eorum observationem tanquam necessariam ad salutem ursi, et defendi ». Et quibusdam interiectis: [80] « Ego, inquit, pure adoravi Papam, non propter praebendas aut dignitates; sed quidquid feci, ex simplici corde, bono zelo et ad gloriam Dei feci ». Eodem autem folio, sed pagina sequenti, ait: [81] « Tales nos sub papatu fuimus profecto non minus, si non plus contumeliosi et blasphemi in Christum et eius Evangelium quam Paulus ipse, praecipue ego. Tanta erat auctoritas Papae apud me, ut vel in minimo dissentire ab ipso, putarem crimen aeterna damnatione dignum, eaque impia opinio faciebat, ut crederem Ioannem Hussum tam maledictum esse haereticum, ut vel de eo cogitare sceleratum ducerem, et pro defendenda auctoritate Papae ipse ferrum et ignem subministrassem ad comburendum illum haereticum, et putassem summum obsequium me Deo praestare ».

ac putasse crimen ab eo dissentire.

Sed lapsus in haeresim fuit Papae infestissimus;

VII. In ea autem sententia mansit usque ad annum aetatis suae circiter quadragesimum, quandiu catholicus fuit; factus autem haereticus, mirum quam in contrariam descendit sententiam. Confestim enim Papa mirabili quadam metamorphosi factus fuit Luthero Iudas Iscariotes, princeps Babylonis, caput synagogae satanicae, ipsissimus antichristus, satanas et diabolus.

non tamen ab initio, nam Leonem X optimum vocat,

Non tamen sine diu vacillante mente auspicatus fuit L u t h e r u s funestam hanc tragoediam anno 1517. Et tamen anno 1518 in die Sanctissimae Trinitatis, data epistola *ad Ioannem Staupitium*, ita loquitur, mittens ei *Resolutiones* suarum *Propositionum:* « Rogo, inquit, [82] itaque has meas ineptias suscipias, et, qua fieri potest industria, ad

78) Ibid. f. 49ᵃ. 79) Ibid. t. 5, f. 291ᵃ. 80) Ibid. 81) Ibid. f. 291ᵇ.
82) Ibid. t. 1, f. 100ᵇ.

optimum Pontificem Leonem X transmittas, ut sint ibi mihi adversus studia malignantium vice alicuius paracleti. Non quod te mihi coniungi periculo velim, meo solius periculo hoc egisse volo. Christus viderit suane sint an mea, quae dixi, sine cuius nutu nec Summi Pontificis sermo est in lingua eius, [83] nec *cor regis in manu* sua. [84] Hunc enim expecto iudicem e Romana Sede pronunciantem ».

Christi Vicarium, nomine Christi loquentem,

Eodem anno et eadem die dat epistolam *ad Leonem X Romanum Pontificem*, quem Beatissimum Patrem et Pontificem Maximum appellat et Christi Vicarium, et ad calcem epistolae ita loquitur : [85] « Beatissime Pater, prostratum pedibus Beatitudinis tuae me offero cum omnibus, quae sum et habeo. Vocem tuam vocem Christi in te praesidentis et loquentis agnoscam ». Et ad propositionem sive conclusionem 25 de Leone X ait : [86] « Est nobis hodie Pontifex optimus, Leo X, cuius integritas et eruditio deliciae sunt omnibus bonis auribus. Sed quid ille suavissimus homo potest unus in tanta rerum confusione ? Dignus profecto qui melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora essent sui pontificatus ». Romam tamen ibi Lutherus veram Babylonem appellat. [87]

cuius potestas est super omnia.

Sequenti anno 1519 tertia die Martii, altera data epistola *ad Leonem X*, adhuc Beatissimum Patrem dicit et Pontificem Maximum, eique tribuit aures paternas et vere Christi vicarias, et adhuc ita ait : [88] « Nunc, Beatissime Pater, coram Deo et tota creatura sua testor me neque voluisse neque hodie velle Ecclesiae Romanae et Beatitudinis tuae potestatem ullo modo tangere aut quacumque versutia demoliri, quin plenissime confiteor huius Ecclesiae potestatem esse super omnia ». Et tandem promittit promptissime se relicturum materiam de indulgentiis editurumque in vulgus, quo intelligant et moveantur, ut Romanam Ecclesiam pure colant, « neque, inquit, [89] meam asperitatem imitentur adversus Romanam Ecclesiam, qua ego usus sum, imo abusus ».

Eodem vero tempore scribit se nescire utrum

Sciendum autem, ut sciat mundus quam revera Lutherus vir erat duplex animo, quod eodem tempore, anno, inquam, 1519 mense Martio, scribit *ad Georgium* [90] *Spalatinum* in haec verba : [91]

83) Cf. Ps 138, 4. 84) Prv 21, 1. 85) W. L. t. 1, f. 101^{b}. 86) Ibid. f. 119^{a}. 87) Ibid. 88) Ibid. f. 235. 89) Ibid. f. 235^{b}. 90) Ms.: *Gregorium*. 91) T. 1 *Epist.* f. 156^{a}, ed. cit.

Papa sit antichristus.

« Verso et decreta Pontificum pro mea disputatione, et in aurem tibi loquor: Nescio an Papa sit antichristus ipse vel apostolus eius ».

Probat decreta Pontificum; postea dicit se ea non timere.

Et quidem eadem animi duplicitas conspicua fit circa decreta Pontificum. In sua enim *Solemni Protestatione* ea probat, [92] et tamen eodem tempore *ad Spalatinum* scribens [93] anno 1518 Ianuarii [die] 14: « Adeo non timeo decreta ista, traditiones hominum, quas illi solas timent, Deum autem sine fine contemnunt, ut mihi contra illas bellum aliquando suscipiendum confidam ». Et eodem anno in epistola *ad Iodocum*, Ysenacensem theologum: [94] « Ego simpliciter credo, quod impossibile sit Ecclesiam reformari, nisi funditus canones et decretales eradicentur ».

Fatetur se fuisse in R. Pontificem indiscretum, veniamque petit;

Qua de re etiam *ad Cardinalem Caietanum* scribens, pridie Lucae Evangelistae 1518, ita loquitur: [95] « Nunc, Reverendissime in Christo Pater, fateor, sicut et alias fassus sum, me fuisse certe nimis, ut dicunt, indiscretum, acrem et irreverentem in nomen Summi Pontificis. Et licet acerrime fuerim in hanc irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse nunc intelligo modestius, humilius et reverentius hanc materiam tractare, et non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer. [96] De quo sincerissime doleo, et veniam peto, et per omnia pulpita in vulgus promulgabo, sicut et saepius iam feci, daboque opera deinceps, ut alius sim et aliter loquar, Deo miserente ». Quam manifeste hic L u t h e r u s fatetur se male coepisse et novi sui evangelismi fundamenta iecisse crepundiaque promovisse, ut ea de re sincerissime doleat et veniam petat!

Summum Pontificem verbis demulcere studet;

VIII. Sed quandiu in ista sententia mansit? Anno 1520 aliam adhuc *ad Leonem X* epistolam dedit, sed alio admodum stylo. Est autem praefixa libello *De Libertate Christiana*, [97] in qua quidem appellat Romanum Pontificem Patrem Beatissimum, seipsum excusat de *Appellatione* facta *a Romano Pontifice ad Concilium*, Leonem optimum vocat, multisque verbis palpat lactatque, agnum dicit in medio luporum, [98] Danielem in medio leonum, [99] Ezechielem inter scorpiones habitantem. [100] Sed in Romanam Ecclesiam invehitur, quod, cum

sed R. Eccle-

92) W. L. t. 2, f. 45b. 93) T. 1 *Epist.* f. 46a. 94) Ibid. f. 60a. 95) W. L. t. 1, f. 215a. 96) Cf. Prv 26, 4. 97) W. L. t. 2, f. 1a. 98) Cf. Mt 10, 16. 99) Cf. Dn 6, 1 sqq. 100) Cf. Ez 2, 6.

olim esset sanctissima, facta sit spelunca latronum licentiosissima, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis et inferni, ut ad malitiam quod accedat cogitare non [possit], ne antichristus quidem si venerit, ac propterea Leonem dicit revera infelicissimum, gloriaturque quod Carolus Miltitius, Nuncius Apostolicus, saepe cursans atque recursans vix obtinere potuit, auxilio etiam illustrissimi principis electoris Friderici, ut semel atque iterum secum familiariter loqueretur.[101] Ac tandem componendae secum pacis audet L u t h e r u s Summo Pontifici leges praescribere, dicens :[102] « Palinodiam ut cantem, Beatissime Pater, non est quod ullus praesumat, nisi malit adhuc maiori turbine causam involvere. Deinde leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oporteat *verbum Dei non* esse *alligatum;*[103] his duobus salvis, nihil est quod non facere et pati possim ».

siam vocat speluncam latronum,

et R. Pontifici vult leges imponere.

IX. Semperque maiori in dies odio in Romanum Pontificem lymphatus, magis magisque insanivit ; adeo ut etiam primatum Petri inter Apostolos aliquando negare non dubitarit. Ita enim in *Epistola ad Galatas* scribit :[104] « Petrus non praedicavit aliud Evangelium quam alii, nec ipse aliis demandavit officium ; sed omnino inter eos, loquitur de Apostolis, fuit aequalitas ; omnes enim divinitus docti ac vocati fuerunt, hoc est, utrumque et vocatio et mandatum omnium Apostolorum fuit simpliciter immediate a Deo. Nullus ergo Apostolus maior est alio, nec est aliqua personae praerogativa. Quare impudens mendacium est, quod Papa iactat, Petrum fuisse principem Apostolorum, ac per hoc ipsum confirmat primatum suum ». Et tamen in eadem *Epistola, capite primo,* ipse L u t h e r u s Petrum vocat Apostolorum summum : « Petrus, inquit,[105] Apostolorum summus, vivebat et docebat extra verbum Dei ; ergo errabat ».

Primatum Petri negat,

eodemque loco Petrum summum Apostolorum vocat.

In *Assertione Articuli 25* negat primatum Romani Pontificis, dicens[106] quod Romanus Pontifex est quidem Petri successor, sed non Christi Vicarius super omnes ecclesias, iterumque omnes Apostolos facit aequales. Et tamen in *Resolutionibus ad Propositionem 13:* « Nam nec ego, inquit,[107] nego Romanum Pontificem esse, fuisse, fore primum ». Et folio 310 :[108] « In fine, inquit, repeto, quae in prin-

Uno loco negat primatum R. Pontificis,

alibi vero affirmat.

101) W. L. t. 2, f. 2^a. 102) Ibid. f. 2^b. 103) 2 Tim 2, 9. 104) W. L. t. 5, f. 300^b.
105) Ibid. f. 290^b. 106) Ibid. t. 2, f. 111^b-112^a. 107) Ibid. t. 1, f. 311^b. 108) Ibid. f. 310^a.

cipio dixi, me prorsus confiteri et tueri primatum Romani Pontificis quantus quantus est, fuit, aut futurus est ».

R. Pontificem facit auctorem omnium malorum; et tamen fatetur se ab ipso Scripturam accepisse, praedicandi munus,

Saepe in Papam invehitur auctoremque facit omnium malorum, quae in Ecclesiam et in christianitatem universam irrepserunt. Et tamen scribens *in Anabaptistas*, ait :[109] « Audio et video quod Anabaptistae quidam in hunc solum finem suscipiunt, ut sic Romanum Pontificem vexent, ut qui nihil velint ab antichristo retinere quemadmodum Sacramentarii ; propterea in Sacramento nonnisi panem et vinum agnoscunt solum in odium Romani Pontificis, et putant se hoc modo papatum debellaturos. Debili sane nituntur fundamento ; hoc modo negare illos oporteret universam Scripturam et praedicandi officium, haec enim omnia habemus a Papa. Alias etenim oporteret nos condere Scripturas ». In *Epistola* etiam *ad Galatas, capite primo*, Scripturas Sacras et sacramenta agnoscit a Papa, inquiens :[110] « Nos gloriari possumus nos a Papa non accepisse nostram doctrinam ; Scripturam Sacram et externa symbola habemus quidem ab eo, non autem doctrinam, quae solo Dei dono nobis contigit ».

sacramenta, etc.

Hic autem ego unum tantum urgebo : A defectione sua Lutherus factus ab Ecclesia catholica, apostolica, Romana transfuga, semper Romanum Pontificem antichristum fecit dixitque ipsissimum. At si Romanus Pontifex antichristus est, quomodo ab ipso accepit Lutherus Sacras Litteras, praedicandi munus et externa symbola, idest, sacramenta vel, ut ipse alibi loquitur,[111] sacramentalia signa ? Haec ne ex Sacris Litteris danda accipiendaque erant ab antichristo ? Hic autem, cum omnem negaturus divinitatem dictus sit,[112] proculdubio omnes Scripturas et sacramenta munusque concionandi tradendique doctrinam, *quae secundum pietatem est*, omnino pernegabit. Quomodo igitur, si Papa antichristus est, a Papa haec accepta asserit ? Sed L u t h e r u s ita loquitur, quoniam de numero eorum est, quos P a u l u s dixit *nescire quae loquantur aut de quibus affirment*,[113] hoc [est], sibi minime constant ac vix praesentes sunt, cum satanae spiritu tanquam energumeni agitentur.

Si Papa est Luthero antichristus, quomodo ab eo accepit sacramenta, etc. ?

109) W. G. t. 2, f. 229b. 110) W. L. t. 5, f. 293a. 111) *De Captivitate Babylonica*, ibid. t. 2, f. 68a. 112) Cf. 2 Thess 2, 4. 113) 1 Tim 1, 7. Vulg.: *Non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.*

X. Sed antilogiarum, contradictionum repugnantiumque sententiarum L u t h e r i nullus prope esset finis ; restat ut, sicut nos facturos esse recepimus, de inconstanti doctrina ipsius circa sacramenta nonnihil dicamus. Cum esset catholicus, cum universa catholica Ecclesia septem tenuit sacramenta ; factus haereticus cum primis negavit hunc sacramentorum numerum. Sic enim loquitur in libro *De Captivitate Babylonica* capite primo : « Principio, inquit, [114] neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda : Baptismus, Poenitentia et Panis ». Et tamen in eodem libro, capite *De Confirmatione*, admirans quod Confirmatio posita sit in numero sacramentorum, ait : [115] « Non haec dico quod damnem sacramenta septem, sed quod ex Scripturis ea probari negem ». In fine libri, capite *De Extrema Unctione*, de rigore duo tantum statuit, dicens : [116] « Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta : Baptismus et Panis, cum in his solis et institutum divinitus signum et promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Poenitentiae sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret ». Capite autem primo eius libri unum tantum ex usu Scripturae facit ; ait enim : [117] « Si usu Scripturae loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam et tria signa sacramentalia ». Quis non miretur in re tanta tantam hominis inconstantiam?

Inconstantia Lutheri apparet in doctrina de sacramentis; dum alicubi negat septem sacramenta,

alibi dicit se ea non negare.

Alicubi docet sacramenta gratiam non conferre, in *Assertionibus Articulorum Damnatorum per Leonem X*, articulo primo, dicens : [118] « Haeretica, sed usitata sententia est sacramenta Novae Legis gratiam dare illis, qui non ponunt obicem », aitque [119] articulum istum non suum esse solum, sed etiam veritatis catholicae et christianae. Et in *Captivitate Babylonica*, capite *De Baptismo*, damnat [120] omnes theologos, qui asserunt sacramenta esse signa efficacia gratiae, tanquam docentes impia, infidelia et pugnantia contra fidem. Et tamen eodem loco eademque pagina paulo ante de Baptismo ait : [121] « Quomodocumque tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit ». Sed quomodo vere salvum facit Baptismus a quocumque tradatur, si nullam prorsus habet efficaciam, nullam spiritualem virtutem ?

Negat sacramenta conferre gratiam,

eodemque tempore docet Baptismum salvum facere,

114) W. L. t. 2, f. 68ª. 115) Ibid. f. 86ª. 116) Ibid. f. 92ᵇ. 117) Ibid. f. 68ª.
118) Ibid. f. 101ᵇ. 119) Ibid. f. 102ª. 120) Ibid. f. 79ª. 121) Ibid.

ac in Baptismi aqua adesse Spiritum Sanctum.

Scribens etiam *in Psalmum 122*, ait: [122] « Profanus sermo est aquam Baptismi tantum dicere esse aquam, cum aqua Baptismi habeat additum verbum et similis sit ferro candenti seu ignito, quod, sicut revera ferrum est, ita etiam revera est ignis et omnia facit, quae ignis solet. Sed verbum vident solum pii ». In *Postilla Ecclesiastica in die Trinitatis*, exponens illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, [123] etc., ait: [124] « Huiusmodi officium Christus hoc modo ita praedicat, quod sit Spiritus Sancti opus, quo homo de novo nascitur, quod non sit simplex aquae Baptismus, sed adsit etiam Spiritus Sanctus; et qui sic baptizatur, hic non solum aqua, sed etiam Spiritu Sancto baptizatus sit, quod de aliis baptismis, quales Iudaeorum fuere cum omnibus ipsorum ceremoniis, dici nequit ».

Transubstantiationem nunc negat, nunc affirmat,

De Sacramento autem Altaris maxime omnium inconstantissime locutus Lutherus est, transubstantiationem nunc negans nunc affirmans. Libro *in Regem Angliae* ait: [125] « Impius est et blasphemus si quis panem transubstantiari, catholicus autem et pius est qui contrarium docuerit ». Et libro *Adversus 32 Articulos Theologorum Lovaniensium:* [126] « Transubstantiatio panis et vini in Sacramento a magistrollis Lovaniensibus sine omni fundamento, sine ullo verbo, ex mera inscitia traditur ». Et tamen libro *De Venerabili Sacramento et Fraternitate* ait: [127] « Quemadmodum panis ille in verum ac naturale corpus ipsius, et vinum in naturalem ipsius sanguinem vere transmutatur; sic quoque nos vere in spirituale corpus, hoc est, in communionem Christi et omnium Sanctorum attrahimur et transmutamur ». Et iterum ait: [128] « Quidam arte sua et subtilitate freti, quaerunt: Ubi panis manet, cum in carnem Christi transmutatur, et vinum ubi in sanguinem vertitur? » Item: [129] « Quomodo in tam parva portione panis et vini totus Christus carne et sanguine concludi possit? Hoc nihil refert, etiam si tu non videas ». At vero in *Captivitate Babylonica*, capite *De Sacramento Altaris*, liberum cuique permittit, vel ut credat, vel ut neget transubstantiationem: « Permitto, inquit, [130] qui volet utramque opinionem retinere. Hoc solum nunc ago, ut scrupulos conscientiarum de medio tollam, nequis se reum haereseos metuat, si in altari verum

nunc liberum facit eam credere vel non.

122) Ibid. t. 3, f. 594ᵃ. 123) Io 3, 5. 124) In ed. Argentorati 1535 *Ecclesiasticae Postillae*, a nobis consulta, desideratur textus a S. Auctore citatus. 125) W. L. t. 2, f. 367ᵃ. 126) Ibid. f. 503ᵇ. 127) W. G. t. 7, f. 18ᵃ. 128) Ibid. f. 18ᵇ. 129) Ibid. 130) W. L. t. 2, f. 70ᵇ.

panem verumque vinum esse crediderit; sed liberum esse sibi sciat citra periculum salutis alterutrum credere ». Mira inconstantia in doctrina fidei! Nunc negat, nunc affirmat, nunc permittit utrumque.

Aliquando Eucharistiam non adorandam docuit;

Simili inconstantia locutus est de cultu divini huius Sacramenti. In libro enim *De Adoratione Sacramenti ad Waldenses* statuit [131] non esse adorandum, quia non est ad hoc institutum, nec habetur praeceptum adorandi, nec damnandos aut accusandos haereseos esse eos, qui non adorant, cum nec Apostolos ipsos adorasse legamus, sed tantum super mensam sedentes accepisse ». [132] Optima sane ratio! At nec extra Sacramentum Apostolos Christum adorasse legimus usque ad diem Ascensionis. [133] Tamen eodem loco Lutherus ait [134] quod, qui credit adesse in Sacramento Corpus et Sanguinem Christi, non potest sine peccato adorationem intermittere, quia, ubi est Corpus et Sanguis Christi, ibi est Christus ». Et scribens *Contra Lovanienses Theologastros* Sacramentum hoc honorabile appellat et adorabile, in quo reipsa exhibetur et sumitur Corpus et Sanguis Christi. [135]

et tamen Sacramentum Altaris adorabile dicit.

Aliquibus locis statuit communionem sub utraque specie,

XI. Tandem quam magno spiritu vertiginis Lutherus ageretur in dogmate de communione sub utraque specie insigniter ostendit, ita ut hac in re ipse etiam cognoverit confessusque fuerit suam insaniam. Nam in *Captivitate Babylonica* sub initium ita loquitur: [136] « Hactenus ego stultus sensi pulcrum fore, si pro laicis utraque species Sacramenti porrigenda statueretur concilio generali ». Folio sequenti ex tripode pronunciat [137] omnes impios, qui utriusque speciei communionem laicis denegant. Et folio 68: [138] « Concludo itaque, ait, [139] negare utramque speciem laicis esse impium et tyrannicum, nec esse in manu ullius Angeli nedum Papae et concilii cuiuscumque ». Idem docet [140] in *Revelatione Antichristi ex Daniele Propheta*, articulo *De Utraque Specie*, ubi Lutherus more suo mirum in modum sycophantatur.

Et in libro *De Formula Missae et Communione Populi* ita ait post multa: [141] « Quare simpliciter iuxta institutum Christi utraque species

131) W. G. t. 7, f. 343. 132) Cf. Mt 26, 20-29. 133) Cf. ibid. 28, 17. 134) W. G. t. 7, f. 343^a. 135) W. L. t. 2, f. 503^a. 136) Ibid. f. 67^a. 137) Ibid. f. 67^b. 138) Ibid. f. 68, iuxta editionem ab Auctore adhibitam. 139) Ibid. f. 69^b-70^a. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum. 140) W. G. t. 7, f. 214^b. 141) W. L. t. 2, f. 419^a.

ad quam ius Christi habetur,

et petatur et ministretur». Et postea:[142] «Nos Christi ius habemus, et concilia nec morari nec audire volumus in his, quae manifeste sunt Evangelii, quin amplius dicimus: Si quo casu concilium propria auctoritate id statueret aut permitteret; tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum tam concilii quam statuti sui vellemus aut alterutra, tum etiam neutra et nequaquam utraque potiri, et plane eos anathema habere, quicumque auctoritate talis concilii vel statuti utraque potirentur». Ita sane Lutherus paratus erat audire Ecclesiam, quam quisquis non audit, Christi sententia, habendus est *sicut ethnicus et publicanus.*[143]

ideoque Boihemos ait non esse haereticos;

In seipsum tamen loquitur in *Assertionibus Articuli 16*, ubi ait:[144] «Consultum videtur quod Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos esse, nec Boihemi sub utraque specie communicantes sunt haeretici et schismatici». Et tamen in *Disputatione Lipsica* ait:[145] «Nunquam mihi placuit, nec in aeternum placebit quodcumque schisma; inique faciunt Boihemi quod se auctoritate propria separant a nostra unitate, etiam si ius divinum pro eis staret, cum supremum ius divinum sit caritas et unitas spiritus».

aliis autem locis dicit satis esse, ut laici sub una specie communicent,

Praeter haec autem multis in locis docet, dicitque unam tantum speciem laicis satis esse. Ita libro sive sermone *De Venerabili Sacramento*,[146] idemque astruit[147] in fine illius sermonis, quod sufficit una tantum species, cum nullum habeatur divinum praeceptum de utraque. Et in sequenti tractatu, adducens illud: *Melior... est obedientia quam victima*,[148] hoc ipsum tradit.[149] Et in *Declaratione quorundam Articulorum*, quae mox sequitur, ait[150] nil iuvare Boihemos sententiam Salvatoris: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem*,[151] etc., quoniam ibi Dominus non loquitur de Sacramento, ibique subiungit[152] non esse necessariam communionem sub utraque, quoniam non est praecepta, sed servanda est pax et concordia, quae divinitus praecepta est.[153]

et libertatem in hoc omnibus relinquit.

In integro autem libro, quem *De Utraque Specie* scripsit, ita loquitur:[154] «Si ad locum veneris, ubi una tantum species datur, unam accipias, sicut illi faciunt». Et postea subiungit rationem:[155] «Quia

142) Ibid. 143) Mt 18, 17. 144) W. L. t. 2, f. 114ª. 145) Ibid. t. 1, f. 250ª. 146) W. G. t. 7, f. 15ª. 147) Ibid. f. 22ª. 148) 1 Rg 15, 22. Vulg.: *Victimae.* 149) W. G. t. 7, f. 22ᵇ. 150) Ibid. f. 24ᵇ. 151) Io 6, 54. 152) W. G. t. 7, f. 24ᵇ. 153) Cf. Rom 12, 16; Eph 4, 3; Phil 2, 2. 154) W. G. t. 7, f. 333ᵇ. 155) Ibid. f. 334ª.

Christus non praecepit communionem, magisque placet ei caritas quam communio sub utraque ». Et in epistolis Lutheri, ex fragmento epistolae *ad Philippum Melanchthonem* in die Petri Apostoli anni 1521 : « De utraque, inquit,[156] specie non arguo ab exemplo, sed a verbo Christi, nihil enim arguit illos accipientes peccasse vel non peccasse, sed hoc movit quod Christus neutram exegit ». Et postea :[157] « Itaque adhuc nihil urget nisi ratio, quae dictat institutum Christi non teneri ; sed Scriptura nihil definit, sine qua peccatum pronunciare non possumus. Institutum Christi est, sed liberum, permissum ».

XII. Ita sane Lutherus tanquam arundo vento agitata, nunc ad dexteram nunc ad sinistram inclinat ; nunc affirmat, nunc negat idipsum ; nunc est, nunc non est. Spiritus autem Sanctus Prophetas et Apostolos non constituit arundines vento agitatas, sed columnas firmissimas veritatis, praedicatores semper sui similes, constantissimos. Cum autem D. Petrus asserat haereticos indoctos esse et instabiles, nil mirum si Lutherus maxime haereticus in doctrina sua fuit maxime instabilis et in dogmatibus fidei tam varius, et in utramque partem claudicans. Hinc perspicuum est, quam vere in Lutherum quadrent, quae D. Athanasius de Arianorum inconstantia dixit in *Decretis Nicaenae Synodi*,[158] maxime vero quae in Eusebium, Caesareae Palaestinae episcopum, arianae factionis antistitem. Qui cum pridie abnegasset, postridie in eandem sententiam subscripsit et Ecclesiae legendam misit, dicens eam esse Ecclesiae fidem et Patrum traditionem ; unde apparuit eum prius errasse et contra veritatem pugnasse. Et post non multa ait[159] de Arianis, quod nos de Lutheranis iure dicere possumus : « Aut isti Eusebium cum suis sibi non constantem alia diversaque ab iis, quae subscriptione approbavit, dicentem, pro anathemate haberent; aut si putent eum recte subscripsisse, ne obmurmurarent tanto concilio ».

Patet igitur Lutherum contraria docuisse in dogmatibus fidei.

156) T. 1 *Epist.* f. 344^b. 157) Ibid. f. 345^a. 158) *Epist. De Decretis Nicaenae Synodi*, (P. G. 25, 415-430). 159) Ibid. col. 431.

SECTIO QUINTA

EPILOGUS SEU DE APOSTASIA ET DAMNATIONE M. LUTHERI

DISSERTATIO PRIMA

LUTHERUM SPIRITU ERRORIS ET VERTIGINIS DUCTUM DIABOLICAMQUE DOCTRINAM EDOCTUM EXIVISSE A ROMANA ECCLESIA NEC VERIOREM ECCLESIAM QUAESIISSE SED NOVAM FABRICASSE [1]

Videndum nunc, quid Lutherum maxime haereticum faciat.

I. Requireret ordinis ratio ut, cum ostenderimus [2] Lutherum attendisse *spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium,* [3] sive, ut graece est, *falsa loquentium*, omnis enim haeresis falsa doctrina est, sed in hypocrisi, sub fuco et larva verbi Dei praedicata et tradita ; nunc ostenderemus, quam adamussim in ipsum cadunt quadrantque omnes haereticorum notae stigmataque, in Sacris Litteris ad eos dignoscendos praescriptae et indicatae, quo certo certius sciamus Lutherum maxime esse meritoque dici et iudicari haereticum antichristo longe simillimum. Sed quia hac de re in *Polycarpi Laiseri*, in quem praesertim scribimus, *Hypotyposi*, quae ipsi cum Luthero communis futura est, dicturi sumus ; [4] tractationem hanc in eum locum transferimus. In praesentiarum unum tantum demonstrare constituimus, quod ad Lutherum haereticum ostendendum maxime facit.

Haeresiarcharum proprium est, ut Apostoli

Haereticorum enim, vel, ut melius veriusque dicam, haeresiarcharum, hoc maxime proprium semper extitit exire a coetu fidelium, deficere et apostatare ab antiqua veraque Christi Ecclesia, eaque tanquam

1) Cod. 2, f. 183ᵃ-188ᵇ. 2) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert.* 3, pag. 218-237 et *Hypotyposis Ecclesiae Lutheranae*, lib. 1, sect. 1, *Dissert.* 2, pag. 44 sqq. huius vol. 3) 1 Tim 4, 1-2. 4) Pars 3 proxime edenda.

falsa et erronea derelicta, veram minime quaerere, sed novam ex Scripturis perperam intellectis, dogmatibus e proprio cerebro confictis, fabricare. *Antichristi multi facti sunt,* inquit Ioannes dilectus, *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* [5] Et Iudas apostolus ait: *Hi sunt qui segregant semetipsos,* [6] idest, seipsos separant a coetu fidelium; egressi autem ab Ecclesia, eaque damnata, novam constituunt. Hinc Petrus ait de pseudoprophetis, quod *introducunt sectas perditionis,* [7] et Paulus in *Actis* quod *exurgunt viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se,* [8] quos et rapaces lupos appellavit. [9] Hinc enim factum est, ut omnes fere haereticorum sectae ab haeresiarchis auctoribus nomen acceperint. Hi dicti sunt Simoniani, Basilidiani, Saturniani; illi Valentiniani, Marcionitae, Montanistae; alii Ariani, Donatistae, Novatiani, Manichaei, Pelagiani, Sabelliani, Nestoriani, etc. Sic haeresiarcharum unusquisque, veteri derelicta damnataque Ecclesia, novam a proprio nomine condiderunt, praeter Apostolorum morem.

docent, apostatare ab Ecclesia novamque condere a proprio nomine,

Hinc enim Paulus minime passus fuit christianos vel in Apostoli alicuius, a quo conversi fuissent, nomine gloriari, sed tanquam humanum et carnale quid repulit. Cum enim apud Corinthios coepissent nonnulli hac de re gloriari, ita eos arguit, dicens: *Cum... sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem: Ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis.* [10] Non enim propriam, sed Christi gloriam pro virili quaerebant Apostoli; ideo non proprium, sed Christi nomen ubique illustrare modis omnibus satagebant. Haereticus autem, qui non est missus a Deo, sed a semetipso loquitur, quoniam *qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit,* [11] a proprio nomine gaudet sectam a se excitatam nuncupari.

contra morem Apostolorum, praesertim Pauli, qui de hac re Corinthios arguit.

II. Hoc autem haereticorum insigne maxime proprium quam sit in Martino Luthero conspicuum, nemo est qui non videat, modo omnino caecus non sit, adeo ut sepultus in tenebris nihil prorsus videat, aut

Hoc haeresiarcharum insigne Luthero ma-

5) 1 Io 2, 18-19. 6) Vr. 19. 7) 2 Petr 2, 1. Vulg.: *Introducent.* 8) 20, 30. Vulg.: *Exurgent.* 9) Cf. ibid. vr. 29. 10) 1 Cor 3, 3-5. 11) Io 7, 18.

ximé proprium videtur; nam prius catholicus fuit et Papae addictissimus;

videre queat. Quod enim ipse aliquando fuerit catholicus, romanus, monachus, sacerdos, doctor et ecclesiastes non fictus, sed ex animo, ipsemet abunde testatum reliquit in *Praefatione* primi tomi Operum suorum, [12] ac ita mansit usque ad annum 16 sui monachatus, quem suscepit anno aetatis suae 22, ut patet ex *Praefatione* ipsius in librum *De Votis Monasticis,* [13] existimans, ut ipse ait, ut superius adnotatum est, [14] quod Ecclesia Papae esset vera Ecclesia, ipsumque Papam non venerabatur solum, sed adorabat tanquam Christi Vicarium et supremum Ecclesiae caput secundum Christum in terra. [15]

cum vero intellexisset suos articulos damnatos fuisse, in Ecclesiam insurrexit eamque deseruit,

Ut autem intellexit articulos doctrinae suae a Leone X Romano Pontifice [fuisse damnatos], in furorem actus usque ad insaniam, appellavit a Papa ad generale concilium, [16] declaravitque Papam esse ipsissimum antichristum et Romanam Ecclesiam esse Babyloniam, sedem antichristi, ac insuper ipsum Papam cum omnibus Episcopis et universa Ecclesia, quae ei adhaeret, diris devovit et excommunicavit, seipsumque manifestarium haereticum, Ecclesiae catholicae acerrimum inimicum et adversarium declaravit. Testatur abunde haec omnia ipsius liber *Contra Bullam Leonis X Romani Pontificis.* [17] Unde perspicuum est Lutherum non agnitae veritatis amore, sed exercendae vindictae libidine, tanquam, ut sibi videbatur, [18] gravi iniuria lacessitus, Romanam Ecclesiam deseruit et transfuga a Christi Ecclesia ad antichristi synagogam transivit.

quasi mutata esset in satanae synagogam.

Dicam hic ego illud Ieremiae: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus !* [19] Ante damnationem articulorum erat Luthero Romana Ecclesia, ipsomet teste, aurum optimum. Quomodo statim aurum hoc pretiosissimum infelici metamorphosi mutatum est in stercus vilissimum ?

Posito quod Ecclesia facta

III. Sed demus Luthero, contra id quod dici solet et experientia ipsa ostendit: Impedit ira animum, ne possit cernere verum, ut, ira

12) W. L. t. 1, f. II^{a}. 13) Ibid. t. 2, f. 284^{b}. Advertat lector errorem in numeratione foliorum. 14) *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 2,* pag. 56-57; sect. 5, *Dissert. 12,* pag. 327-332. 15) *Praefat. De Viribus et Voluntate Hominis,* W. L. t. 1, f. 49^{b}; *Appellatio M. Lutheri a Cardinale ad Papam,* ibid. f. 218^{b}; epist. M. Lutheri *ad Leonem X,* ibid. f. 235^{b}; *Comment. Post. in Epist. ad Gal.* ibid. t. 5, f. 291. 16) *Appellatio M. Lutheri a Papa ad Concilium,* W. L. t. 1, f. 231-232. 17) Ibid. t. 2, f. 93^{b}-98^{b}. 18) *Appellatio M. Lutheri a Papa ad Concilium,* ibid. t. 1, f. 231 et t. 2, f. 50^{a}; *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 13,* pag. 338-341. 19) Thr 4, 1.

furens, cognoverit veritatem, nempe quod Romana Ecclesia non sit vera Christi Ecclesia, sed antichristi synagoga, acciderit Romanae Ecclesiae id quod olim synagogae Iudaeorum, quibus Dominus ait: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius,*[20] hoc est, auferetur a vobis vera fides veraque religio, et dabitur ecclesiae gentium,[21] sicut a tabernaculo Moysi translata fuit arca testamenti cum tabulis legis in templum a Salomone magnificentissime extructum,[22] abstulerit Deus veram fidem et vere catholicam christianamque religionem a Romana Ecclesia; cui genti dedit? In quam transtulit? Ubinam veram Ecclesiam constituit? Extra Ecclesiam veram non potest esse salus;[23] ipsa enim est mystica arca Noe.[24] Quaenam, quaeso, et ubi est ista arca Noe, in quam ingressus fuit salutis aeternae gratia Lutherus, a Romana Ecclesia egressus?

fuerit sedes antichristi, Luthero prius quaerenda fuisset vera Ecclesia;

cum extra Ecclesiam non sit salus,

Ut exemplis rem illustremus, Paulus quidem synagogam, in qua tum existimabat veram fidem et religionem divinam reperiri,[25] non dereliquit, nisi postquam coelesti oraculo per Christum iussus fuit Ananiam adire, ut ab eo instrueretur, baptizaretur et verae Christi Ecclesiae incorporaretur ac coagmentaretur.[26] Sicque synagogam reliquit, inventa Christi Deique Ecclesia. Idem legimus de Cornelio Centurione; religionem suam, in qua Deum avita pietate colebat, missam non fecit, nisi postquam, per Angelum Domini admonitus, Petrum accersivit, ac per eum edoctus, veram Christi fidem, religionem, Ecclesiam, baptizatus, invenit ac tenuit;[27] tunc antiquae religioni nuncium remisit. Sic eunuchus reginae Candacis,[28] sic Dionysius Areopagita,[29] sic D. Augustinus, manichaeus cum esset, sectam illam minime deseruit, nisi postquam per D. Ambrosium edoctus veram Ecclesiam, idest, Romanam, per legitimam Romanorum Pontificum successionem a D. Petro, Apostolorum principe, usque ad Siricium Papam originem suam demonstrantem evidenti ratione comperit.[30]

sicut fecerunt Paulus, Cornelius, etc.

Nunc dico: Deseruit Martinus Lutherus Romanam Ecclesiam tanquam synagogam antichristi; dicat: Quaenam est vera Ecclesia

Lutherus autem de-

20) Mt 21, 43. 21) Cf. Act 13, 46. 22) Cf. 3 Rg 8, 1-6. 23) S. Cyprianus *De Haereticis Rebaptizandis*, (P. L. 3, 1123); S. Hieronymus epist. 15, ibid. 22, 355. 24) Cf. 1 Petr 3, 20. 25) Cf. 1 Tim 1, 13. 26) Cf. Act 9, 1-22. 27) Cf. ibid. 10, 1 sqq. 28) Cf. ibid. 8, 27-38. 29) Cf. ibid. 17, 34. 30) Vita S. Augustini, lib. 2, cp. 2-4, (P. L. 32, 98-111); epist. 53, ibid. 33, 196; *Contra Iulianum Pelagianum*, lib. 3, cp. 3, ibid. 44, 645; *De Utilitate Credendi ad Honoratum*, cp. 8, ibid. 42, 78-79.

serult Romanam Ecclesiam, sed aliam non quaesivit;

Christi, ad quam transivit? Dicat, dicat, quaeso; vel dicat, qui in ipsius locum successit, Polycarpus Laiserus: Antequam Lutherus a Romana Ecclesia deficeret eamque diris devoveret tanquam satanae synagogam, quaenam erat vera Christi Ecclesia? Aut ubi erat? In paganismo? An in iudaismo vel mahumetismo? Forte apud haereticos Nestorianos et Eutychianos vel etiam schismaticos in Graecia, in Armenia, Aethiopia, vel apud Hussitas in Boihemia? Sed ad nullam istarum sectarum Lutherus se contulit, veram Ecclesiam minime quaesivit.

cum tamen ipse doceat non posse inveniri Christum, nisi prius inveniatur Ecclesia;

Et tamen mirabile est, quod ipse etiam aliquando docuit non posse inveniri Christum, nisi prius inveniatur Ecclesia. In *Postilla* enim *Ecclesiastica in die Natalis Domini*, explicans Evangelium Lucae, loquens de pastoribus, qui Christum invenerunt, ait [31] quod « qui Christum inventurus est, necesse habet prius Ecclesiam invenire », sicut pastores dicuntur invenisse Mariam priusquam infantem Iesum. [32] Et in eodem sermone ait: [33] « Quomodo sciretur Christus et fides eius, nisi prius sciantur fideles eius? Et qui aliquid de Christo nosse cupit, non debet sibi fidere aut privatum sua ratiocinatione pontem in coelum extruere, sed Ecclesiam adire, visitare et consulere, quae conservat omnia verba Dei in corde suo eaque ponderat, confert secum et cum Scripturis ». Ita Lutherus, exponens illud: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* [34]

sed novam fundavit, ut Valentinus, etc.

Nunc dico: Quam Ecclesiam invenit Lutherus, relicta Romana? Quam adivit? Quam consuluit? Quomodo ergo, non inventa prius Ecclesia, Christum invenit? Ecclesiam nec invenit, nec quaesivit; sed tantum Scripturis dans operam, ex suo cerebro proque suo libito novam ecclesiam sicut Valentinus, sicut Marcion, sicut Arius, sicut Donatus, sicut Manes a fundamentis sectam a suo nomine fabricavit.

Num forte perierat omnino Ecclesia, contra Christi promissa?

Forte funditus perierat corrueratque Ecclesia, ut reparatore Luthero opus fuerit, contra Christi promissa: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* [35] et: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi?* [36] Iam de mundo perierat omnino, sicut Donatistae haeretici comminiscebantur, quod per Donatum in Africa fuerit reparata? [37]

31) 2, 16 sqq. 32) *Kirchenpostille*, f. 84, Wittenberg, Hans Lufft 1547. 33) Ibid. 34) Lc 2, 19. 35) Mt 16, 18. 36) Ibid. 28, 20. 37) S. Augustinus *De Unitate Ecclesiae*, cp. 17, (P. L. 43, 425); *Contra Cresconium Donatistam*, lib. 4, cp. 58, ibid. col 587.

Sed bene in eos D. Augustinus libro *De Baptismo:* [38] « Si Ecclesia iam universum per orbem perierat ; unde ergo, inquit, Donatus apparuit, de qua terra germinavit ? Ex quo mari emersit ? De quo coelo cecidit ? » Ita inquam nunc ego : Si perierat Ecclesia omnino ante Lutherum, cum sancta Ecclesia *mater* dicatur [39] et sit omnium verorum christianorum, ex mortua iamdiu matre quomodo nasci potuit Lutherus ? Num formatus a Deo sicut novus Adam de terra ? [40] Facile novus Adam, hominum non reparator, sed perditor.

Si perierat, ex mortua matre natus est Lutherus.

IV. Sed, quoniam Lutherum faciunt tertium Eliam, [41] volunt veram Christi Ecclesiam non periisse quidem de mundo, sed latitasse, [42] sicut in diebus Eliae accidit, ita ut existimarit Elias solus remansisse cultor Dei in mundo : *Altaria,* inquit, tua *destruxerunt, et Prophetas... occiderunt, et relictus sum ego solus,* [43] cum tamen multi essent fideles in terra. Unde ait ad ipsum divinum oraculum : *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genu Baal.* [44]

Dicunt Lutherani Ecclesiam eo tempore latitasse, ut in diebus Eliae;

Sed ne, quaeso, imponant nobis evangelici viri, neque illudant ; non enim ait Elias, quod esset solus Dei cultor, sed Propheta, nec loquitur de universa Ecclesia, sed in regno Israelis, in quo a regibus idololatriae deditis acerbissimas persecutiones sustinebant veri Dei cultores, in primis vero prophetae, qui populum in officio pietatis continebant.

sed inane est hoc effugium, nam agitur ibi de ecclesia particulari Israelis,

Eliae autem tempore in regno Iuda mirum in modum florebat Dei cultus et religio. Floruit enim Elias, ut ex Sacris Litteris luce clarius est, regnante in Israel impio Achab cum impiissima Iezabele. [45] Tempore autem regis Achab regnabat in Ierusalem pientissimus rex Iosaphat *3 Regum* [46] et *2 Paralipomenon,* [47] cuius pater etiam magnae in Deum pietatis testimonium habet, *2 Paralipomenon* [48] et *3 Regum ;* [49] universum enim Iudaeorum regnum ab omni labe idololatriae purgavit, et sacrosanctam religionem sartam tectam reddidit. Regnavit autem annis quadraginta [et uno] [50] Iosaphat, qui, ut dicitur *2 Paralipo-*

dum Ierosolymis florebat religio;

38) Lib. 3, cp. 2, ibid. col. 140. 39) Gal 4, 26. 40) Cf. Gn 2, 7. 41) *Hypotyposis M. Lutheri,* vol. 2, part. 1, sect. 2, *Dissert. 1,* pag. 47-48. Io. Fabricius *Centifolium Lutheranum,* pag. 374-385. 42) *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum,* W. L. t. 7, f. 455ᵇ. 43) 3 Rg 19, 10. Vulg.: *Derelictus.* 44) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Derelinquam mihi in Israel..., quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* 45) Cf. ibid. 18, 4. 46) Cf. 22, 2 sqq. 47) Cf. 18, 1 sqq. 48) Cf. 14, 2-5. 49) Cf. 15, 11-15. 50) Cf. ibid. 15, 10. Ms.: *Quadraginta* tantum.

menon, ambulavit in via patris sui..., et *non declinavit ab ea, faciens quae placita erant coram Domino,* [51] regnavit annis, viginti quinque, [52] et cultum divinae pietatis mirum in modum auxit. [53]

quin etiam alii Prophetae erant in Israel.

Haec autem quomodo divinum vatem Eliam latere potuerunt, quae mundo notissima erant ? Quod si minime latebant ; quomodo dicere potuit se solum Dei cultorem relictum in mundo ? Quin ne propheta quidem solus erat in Israel ; nam vivebat Michaeas propheta, quem Achab oderat, qui nonnisi vera ei vaticinabatur, [54] et superstites adhuc erant centum Prophetae, quos Abdias dispensator domus regis Achabi abscondit servavitque, cum impiissima Iezabel omnes Prophetas Domini occiderat. [55] Sed ita locutus fuit Elias, quia Iezabel innumeros Prophetas occiderat, et Eliam cum primis de medio tollere cupiebat, propterea ait : *Prophetas tuos occiderunt, et relictus sum ego solus, et quaerunt animam meam.* [56] Utique solus relictus erat ex Prophetis, qui palam et publice divinum tueretur honorem ; nam qui superstites fuerant, propter metum persecutionis latitabant, sicut centum illi Prophetae, quos Abdias alebat. [57]

Qui latitantem Ecclesiam fingunt, pseudoprophetae sunt, a Christo praedicti,

Quare miserum est et inane effugium de latente Ecclesia et contra verbum Christi, a quo dicta fuit *civitas... supra montem posita*, quae abscondi non potest. [58] Qui autem latitantem Christi Ecclesiam faciunt, primo quidem se illos esse ostendunt pseudoprophetas, quos venturos Dominus praedixit, dicentes : *Ecce hic est Christus, aut illic.* [59] Sed et praemonuit : *Si... dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus* est, *nolite credere.* [60]

qui Ecclesiam multo infeliciorem faciunt synagoga Iudaeorum,

Deinde, cum secundum Scripturas Ecclesia Dei sub Novo Testamento multo futura esset augustior et gloriosior synagoga sub Testamento Veteri, [61] sicut templum Salomonis multo magnificentius fuit tabernaculo Moysi ; boni isti viri, qui a temporibus D. Gregorii Ecclesiam Christi propter metum antichristi, idest, Romani Pontificis, ut comminiscuntur, latitare asserunt, [62] faciunt eam multo infeliciorem miserrima synagoga Iudaeorum, a Christo reprobata. Nam Iudaei quidem etiam in deploratissima captivitate positi habent semper

quae nunquam abscondita fuit.

51) 20, 35. Vulg.: *Nec*, loco: *Non*. 52) Cf. ibid. vr. 31. 53) Cf. ibid. 19, 4-11. 54) Cf. 2 Par 18, 12-18. 55) Cf. 3 Rg 18, 4. 13. 56) Ibid. 19, 10. 57) Cf. 3 Rg 18, 4. 13. 58) Mt 5, 14. 59) Ibid. 24, 23. 60) Ibid. vr. 26. 61) Cf. Agg 2, 8-10; Is 54, 1; Gal 4, 25-31. 62) *Adversus Papatum Romae a Diabolo Fundatum*, W. L. t. 7, f. 455b.

semperque habuerunt suas synagogas, sicut Iacobus apostolus in *Actis* ait: *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* [63] Sic etiam temporibus Tertulliani, Cypriani, Augustini, Gregorii ad haec usque nostra tempora Iudaei habent ubique gentium, ubi « palabundi, ut Cyprianus loquitur, [64] et a patrio solo et coelo profugi habitant », habent suas synagogas, ubi legunt per omne sabbatum legem et Prophetas, orant psalluntque, servant sua sabbata festaque legalia, circumciduntur et publice secundum morem legis suae habent suae religionis exercitia. Et Christi vera Ecclesia a mille annis, semper in penetralibus latitans et in tenebris sepulta, nullum habuerit christianae religionis publicum exercitium? Tandiu Christum coram omnibus erubuerit, et timens eos, *qui occidunt corpus,* [65] sine publica Christi confessione et Evangelii vera sinceraque praedicatione manserit, sine Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit... pascere Ecclesiam Dei,* [66] et quos Deus posuit *pastores et doctores... in opus ministerii, in aedificationem* [67] *corporis Christi* [68] usque in finem? Quinam, quaeso, fuerunt tot saeculis Episcopi, pastores et doctores istius latitantis et in penetralibus absconditae ac in tenebris sepultae Ecclesiae; cum [69] iuxta Evangelium Ecclesia a Christo fundata fuerit, sicut civitas munitissima supra montem posita, quae nec expugnari possit, nec abscondi?

Iuxta Lutherum Ecclesia est coetus fidelium, in quo est sincera praedicatio, etc.; quae cum non invenisset in R. Ecclesia,

V. Est autem Ecclesia, Luthero auctore, libro *De Ecclesia et Conciliis,* [70] multitudo fidelium, in qua est sincera praedicatio verbi Dei et sincerus usus Baptismi, Eucharistiae, clavium et legitima electio ministrorum ad praedicandum et ministrandum sacramenta cum publica oratione et psalmodia. Haec autem non erant, ut ipse tandem perspexit, in Romana Ecclesia, ac propterea eam tanquam falsam ecclesiam Christi veramque satanae synagogam dereliquit. Ubi ergo invenit, in qua orbis parte hanc fidelium multitudinem invenit, in qua lutherano more haberetur sincera praedicatio evangelii et sincerus sacramentorum usus? Quis unquam ante Lutherum docuit Lutheri

63) 15, 21. 64) *De Idolorum Vanitate,* (P. L. 4, 578). 65) Mt 10, 28. 66) Act 20, 28. Vulg.: *Regere,* loco: *Pascere.* 67) Ms.: *Aedificatione.* 68) Eph 4, 12. 69) Ms. adiungit: *Igitur.* 70) *Von den Conciliis und Kirchen. Bey Welchen Zeichen die Christliche Kirche zu erkennen sey,* I. G. t. 7, f. 279a-281a sqq.; W. G. t. 7, f. 503a-504a. 507b.

evangelium et lutheranae dogmata fidei? Qui populus unquam sic credidit, ut L u t h e r u s credendum docuit?

aliam fabricatus est;

Quia igitur non invenit Ecclesiam, in qua esset pro suo arbitrio sincera praedicatio verbi Dei et sincerus sacramentorum usus, ac si Ecclesia Christi omnino periisset, novam architectatus et a fundamentis fabricatus fuit, ita ut a Lutheri persona Ecclesia Christi, quae a multis saeculis iamdiu perierat, sit nuperrime inchoata, Lutherusque primus post tot saecula fuerit christianus.

sic transiens a domo Petri ad synagogam satanae, ut Simon Magus.

Sed quaenam haec sunt insanissimi capitis deliramenta? Non transivit cum Apostolis, Christum sequens, Lutherus a synagoga in domum Simonis, sed cum Simone Mago a domo Simonis Petri in synagogam satanae; et licet seipsum Paulo se comparet in *Praefatione* Operum suorum, dicens quod, cum esset in papatu, Saulus erat, [71] mentitur tamen in caput suum, [72] nam Paulus a Christo conversus certissimus redditus fuit de vera fide et Ecclesia, propterea *invalescebat et confundebat Iudaeos..., affirmans quoniam hic est Christus.* [73]

Tamen prius diu dubitavit,

VI. Lutherus autem deserta Romana Ecclesia diu dubitavit, cum tamen articulus sit maxime principalis: Credo sanctam Ecclesiam catholicam; [74] nam qui *Ecclesiam non audit, est... sicut ethnicus et publicanus.* [75]

pene in desperationem actus,

Quod autem de Ecclesia dubitaverit, ex ore ipsius testimonium habemus. In *Praefatione* libri *De Abusu Missae:* « Quam saepe, inquit, [76] cor mihi palpitavit, meque coarguit, atque obiecit: Tu ne solus sapiens, ceteri omnes errent, ac tanto tempore errarint? Quid si tu erres, ac tot in errorem seduceres perpetuo supplicio condemnandos? » In *Praefatione* nanque *ad Propositiones* suas *De Viribus et Voluntate Hominis sine Gratia,* fassus de principio suae causae contra papatum et sophistarum regnum, quodque per imprudentiam in causam istam lapsus sit, ait: [77] « Quae et qualia cor meum isto primo et secundo anno passum fuerit, quantaque fuerit mea tunc non ficta humilitas ac pene desperatio, ah quam parum norunt illi, qui post vulneratam Pontificis maiestatem coeperunt superbissime invadere! »

71) W. L. t. 1, f. II^a. 72) Cf. Dn 13, 55.59. 73) Act 9, 22. Vulg.: *Convalescebat.* 74) Denzinger n. 6. 86. 75) Mt 18, 17. Vulg.: *Non audierit, sit tibi, etc.* 76) W. G. t. 7, f. 261^b. 77) W. L. t. 1, f. 49^b.

Sed quaenam, quaeso, ista tam magna tanque diuturna cordis angustia? Post pauca ait:[78] « Cum omnia argumenta superassem per Scripturas, hoc unum cum summa difficultate et angustia tandem, Christo favente, vix superavi, Ecclesiam scilicet esse audiendam ». Hoc autem, quoniam, ut sequitur,[79] Ecclesiam Papae pro vera Ecclesia coluerat. Duobus igitur annis Lutherus summa cum difficultate et angustia laboravit, ut hoc argumentum dissolveret ac superaret, ac vix tandem superavit, ut se ab obedientia Ecclesiae Romanae eximeret; cum tamen eodem tempore causam contra papatum ageret.

summa difficultate superans argumentum de Ecclesia audienda;

Quis non hic videat quod Lutherus tanquam impius alastor male sibi conscius, reluctante conscientia, Ecclesiam Papae, quam pro vera Ecclesia coluerat, impugnabat? Licet enim, ut ipse ibidem loquitur,[80] multi boni viri propositiones suas laudarent; impossibile tamen fuit, illos ut Ecclesia aut organa Spiritus Sancti agnosceret, quoniam Papam, Cardinales, Episcopos, theologos suspiciebat.

dum contra suam conscientiam Ecclesiam impugnaret.

Nec tamen tantum per biennium duravit Lutheri pugna ista et contestatio cum propria conscientia. In libro enim *De Servo Arbitrio in Erasmum Roterodamum*, cum dixisset ille in sua *Diatribe*:[81] « Movet me nonnihil tam numerosa series eruditissimorum virorum, tot saeculorum consensu approbatorum, inter quos fuerunt peritissimi Sacrarum Litterarum, item sanctissimi aliqui martyres, multi miraculis clari, adde recentiores theologos, tot academias, concilia, Episcopos, Pontifices »; respondens Lutherus, ait:[82] « Fateor, mi Erasme, non immerito te istis omnibus moveri; ego ultra decennium istis omnibus sic motus sum, ut nullum alium arbitrer esse, qui aeque sit istis permotus, eratque mihi incredibile ipsi hanc Troiam nostram, tanto tempore, tot bellis invictam, posse aliquando capi ». Si per decennium tantopere permotus fuit auctoritate Pontificum, conciliorum, academiarum, martyrum et virorum eruditissimorum et sanctissimorum, qui a partibus Romanae Ecclesiae sunt, nec tamen toto decennio eam desiit impugnare; qualinam, quaeso, Lutherus conscientia tandiu fuit? Qualis animus tam male sibi conscius?

Ultra decennium haec interna pugna duravit.

78) Ibid. 79) Ibid. 80) Ibid. 81) *De Libero Arbitrio Diatribe*, t. 9, col. 1218. S. Auctor verba Erasmi refert qualia in Luthero prostant. 82) W. L. t. 2, f. 469ª.

Lutherus contra communem ordinem, de repente factus est pessimus, nam prius erat cultor et adorator Papae, ut ipse multis in locis fatetur.

VII. Dici solet, et verum est, quod nemo repente fit summus, tantum in Luthero haec regula passa est exceptionem; nam, antequam a Leone X haereseos damnaretur, summus erat Romani Pontificis cultor, ita ut, sicut in *Praefatione* ad articulos *De Viribus et Voluntate Hominis sine Gratia* ait, [83] Papae articulos, idest, doctrinae dogmata, adoraret; et in *Praefatione* primi tomi ait [84] quod in defendendo papatu tam erat vehemens, tam serio agebat, ut paratissimus esset omnes, si potuisset, occidere, qui Papae vel in una syllaba obedientiam detrectarent. Priore epistola *ad Leonem X* ita scribit: [85] « Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuae Beatitudinis offero. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba ut placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te praesidentis et loquentis agnoscam ». Et in epistola posteriori: [86] « Beatissime Pater, coram Deo et tota creatura sua testor me neque voluisse neque hodie velle Ecclesiae Romanae ac Beatitudinis tuae potestatem ullo modo tangere, quin plenissime confiteor huius Ecclesiae potestatem esse super omnia, nec ei praeferendum quidquam sive in coelo sive in terra praeter unum Iesum Christum ».

In *Appellatione* sua *a Cardinale Caietano ad Romanum Pontificem*, de Leone X ita loquitur: [87] « Cum Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Leo X, cuius clementia et veritatis et iustitiae observantia per totum orbem celebratur dignissime »; et postea: [88] « Cum fatear me solummodo disputasse et omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis X subiecisse, ut occidat, vivificet, reprobet, approbet sicut placuerit, et vocem eius vocem Christi in eo praesidentis agnoscam ». Praeterea, quod maius est, timens ne a Leone X damnaretur, damnationem antevertere voluit *Appellatione a Papa ad Concilium*. Appellationem tamen facit praemissa hac expressa et solemni protestatione [89] « quod contra unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram et obtinere principatum non ambigo, inquit, Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem et Sanctissimi Domini nostri Papae bene consulti potestatem nihil dicere intendo ». Ibique fatetur Papam Dei vices gerere in terris. [90]

83) Ibid. t. 1, f. 49ᵇ. 84) Ibid. f. II. 85) Ibid. f. 101ᵇ. 86) Ibid. f. 235ᵇ.
87) Ibid. f. 218ᵇ. 88) Ibid. 89) Ibid. f. 231ᵃ. 90) Ibid.

Sic videmus ad hanc usque horam Lutherum papistam, catholicum, romanum Romanique Pontificis cultorem; et ecce tibi ad Lutheri aures fama pervenit a Leone X damnatum se esse haereseos. Accepta autem relatione latae in ipsum sententiae a Romano Pontifice, statim ex tempore factus fuit ei Romanus Pontifex purus putus antichristus, Ecclesia Romana sedes antichristi et omnes Episcopi cum omnibus, qui Romano Pontifici parent, facti sunt ministri et servi antichristi. E vestigio scripsit librum *Contra Execrandam Bullam Antichristi*, [91] librumque in Romanam Sedem, quem *De Captivitate Babylonica* indigitavit. [92] Quis non hic videat impii Amani perditissimi hominis furias, qui cum ab uno Mardochaeo viro Iudaeo se iniuria lacessitum arbitraretur, de Iudaeis omnibus ad explendam vindictae libidinem poenas sumere voluit? [93]

Statim vero ac nuncium damnationis suorum articulorum accepit, Romanus Pontifex factus est antichristus.

Esto, peccaverit Romanus Pontifex damnando Lutherum; universa Ecclesia quid peccavit? Cur universam ecclesiasticam potestatem pessumdedit [94] et de medio tulit, universamque Ecclesiam, quae sub Papa est, prorsus damnavit? Lutherus ipse dicat, quid hac de re sentiendum sit. In sermone enim *De Excommunicatione* ita loquitur: [95] « Id super omnia et in omnibus considerandum est, quod potestas Ecclesiae, cum sit Christi potestas, licet pro nostris peccatis plerumque tradatur Pilatis, Herodibus, Annis et Caiphis violentisque aliis tyrannis, nostrum tamen est eam summis semper studiis revereri et colere exemplo Christi, qui sic Annam, Caipham, Pilatum honoravit. Ideo nec indignissimae eius abusiones nos debent permovere, quin quidquid ipsa fecerit hilariter feramus, aut saltem cum reverentia declinemus. Nam tempus nostrum periculosum est, ideo prudentissime oportet nos agere, ne propter personas potestatem pariter vilipendamus, imo propter potestatem vilissimas etiam personas honoremus ». Et postea subiungit: [96] « Excommunicatio iniusta nobilissimum meritum est, ideo dulciter ferenda, si excusationi tuae humiliter praestitae locus non fuerit datus. Hic enim dices illud: *Maledicent illi, et tu benedices;* [97] tantum vide ne potestatem contemnas. Vis potestatis prodest, contemptus vero te perdet ».

Etiamsi Summus Pontifex in Lutherum errasset, ipse, iuxta suam doctrinam, debuerat Ecclesiam revereri eique non rebellare;

Optimum sane magistrum Lutherus hic agit. Sed turpe

at quod sa-

91) Ibid. t. 2, f. 88ᵇ sqq. 92) Ibid. f. 63ᵃ sqq. 93) Cf. Esth 3, 12-13.
94) Ms.: *Pessumdavit.* 95) W. L. t. 1, f. 63ᵇ. 96) Ibid. 97) Ps 108, 28.

plenter docuerat, minime praestitit,

est magistro, cum culpa redarguit ipsum. Fuerit Leo X violentus, tyrannus, cuius tamen prius clementia, et iustitiae veritatis observantia universum per orbem dignissime celebrabatur ; [98] fuerit Pilatus, Annas, Caiphas, abusus fuerit indignissime potestate sua, fuerit iniusta excommunicationis ab ipso lata sententia; cur Lutherus eam dulciter minime tulit ? Cur nobilissimum hoc meritum respuit ? Cur potestatem tantopere contempsit, et Christi Ecclesiam in antichristi sedem et satanae synagogam propter talem excommunicationem transtulit ? Cur non cum Christo Pilatum, Annam, et Caipham honoravit ? Cur propter personam potestatem prudentissime minime non tantum non honoravit, sed etiam indignissime vilipendit, cum, ut ipsemet ait, contemptus potestatis hominem perdat ?

sed omnia vilipendere et conculcare sategit, ut *aper de silva.*

Sed L u t h e r u s vilipendere non satis esse ratus et pedibus conculcare, sicut porcus margaritas pedibus conculcat, abolere omnino voluit et cum universa Ecclesia prorsus convellere et ad nihilum redigere, ut de ipso vere dici illud possit, quod de exterminatore vineae Domini exercituum [98a] R e g i u s V a t e s ait : *Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam.* [99] Singularis graece non *monos*, sed *monios*, [100] quae vox *silvestrem porcum* significat maxime ferum, hebraice *Ziz agri, fera agrestis.* [101]

Dicitur autem silvestris porcus vitibus maxime inimicus easque radicitus extirpare. Ita sane Lutherus Catholicis, qui per vites [102] in vinea Domini designantur, maxime fuit infensus, catholicam Ecclesiam, quam deseruit, pro virili exterminare curavit.

Repudiata R. Ecclesia, cum veram nec quaesierit, neque invenerit, sed tantum suo arbitrio Scripturae sensum investigarit; fa-

Cum autem repudiata, ut ita loquar, Romana Ecclesia tanquam antichristi synagoga falsaque ecclesia, ad veram ab initio a Christo supra montem fundatam minime se contulerit, nec veram Ecclesiam quaesierit, sed tantummodo verum pro suo arbitratu Scripturae sensum investigaverit, quasi idem esset Ecclesia et Scriptura, idem vera Ecclesia cum vero sensu Scripturae, quod summa insania est ; factus est homo sine Ecclesia, ac per consequens sine vera fide, sine Christo,

98) Epist. *ad Leonem X*, W. L. t. 2, f. 1b. 98a) Cf. Is 5, 7. 99) Ps 79 (80), 14.
100) Septuaginta habent: Μονιὸς ἄγριος. Cf. Vigouroux *La Sainte Bible Polyglotte.* Haec vox generatim significat quoddam genus ferarum, quae sunt solivagae et solitariae prae nimia ferocitate, v. g. ut sus silvester. Cf. Migne *Scripturae Sacrae Cursus Completus*, t. 15, col. 981.
101) Vox hebraica: זִיז, significat animal solivagum quidem, sed aliis truculentius, ibid. et Io. Buxtorfius *Lexicum Hebraicum* in h. v. 102) Ms.: *Viteas.*

sine Deo. Cumque sicut corvus extra arcam Noe egressus ac nunquam reversus fuerit[103] ipse, consequens est, ut omnes, qui ipsum sequuntur, sint extra Ecclesiam, sine Christo, sine Deo; ferme, sicut 2 *Paralipomenon* legimus, *transibunt... multi dies in Israel absque Deo vero et absque sacerdote doctore et absque lege.*[104] Quis non videt Lutheranos absque sacerdotibus et legitimis doctoribus? Absque Episcopis, sine quibus non potest esse Ecclesia? Hoc autem Luthero auctore, atque hic fuit unus et quidem praecipuus fructus novi istius evangelii.[105] Sed praestat tandem ut de fructibus evangelii istius aliquid dicamus.

ctus est homo sine Ecclesia, sine Christo, sine Deo.

DISSERTATIO SECUNDA

MARTINUM LUTHERUM AB HOMINIBUS A SEIPSO A DEO DAMNATUM HAERESIARCHAE ARIO FUISSE IN SUA DAMNATIONE SIMILLIMUM AFFERTURQUE IUDICIUM LUTHERI DE SEIPSO[1]

Lutherus Ario similis fuit in damnatione.

I. Ex his autem, quae de Lutheri damnatione dicta a nobis sunt,[2] manifeste liquet, quod revera fuerit, sicut de haeretico homine Paulus *ad Titum* scribit, αὐτοκατάκριτος[3] *proprio iudicio condemnatus;*[4] corde nanque obduratus et in sua sententia et haereseos perfidia pertinaciter obfirmatus, nil minus quam Arius aut quis alius maxime haereticus incorrigibilis fuit. Sed, quoniam Ario cum primis Lutherum similem, in multis etiam superiorem reperimus,[5] non ab re fore existimamus demonstrare ipsum hac etiam in re perquam similem et superiorem.

Arius in haeresim lapsus, ab Episcopo

Damnatus fuit ab utroque magistratu Arius propter haeresim, sicut in historiis ecclesiasticis legimus. Cum enim lapsus fuisset in haeresim, dum Alexandriae presbyter esset, et a Meletio deprehensus,

103) Cf. Gn 8, 7. *Biblia Sacra iuxta Latinam Vulgatam Versionem* Romae, iussu Pii PP. XI edita, typis Polyglottis Vaticanis 1926. 104) 15, 3. 105) S. Laurentius aliquarum *Dissertationum* ordinem pluries mutavit, quin ad definitivam ipsarum dispositionem veniret. De hac re cf. *Introductio Generalis in Hypotyposim M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, pag. XXIII sqq.; cf. etiam *Introductio* huius vol.

1) Cod. 2, f. 257a-262b. 2) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 4, *Dissert. 2-4*, pag. 150-192. 3) Ms.: Αυτοκατακριτος. 4) 3, 11. 5) Cf. *Hypotyposis M. Lutheri*, *Dissert. 2-3*, sect. 2, pag. 99 sqq. et *Dissert. 3*, sect. 5, pag. 227 et passim.

Alexandrino damnatus, contra ipsum Episcopum insurrexit;

denunciatus fuisset Alexandro episcopo Alexandrino, ut S. Ephiphanius scribit,[6] ab Episcopo monitus correctusque, cum ab errore resipiscere minime voluisset, coacto ab Episcopo Episcoporum et presbyterorum concilio anathemate mulctatus et sacerdotalis dignitate privatus, Alexandria pulsus fuit.[7] Damnatus autem ab episcopo Alexandrino et concilio, nihilo melior, quin multo deterior factus in Episcopum iras suas furiose convertit tanquam in acerrimum persecutorem suum. Ita enim scribit *ad Eusebium*, Nicomediensem episcopum, dicens: « Eusebio, domino suo amantissimo, homini Dei fideli, orthodoxo, Arius, quem Alexander Papa iniuste insectatur ob veritatem, quae vincit omnia ».[8] Et postea: « Episcopus Alexander graviter nos oppugnare, persequi et omnem, ut dicitur, rudentem contra nos movere coepit eo quidem animo, ut nos veluti homines impios a civitate ideo expellat, quod ei minime assentimur praedicanti ».[9] Non possunt haeretici a diabolo excaecati errorem suum agnoscere, sed tanquam caeci et *palpantes in meridie*,[10] *ponunt lucem in tenebras et tenebras in lucem, dicentes malum bonum et bonum malum*,[11] catholicam fidem haeresim arbitrati et suam haeresim ipsissimam fidei veritatem.

a Basileo et Athanasio confutatus, in Nicaena synodo damnatus, minime resipuit;

II. Fuit praeterea Arius a viris doctissimis confutatus; sed lavarunt aethiopem, et in arena seminarunt. Licet enim a S. Basileo episcopo Amaseno et martyre fuerit Arii haeresis valide cum primis confutata,[12] et postea ab Athanasio aliisque;[13] tamen, quia Eusebium Nicomediensem episcopum invenit patronum cum multis aliis Episcopis, mirum in modum propagata invaluit.[14] In concilio Nicaeno non semel aut iterum redargutus convictusque fuit ab Episcopis et tandem totius concilii sententia damnatus, excommunicatus et renunciatus haere-

6) *Adversus Haereses, Haeres. 69*, (P. G. 42, 207). 7) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 1, ibid. 82, 886. 8) S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 69*, ibid. 42, 210; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 4, ibid. 82, 910. 9) S. Epiphanius *Adversus Haereses, Haeres. 69*, ibid. 42, 210-211; Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 4, ibid. 82, 911. 10) Iob 5, 4. Vulg.: *Palpabunt.* 11) Is 5, 20. Vulg.: *Dicitis malum..., ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.*
12) C. Baronius *Annales Eccles.* an. 315, t. 3, pag. 598. 13) *Disputatio contra Arium*, (P. G. 28, 439 sqq.); *Apologia contra Arianos*, ibid. 25, 247 sqq.; *Orationes adversus Arianos*, ibid. 26, 11 sqq. 14) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 7, ibid. 67, 42; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 15, ibid. col. 907; Rufinus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 5, (P. L. 21, 472); S. Hieronymus *Adversus Luciferianos*, ibid. 23, 172; Vincentius Lirinensis *Commonit. 1*, ibid. 50, 641-642.

ticus, minime ad sanam mentem rediit.[15] Nec modo in Nicaena synodo damnatus proscriptusque fuit, verum etiam in Antiocheno priori;[16] in Sardicensi[17] vero aliisque conciliis[18] anathematis sententia perculsus auctoritate ecclesiastica fuit.

a Constantino M. admonitus et ad concordiam invitatus, superbe respondit;

Et praeterea politica potestate per Constantinum Magnum repressa non parum fuit perditissimi hominis execranda temeritas. Fuit in primis a pientissimo Imperatore Arius commonefactus, ut discordiae incendium restingueret. Cum enim Imperator certior factus fuisset de turbis inter orientis Episcopos Arii causa excitatis magnisque concertationibus in Ecclesia agitatis, per Hosium Cordubensem episcopum litteras dedit *ad Alexandrum episcopum et Arium*, quibus eos ad concordiam pacemque cohortatus fuit.[19] Extant autem litterae apud Eusebium,[20] in quibus Arium ita alloquitur: « Tuque, Ari, istud, quod neque initio animo complecti, et quod fuisses complexus silentio praeteriisse debebas, inconsiderate effutivisti, unde discordia inter vos concitata, tum conventus, qui in Ecclesia fieri solent, impeditus, tum populus sanctissimus varie in utramque partem distractus, ex totius corporis Ecclesiae compage divulsus est ». Superbus autem et turgidus haeresiarcha reddidit Imperatori litteras, quae minime quidem extant; sed ex Constantini rescripto constat eas fuisse parum officiosas minusque tam sublimi imperatoria maiestate dignas.[21]

ideo Imperator contra Arium prius epistolam scripsit,

Scripsit pientissimus Imperator contra Arium epistolam, ut S. Epiphanius scribit,[22] qua insanum haereticum suis coloribus depingit, et, ut merebatur homo, « malus interpres et diaboli imago atque statua dicitur », impietate haereseos et mille vitiis damnatum traducit. Quas quidem litteras, ut auctor est Socrates,[23] Imperator magis populari et fusa scribendi ratione compositas, quo eius amentiam salsius morderet et lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis civitatibus passim divulgari curavit. Extat autem integra epistola apud Caesarem Baronium.[24] Ita pientis-

15) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 8-9, (P. G. 67, 59-86). 16) Cp. 24, ibid. col. 143-146; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 3, cp. 5, ibid. col. 1042-1046. 17) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 20, ibid. col. 234-239; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 3, cp. 11-12, ibid. col. 1059-1066.
18) Cf. Denzinger n. 61. 85. 223. 271. 19) Eusebius Caesar. *De Vita Constantini*, lib. 2, cp. 63-72, (P. G. 20, 1035-1047); Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 7, ibid. col. 54-55; Constantinus epist. *ad Alexandrum Episcopum et Arium*, (P. L. 8, 493-501). 20) Cp. 69, (P. G. 20, 1042). 21) Epist. Constantini *Ario et Arianis*, (P. L. 8, 509). 22) *Adversus Haereses, Haeres. 69*, (P. G. 42, 218). 23) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 9, ibid. 67, 98. 24) *Annales Eccles.* an. 319, t. 4, pag. 4-8.

simus Imperator impiissimum haeresiarcham infamissimum ubique gentium reddidit.

postea edictum promulgavit, quo Arius ut haereticus notabatur, eiusque libri igni damnabantur.

Postea vero, ut Sozomenus tradit,[25] contra ipsum et omnes fautores ipsius publicum edictum Episcopis omnibus et populis scriptum misit, ut tum illum tum eius opinionis fautores impiorum numero ducerent, et, si quis liber reperiretur ab eis scriptus, in ignem coniicerent. Refert autem Socrates edictum in hunc modum:[26] « Victor Constantinus Maximus Augustus Episcopis et populo salutem. Cum Arius scelestorum et impiorum hominum consuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiae et turpitudinis notam merito subire debet, quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit et eiusmodi quidem, ut apud posteriora saecula non ipse solum maximis probris vexatus fuerit et turpissima infamiae labe aspersus, verum etiam impia eius scripta deleta penitus et extincta. Sic etiam visum est Arium et eius sectatores Porphyrianos nuncupare, ut quorum secuti sunt mores, eorum etiam nomen habeant. Quin etiam, si quod opus ab Ario scriptum reperiatur, illud cremandum esse, uti non modo eius execrabilis doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum eiusdem omnino relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus et cum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur, mox ut comprehensus fuerit plectatur capite ». Ita pientissimus Imperator Arium cum universa doctrina sua et cum omnibus complicibus et fautoribus suis pia severitate et severa pietate damnavit.

Quare Arius suam haeresim publice retractavit in conciliis Nicaeno

III. Huius rei causa omnes Ariani, vivo Constantino, catholicum nomen affectarunt, et sub eo latitarunt,[27] et timore Constantini omnes Ariani episcopi in Nicaeno concilio, ne in exilium pellerentur, subscripserunt Nicaenae fidei, etiam Caesariensis Eusebius, etiam alter Eusebius Nicomediensis episcopus, Arianorum summus promachus, propugnator et fautor.[28] Imo etiam ipse, etiam tandem Arius, ut

25) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 21, (P. G. 67, 923). 26) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 9, ibid. col. 87-90. 27) S. Athanasius *Epist. De Decretis Nicaenae Synodi*, (P.G. 25, 431-434); Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 32, ibid. 67, 1026-1027. 28) Socrates *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 14, ibid. 67, 110-114; Sozomenus *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 16, ibid. col. 971-975.

S. Hieronymus scribit *Adversus Luciferianos*,[29] cum poenitens a concilio receptus fuisset suamque haeresim abiurasset damnassetque, subscripsit homousio, ficto quidem animo. Sed animorum Deus solus est iudex; in facie totius Ecclesiae suam damnavit et abiuravit haeresim. Quare non modo ab aliis omnibus, verum etiam a seipso damnatum Arium reperimus.

et Constantinopolitano,

Nec tantum in Nicaeno, verum etiam in Constantinopolitano concilio, praesente Constantino, suam damnavit haeresim, et iureiurando affirmavit se Nicaenam fidem tenere, nec aliter sentire de fide. Cuius rei testis est S. Athanasius *Oratione prima in Arianos*,[30] ita dicens: [31] « Iussus a Constantino, ut scripto ederet fidem suam, callide per dolum suppressis suis impietatibus probatisque, ut diabolus solet, Sacrarum Litterarum simplicibus, uti scripta erant, verbis formulam suae fidei conscripsit. Deinde ab Augusto interrogatus, nihilne aliud in animo haberet et an vere sentiret quod profiteretur, Dominum enim periurii vindicem futurum, miser iureiurando respondit se nihil habere praeter ea quae scripto prodidisset, neque dixisse aliter neque cogitasse ».

et coram Imperatore sententiis concilii Nicaeni subscripsit, ficto quidem animo.

Socrates etiam historiam istam simili modo enarrat,[32] quod Arius accersitus et rogatus ab Imperatore sententiam, utrum concilii Nicaeni decretis consentiret, sine mora, alacri et prompto animo, coram Imperatore subscripsit, et, adactus ad iusiurandum, iuravit se vere et ex animo sentire, quemadmodum scripserat. Quare, cum Imperator fidem ei adhibuisset, mandavit Alexandro episcopo Constantinopolis, ut eum in communionem reciperet. « Astute, inquit Socrates, Nicaenae synodi decreta ludificatus fuit, et fucata ratione ad fraudem in subscribendo usus fuit ». At vero in facie Ecclesiae haeresim abiuravit, et, catholicae fidei subscribens, iterum seipsum damnavit, et in haereseos crimen se incurrisse testificatus fuit.

Sed divina ultio tantam

IV. Sed quoniam impius in profundum venerat, adeo ut divina quaeque contemneret,[33] divina ultio nequaquam passa est tantum

29) P. L. 23, 173-174. 30) Sive *Epistola ad Episcopos Aegypti et Lybiae*, (P. G. 25, 535-536). Haec epistola in aliquot graecis manuscriptis codicibus, ut in editis latinis, inscribebatur *Oratio 1 contra Arianos*, sed nunc docti eam penitus distinguunt a *4 Orationibus contra Arianos*, ibid. 31) Ibid. col. 579-582. 32) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 38, ibid. 67, 175.
33) Cf. Prv 18, 3.

Impietatem subsecuta est,

impietatis monstrum in animarum perniciem diutius vivere; sed subita et infami morte filium istum perditionis, ad instar Iudae[34] extinctum, de medio tulit. Quam rem S. Athanasius, *ad Serapionem* scribens, ita narrat, dicens: [35] « Ita eum digressum a principe voluerunt Eusebiani solita sua vi in Ecclesiam introducere. Sed contradicebat Constantinopolitanus episcopus Beatus Alexander, non debere, inquiens, haeresis inventorem, in communionem recipi. Ibi iam mirabundi Eusebiani: Quemadmodum, inquiunt, vobis invitis curavimus ab Imperatore evocari; ita crastino die, etiamsi vobis minime ex sententia sit, in communionem Ecclesiae adducemus. Sabbatum autem erat cum haec loquerentur. Quibus auditis, Alexander magno cum moerore ecclesiam intravit, et porrectis ad Deum manibus lamentatus est, pronus in vultum cadens humique iacens ita oravit. Aderat enim cum eo Macarius socius orationis, qui eius verba excepit. Postulabat autem alterutrum: Si Arius, inquiens, crastina die in synaxim introducetur, *nunc dimittas*, quaeso, *servum tuum, Domine*,[36] et non pium cum impio perdas;[37] sin autem Ecclesiae parces, scio autem quod parces, respice in verba Eusebii, neque des in exitium et vituperium sortem tuam,[38] et tolle Arium, ne, eo recepto in Ecclesiam, videatur cum eo simul haeresis recipi, neve deinde impietas pro pietate habeatur. Haec precatus Episcopus plurimum cogitabundus et anxius inde recessit, et res mira incredibilisque evenit. Eusebianis minantibus, Episcopus orabat. Arius autem, Eusebianis fretus, multa blaterans, in secessum abiit quasi ad usum alvi, et de repente, iuxta quod scriptum est, pronus factus *medius crepuit*,[39] humique expiravit, utroque et vita et communione fraudatus. Hic finis Arii ».

et Arius miserabili morte e vita discessit.

Sic Deus haeresiarchae interitu haeresim damnavit;

Atque ita quidem haeresiarcha miserrimus tandem a Deo damnatus, infami morte extinctus fuit. « Ipse siquidem Dominus, subiungit Athanasius,[40] iudicem se praebens minis Eusebii et Alexandri precibus, arianam haeresim condemnavit, ostendens eam indignam esse Ecclesiae communione, omnibusque manifestum reddidit eam, tametsi ab Imperatore et omnibus mortalibus adiuvetur, ab Ecclesia tamen damnatam esse, declaratumque est officinam Arianorum non Deo gratam, sed impiam et inimicam esse ».

34) Cf. Mt 27, 5; Io 17, 12. 35) P. G. 25, 687. 36) Lc 2, 29. Vulg.: *Dimittis*. 37) Cf. Ps 25, 9. 38) Cf. Ioel 2, 17. 39) Act 1, 18. Vulg.: *Crepuit medius*. 40) P. G. 25, 687-689.

Refert etiam Athanasius [41] quod Arii mors quamplurimis proficua et salutis occasio fuit, dicens : « Certe plurimi ex iis, qui ante decepti erant, conversi sunt, ideo nimirum quod non quivis alius, sed ipse Dominus blasphemiis impetitus condemnaverit haeresim adversus se conflatam. Quam enim Dominus reprobat, quis approbabit ? »

et eius mors quamplurimis profuit.

Simili modo narrant interitum Arii Socrates, [42] Sozomenus, [43] Rufinus [44] et alii ecclesiastici historici. [45] Narrat autem Socrates, quod notatu dignum est, dicens : [46] « Postquam enim aula Imperatoris egressus est Arius, Eusebii fautoribus stipatus, magna cum celeritate et pompa per mediam urbem incedit. Simul atque forum Constantini, sic enim appellatum est, appropinquaverat, in quo columna ex porphyrite locata est, timor ex conscientia sceleris exortus Arium opprimit ; cuius vi laxatus alvus », etc. Hic videre est illud : *Vidi impium exaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi et ecce non erat.* [47] Ita Arius subito defecit, periit *propter iniquitatem suam. Velut somnium...* Dominus... *imaginem* ipsius *ad nihilum* [48] statuit. Ita ad praecipitium damnationis aeternae sicut Iudas a diabolo, cui locum dedit, perductus est Arius. Quem, ut Theodoretus ait, [49] « hostis veritatis diabolus nactus fuit, ut cuius conatibus Ecclesiam procellis miscere exagitareque instituit, persuasitque illi, ut apostolicae Alexandri doctrinae aperte resisteret », et, ut S. Epiphanius ait, [50] diabolica operatione afflatus, extulit linguam suam contra proprium Dominum. A diabolo itaque afflatus, doctus ductusque, tandem [ad] aeternum exitium atque interitum perductus fuit.

Eadem quae ab Athanasio, etiam a Socrate, Sozomeno et Rufino narrantur.

V. Sed iam ad Lutherum, cuius causa a nobis haec relata sunt, veniamus, ostendamusque, quam adamussim perditissimo haeresiarchae Ario in damnatione similis fuerit, imo quin etiam multo superior. Fuit quidem Arius incorrigibilis, nam, ut Sapiens ait, *nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* [51] Haereticus autem a Deo induratus,

Lutherus fuit Ario incorrigibilior et pervicacior,

41) Ibid. col. 690. 42) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 38, ibid. 67, 178. 43) *Hist. Eccles.* lib. 2, cp. 29, ibid. col. 119. 44) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 13, (P. L. 21, 485-486). 45) Theodoretus *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 13, (P. G. 82, 951). 46) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 38, ibid. 67, 178. 47) Ps 36, 35. Vulg.: *Superexaltatum.* 48) Ps 72, 19-20. 49) *Hist. Eccles.* lib. 1, cp. 1, (P. G. 82, 886). 50) *Adversus Haereses, Haeres.* 69, ibid. 42, 203. 51) Eccle 7, 17. Vulg.: *Nemo possit..., quem ille,* etc.

sicut Pharao, excaecatus[52] et *in reprobum sensum* traditus est.[53] Lutherus autem longe incorrigibilior; nam Arius quidem in Alexandrum episcopum Alexandriae, a quo in concilio fuerat damnatus, excommunicatus et mulctatus exilio, maledicentia invectus fuit. At vero detractionibus sanctum illum Episcopum, non conviciis virulentis oneravit, non blasphemiis obruit, non diris devovit et excommunicavit, sicut L u t h e r u s Leonem X Romanum Pontificem, Christi Vicarium,[54] nec omnes Episcopos tanquam antichristi ministros[55] omniaque concilia[56] quasi satanae synagogas Arius, ut L u t h e r u s, damnavit, nec universam Christi Ecclesiam[57] pessumdedit.[58]

quia virulentus fuit in Romanum Pontificem,

Arius a Constantino Magno correptus, scripsit quidem epistolas ad eum parum officiosas et tanta maiestate indignas; at vero Lutheri comparatione modestissimus videri potuit. Hic enim in principes omnes, reges, imperatores furenter adeo maledictis excurrit, ut passim tyrannos, Turcis multo peiores, latrones, carnifices, bestias, canes, lupos, porcos dicere similibusque titulis honestare nil veritus sit.[59] Maxime vero omnium Carolum V imperatorem augustum, a quo in Wormaciensi conventu publico *Edicto* damnatus fuerat,[60] talibus emblematis exornavit.[61] Ita homo verissime exlex, filius Belial,[62] omnium divinarum humanarumque legum refuga utrumque magistratum, a quo damnatus renunciatusque haereticus fuerat, non modo maledictis incessere et impugnare, verum etiam expugnare funditusque diruere ex vindictae libidine molitus fuit.

in principes, reges et imperatores.

Arius semel quidem in concilio Nicaeno et iterum in Constantinopolitano palinodiam cecinit, maleque partam haeresim abiuravit; sed horrendam execrandamque haereseos notam et longe infame haeretici nomen aut titulum nunquam admisit. Lutherus nullo neque divini, neque humani principatus timore, similis sane homini illi, de quo Dominus ait, quod neque *Deum... timebat, neque hominem revere-*

Non se retractavit, nec haeretici nomen abhorruit,

52) Cf. Ex 7, 13. 22; 8, 19; 9, 35; 13, 15. 53) Rom 1, 28. 54) *Adversus Execrabilem Antichristi Bullam*, W. L. t. 2, f. 98b. 55) *De Abroganda Missa Privata*, ibid. f. 257a. 56) Denzinger n. 27-30. 57) *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 273-279; *Dissert. 9*, pag. 297-305. 58) Ms.: *Pessumdavit.* 59) *Adversus Duo Pugnantia et inter se Contraria Caesarea Edicta*, W. L. t. 2, f. 446b-445a. Attendat lector ad errorem in numeratione foliorum et f. 452; *De Potestate Saeculari*, I. G. t. 2, f. 199. 420. Cf. etiam *Hypotyposis M. Lutheri*, vol. 2, part. 1, sect. 5, *Dissert. 6*, pag. 279-281. 60) W. L. t. 2, f. 445b sqq. 61) *Auf Vermeinte Keiserliche Edict*, W. G. t. 6, f. 153b-164a;; *Wider die Verkerer und Felscher Keiserlichs Mandats*, ibid. f. 582a-584b. 62) Cf. Idc 19, 22; 1 Rg 2, 12.

batur, [63] adduci potuit, ut palinodiam caneret. Tantum per epistolam Cardinali Caietano Legato Apostolico se obtulit, [64] sed nonnisi ficto sicut Arius animo, ad palinodiam recantandam, et haereticum nomen exhorrere minime visus fuit.

Ioannes Mathesius in *Concione decima septima de Vita et Laudibus Lutheri* refert, [65] quod, cum vice quadam Lutherum adiisset auriga quidam, ut tantum hominem videret, Lutherus, cum illi Germanorum more manum porrexisset, dixerit ei : « Vade ad tuos socios et contubernales, et dicito eis te vidisse D. Lutherum maximum haeresiarcham ». Dixit autem hoc pro concione Mathesius et litteris mandavit in Lutheri laudem. Nobile sane et illustre encomium ab homine, qui inter Lutheranorum primipilos non postremus summum egit summi parentis et patriarchae sui encomiasten. ut refertur a Mathesio,

VI. Sed in iudicio Lutheri de seipso videbimus quam parum a tam infami nomine abhorruerit. Videamus itaque ipsius de seipso iudicium, iuxta quod Dominus dicere ei potest : *De ore tuo te iudico, serve nequam.* [66] Et quidem de seipso ante excitatam tanti schismatis tragoediam Lutherus multis quidem in locis, sed praesertim in *Praefatione* ad primum tomum Operum suorum ita pronunciavit : [67] quod fuerit monachus, papista insanissimus, ad tantas res tractandas ineptissimus et indoctissimus, qui se, utcumque irreprehensibilis monachus viveret, sentiret coram Deo peccatorem esse inquietissimae conscientiae, qui non amabat, sed odio habebat iustum et peccatores punientem Deum, tacitaque si non blasphemia certe ingenti murmuratione indignabatur Deo, furebatque saeva et perturbata conscientia. Et in *Commentario super Epistolam ad Galatas* non semel aut iterum dicit [68] quod, cum esset monachus, erat incredulus, infidelis, idololatra, blasphemus, osor Dei, abnegator Christi et aliis similibus emblematis exornat primum vitae suae statum, hominem depingit coloribus suis maxime impium. Et hanc quidem sententiam tulit ipse haereticus in seipsum catholicum. et ipse Lutherus fatetur; ait enim ante schisma se fuisse infidelem, Christi abnegatorem, etc.;

Sed quid de seipso pronunciavit, cum per spatium trium circiter annorum inter catholicam fidem et haeresim manifestam anceps, postea per impruden-

63) Lc 18, 2. Vulg.: *Et hominem non reverebatur.* 64) W. L. t. 1, f. 215ᵃ. 65) Pag. 430, Nurnberg 1566. 66) Lc 19, 22. 67) W. L. t. 1, f. IIᵃ. 68) Ibid t. 5, f. 291ᵇ.

tiam et ignorantiam turbas excitasse et ab Ecclesia exiisse.

inter catholicum et haereticum medius fuit? Ait in *Praefatione* eadem [69] casu, non voluntate aut studio, se in has turbas incidisse, et quod, cum universa Germania expectaret eventum tantae rei, quam nullus neque theologus neque Episcopus ausus fuerat attingere, fovebat ipsum aura ista popularis; et in *Praefatione De Viribus et Voluntate Hominis* [70] se per imprudentiam in causam istam lapsum fuisse et quod necessitate coactus fuit, ut extrema tentaret et expectaret, quod primo et secundo anno multa passum fuit cor ipsius, ut pene desperarit, quod non tam confidens et certus fuit, quod multa ignoraret, quod de indulgentiis, unde ortum est dissidium et tantum excitatum incendium, quidnam essent prorsus ignoraret, et quod cum summa difficultate et angustia vix tandem argumentum superavit, quod audienda esset Ecclesia, quoniam Ecclesiam Papae pro vera Ecclesia coluit. Quale hoc iudicium! Quod per imprudentiam, per ignorantiam egressus a catholica Romana Ecclesia, quam pro vera Ecclesia coluerat, fuit, hoc est, factus fuit haereticus. De haereticis enim D. Ioannes ait, quod a nobis, hoc est, a catholica Ecclesia, exeunt. [71]

Factus haereticus, temulentia animi se prophetam et evangelistam iactavit;

Postquam vero in manifestam haeresim delapsus fuit, et tanquam refractarius manifestusque haereticus a Romano Pontifice per excommunicationis sententiam ab Ecclesia separatus, in potestatem satanae devenit, [72] de seipso grandia quidem locutus fuit: quod esset propheta, homo missus a Deo, evangelista, sanctum Dei organum, aliaque huiuscemodi thrasonice admodum de se iactavit, et in vulgus sparsit tanquam homo philautiae temulentia lymphatus et insania mentis affectus, similis Manichaeo, qui revera Manes, hoc est, *insanus*, [73] seipsum apostolum Iesu Christi et paracletum venditavit. [74]

at ad saniora reversus, haereticum se appellat,

Sed tamen, cum saniora sibi praesens locutus fuit, ab infami haereseos titulo minime abhorruit. In libro nanque sane tartareo *De Captivitate Babylonica*, qui primus omnium a Luthero iam damnato haeretico scriptus fuit, ita loquitur: [75] «Quia video illis, papistis, otium et chartas abundare, dabo operam, ut negotium scribendi habeant copiosum; praecurram enim, ut, dum gloriosissimi victores de una aliqua

69) Ibid. t. 1, f. II^{b}. 70) Ibid. f. 49^{b}. 71) Cf. 1 Io 2, 19. 72) Cf. 1 Cor 5, 5.
73) *Manes* persice idem est ac eloquens, dialecticus; graece autem furorem et amentiam significat. Cf. S. Augustinus *De Haeresibus*, *Haeres. 46*, (P. L. 42, 34);; Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 31, (P. G. 20, 719). 74) Eusebius Caesar. *Hist. Eccles.* lib. 7, cp. 31, (P. G. 20, 719); S. Augustinus *De Haeresibus*, *Haeres. 46*, (P. L. 42, 34). 75) W. L. t. 2, f. 67^{b}.

mea haeresi, ut illis videtur, triumphant, ego interim nova moliar ». Sed quae catholicae Ecclesiae, quae *columna et firmamentum veritatis* est, [76] haeresis videtur iudicaturque, non potest non esse haeresis; iudicium enim Ecclesiae a Spiritu Sancto est, unde in conciliis semper dicitur, sicut in concilio Ierosolymitano dictum ab Apostolis fuit: *Visum est... Spiritui Sancto et nobis.* [77] L u t h e r u s autem proposuit semper novas haereses moliri, ut Catholici haberent copiosum negotium scribendi contra ipsum. Praeterea in *Assertione Articuli 30* eorum, quos Leo X damnavit, dicens omnes articulos Ioannis Hussi, in Constantiensi concilio damnatos, esse verissimos, christianos et evangelicos, ait: [78] « Si Ioannes Hussus fuit haereticus, ego plus decies sum haereticus, cum ille longe minora et pauciora dixerit ». Quod quidem L u t h e r i dictum valde permovit Carolum V, augustissimum et pientissimum imperatorem, sicut in Wormaciensi *Edicto* ipsemet exprimit, ad proscribendum damnandumque Lutherum tanquam omnium pessimum haereticum. [79]

Ioanne Husso decies deteriorem.

Et quidem paulo antequam excitatum esset indulgentiarum dissidium, L u t h e r u s Ioannem Hussum credidit pestilentem haereticum, sicut ipsemet in *Commentario ad Galatas* ait: [80] « Tanta erat auctoritas Papae apud me, ut vel in minimo dissentire ab ipso putarem crimen aeterna damnatione dignum, eaque impia opinio faciebat, ut crederem Ioannem Hussum tam maledictum esse haereticum, ut vel de eo cogitare sceleratum ducerem ». Sed quidquid senserit Lutherus de Ioanne Husso, manifestum est quod non minus ab universa Ecclesia catholica in concilio Constantiensi damnatus et renunciatus fuerat Ioannes Hussus, [81] quam in concilio Nicaeno Arius, nec minus quam Arius ab omnibus Catholicis habebatur, sicut et nunc etiam habetur, haereticus. Voluit itaque L u t h e r u s a Catholicis omnibus plus decies quam Ioannes Hussus, quam Arius, haberi haereticus, cum ipsemet plus decies illo se pronunciavit haereticum.

Et nihil mirum; cum nec diaboli nomen abhorruerit.

Sed non mirum; neque enim aversatus fuit diaboli [82] nomen, quo Christus pessimum proditorem Iudam *perditionis filium* compellavit. [83] Sed L u t h e r u s ipse seipsum nominavit diabolum. Scribens

76) 1 Tim 3, 15. 77) Act 15, 28. 78) W. L. t. 2, f. 115ª. 79) Ibid. f. 447ª.
80) Ibid. t. 5, f. 291ᵇ. 81) Denzinger n. 627-656. 82) Cf. Io 6, 71.
83) Ibid. 17, 12. Vulg.: *Filius.*

enim *ad Cardinalem Albertum Brandeburgensem*, Archiepiscopum Moguntinum, principem electorem, ait : [84] « Ego a Deo excitatus sum generalis diabolus contra vos, romanos diabolos, homicidas et sanguinarios canes, sicut Elias, quemadmodum quidam me appellant, contra Achab et Iezabel ». [85] Diabolum se dicit et quidem generalem, universalem, hoc est, principem diabolorum, qui possit contra multos diabolos insurgere, nisi quod non modo ore supra modum maledico Romanos, hoc est, Catholicos omnes, diabolos dicit, verum etiam per summam blasphemiam prophetam Eliam dicit etiam diabolum excitatum contra Achab et Iezabelem.

Sic Lutherus a seipso damnatus fuit.

Quid igitur tandem est Lutherus, ut sciamus quid dicat de seipso ? Non modo plusquam decies haereticus est, verum etiam et plusquam decies diabolus est, nam diabolus generalis est, qui plus valet quam decem millia ; plus enim valet imperator exercitus quam decem millia militum, sicut de David legimus : *Tu unus pro decem millibus computaris.* [86] Et ad hunc quidem modum Lutherus αὐτοκατάκριτος [87] *a seipso iudicatus et condemnatus* est.

At fuit etiam divino iudicio, ut Arius, damnatus,

VII. Et tandem, ut nonnihil de divino iudicio, quo in hoc quidem mundo Lutherus iudicatus fuit, in veritatis et catholicae religionis gratiam, dicamus ; palam est quod, sicut infelicissimus haeresiarcha Arius, cum iam in gratiam Constantinopoli ab Imperatore receptus, magnis honoribus principumque virorum favoribus potiretur, divino iudicio condemnatus subitanea maximeque infausta et infami morte sublatus fuit ; ita et Lutherus modo non absimili reperitur extinctus.

nam miserrime interiit, ut referunt Bozius,

Cum enim Yslebii in domo Comitum Mansfeldensium, ubi regio cultu a principibus illis tractabatur, [88] « die quadam, cum laute coenasset et suis facetiis astantes ad risum provocasset, laetusque et hilaris seipsum somno dedisset, nocte suffocatus interiit ». Scribit Tho-

84) I. G. t. 6, f. 385. 85) Cf. 3 Rg 18, 1 sqq. 86) 2 Rg 18, 3. 87) Ms.: Αυτοκατακριτος. 88) S. Auctor sequitur opinionem maioris partis Catholicorum sui temporis, scilicet Lutherum subitanea morte occubuisse. Haec opinio nunc amplius non tenetur a maiori parte scriptorum etiam catholicorum, qui narrationem domesticorum de morte Lutheri ut substantialiter veram admittunt. Cf. N. Paulus *Luthers Lebensende. Eine Kritische Untersuchung, Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte des Deutschen Volkes*, B. 1, Heft 1, Freiburg im Breisgau 1898; Hart. Grisar *Luther*, B. 3, S. 849 sqq. Cf. tamen I. Paquier *Luther* in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, t. 9, an. 1926, col. 1180-1181 et B. Grabinski *Wie ist Luther Gestorben?* An. 1913.

mas Bozius, vir sane doctissimus, *De Signis Ecclesiae*,[89] haud ita pridem compertum fuisse testimonio cuiusdam familiaris Lutheri, qui tunc puer illi serviebat, et postea ad catholicam religionem transivit, Lutherum sibi manus iniecisse et laqueo sibimetipsi mortem attulisse, sed ob honorem evangelii protinus cunctis domesticis rei consciis datum fuisse iusiurandum, ne factum divulgarent.[90] Fides apud lectorem esto.[91]

Lindanus, Surius et Cochlaeus.

Lindanus in suo *Dubitantio* de Lutheri morte ait[92] Hosium haud temere scripsisse[93] Lutherum bene potum et hilarem postridie mane in lecto repertum fuisse mortuum. Laurentius Surius in *Commentario Rerum in Orbe Gestarum* de ea sic scribit in anno 1546, itaque ait:[94] « Die 17 Februarii, cum laute et splendide coenatus esset et facetiis suo more hilariter lusisset, eadem nocte sublatus est e medio ». Similiter Ioannnes Cochlaeus, vir probatissimae fidei, historiam mortis Lutheri paucis ita describit in *Actis* Lutheri anni 1546, dicens:[95] « Die 17 Februarii peracta in publico cum aliis coena eaque largiter sumpta et facetiis hilariter extracta, eadem nocte interiit ». Sed in gratiam lectorum non gravabimur totam historiam ex ipso Cochlaeo huc afferre et ad verbum referre.

89) Signum 96 *Obitus Haeresiarcharum Inglorii et Infelices*, lib. 23, cp. 3, pag. 514, Romae 1591.
90) Ibid.
91) Hanc opinionem inter fabulas amandandam esse demonstravit N. Paulus op. cit. Cf. etiam Hart. Grisar op. cit. B. 3, cp. *In der Welt der Legenden*, S. 851 sqq.
91) *Dubitantius de Vera Certaque per Christi Iesu Evangelium Salutis Aeternae Via* tribus libris instructus, pag. 308, Coloniae, apud Maternum Cholinum 1565.
92) *De Haeresibus Nostri Temporis*, lib. 1, f. 209, Antuerpiae, in aedibus Io. Stelsii 1566.
93) Pag. 474 ed. cit.
94) Pag. 315, ed. cit.

ADDITAMENTA

ADDITAMENTA

AD

HYPOTYPOSIM ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE

ADDITAMENTUM PRIMUM

DE HYPOTYPOSI DOCTRINAE LUTHERANAE ET PRAESERTIM POLYCARPI TANTUM EX VERBIS DEI [1]

Iam nunc, Deo auspice et duce, ad doctrinae *Hypotyposim* adhibenda manus est versandaque praesertim dogmata, quae Polycarpus hic Pragae contra catholicae fidei veritatem haereticorum more praedicavit.

Adigit autem nos Polycarpus tantum ad Sacras Litteras, ut nonnisi armis divini verbi in ipsum decertare valeamus. In sua enim *Postfatione* ita loquitur, dicens: « Liberum vobis statuo, si velitis provinciam hanc vobis assumere, ut doctrinam amborum articulorum in hisce concionibus contentam per fundamentum divini verbi evertatis. Quod si praestare possitis, nunc vos pro magistris volo habere et verbo Dei libenter cedere. Quod si ex fundamento divini verbi obstare non poteritis, quod ego bene scio, cum haec doctrina posita sit supra fundamentum verbi Dei; tunc scire debetis, quod cum vestris exprobrationibus, cavillationibus, mendaciis, blasphemiis, infamationibus, falsis glossationibus, cum libris ex suggestu proiectis et similibus phantasticis modis efficere prorsus non poteritis, quin totus mundus ex eo multo magis cognoscat, quod vos tantum iratus diabolus inequitet, non Spiritus Dei regat ». Bona verba, quaeso, Polycarpe, bona verba; si Spiritu Dei regeris, unde *malum pro malo et maledictum pro maledicto*, cum Spiritus Dei e contrario benedicat? Turpe est magistro, cum culpa redarguit ipsum.

Nunc ad rem adigit nos Polycarpus, ut in ipsum nonnisi gladio verbi Dei armati decertemus. Non videtur recordatus hoc loco Polycarpus doctrinae Lutheri *De Servo Arbitrio*, ubi ait [2] quod « nihil haeretici Scripturis doceri possunt »,

1) Cod. 2, f. 197a-201b. 2) W. L. t. 2, f. 461.

sicut nec Iudaei, veluti cum « Iudaei postulant ut ex Prophetis proferatur quod Iesus fabri filius ex Maria Virgine natus in Bethlehem est Messias et Filius Dei ». Non mirum Sequitur etiam hac in re bonus discipulus magistrum optimum in impietate, Lutherum.

Hic enim factus a Romana Ecclesia transfuga et manifestus haereticus, morem secutus est Arii aliorumque antiquorum haeresiarcharum; nonnisi ad Sacras Litteras provocare suos antagonistas destinavit in principio schismatis et apostasiae, cum adhuc esset monachus. Sed libertatis amator solos scholasticos theologos doctoresque reiecit et unius Constantiensis concilii auctoritati valedixit. Non multo post autem omnium Sanctorum Patrum auctoritatem ablegavit ac penitus abrogavit; nec Sanctorum Patrum tantum, quin etiam conciliorum et Summorum Pontificum. In *Resolutionibus* enim suis super *Propositionibus Lipsiae Disputatis*, conclusione prima, ita loquitur: [3] « Proinde volo liber esse et nullius seu concilii, seu potestatis, seu universitatis, seu Pontificis auctoritate captivus fieri ». Et in *Praefatione ad Assertiones Articulorum a Leone X Summo Pontifice Damnatorum*, ait: « Primum scire contestatosque eos esse volo, me prorsus nullius quantumlibet Sancti Patris auctoritate cogi velle, nisi quatenus iudicio Divinae Scripturae fuerit probatus. Id quod scio illos vehementer aegre laturos: sentient enim sese hac ratione ad primum statim congressum ruituros ». Sic bonus L u t h e r u s ab omnibus theologis, ab omnibus Patribus Sanctis et catholicis Ecclesiae sanctae Doctoribus, ab omnibus conciliis et statutis Pontificum ad solas Sacras Littetas provocavit.

Sed nec Sacras quidem Litteras integras nobis reliquit; sed pro suo arbitratu factus Divinarum Scripturarum censor et supremus iudex, sua ipsius auctoritate ex canone Sacrorum Librorum utriusque Testamenti libros multos, prout libuit, vel expunxit abiecitque integros, vel truncatos magna ex parte exauctoravit. Ex Veteri quidem Testamento libros integros abrogavit: Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith, Machabaeos; detruncavit autem Esther et Danielem; ex Novo autem epistolam Pauli ad Hebraeos, canonicam Iacobi, catholicam Iudae, librum Apocalypsis. Nonnisi Sacris Litteris urgeri voluit, sed pro libito et arbitratu suo. Ita P o l y c a r p u s , L u t h e r i vestigiis insistens, nonnisi Sacras Litteras a nobis requirit, ut per fundamentum verbi Dei ipsius doctrinam evertamus. Sed in 1 concione, ubi *De Fide et Operibus* agitur epistolam D. I a c o b i pro verbo Dei non agnoscit; L u t h e r o enim straminea visa fuit, nihilque apostolico spiritu dignum continere.

Quare merito dicere possemus Polycarpo id quod T e r t u l l i a n u s , libro *De Praescriptionibus adversus Haereticos* ait, [4] non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem: « Quos, inquit, sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non christiani nullum ius capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? » Hinc idem auctor primam adversus haereticos Praescriptionem hanc statuit [5] non esse haereticos ad Scripturarum disputationem admittendos, non de consilio diffidentiae, inquit, sed quia A p o s t o -

3) W. L. t. 1, f. 298. 4) Cp. 37. 5) Cp. 16.

lus praecepit: *Haereticum hominem post unam... correctionem devita*, et quia haereticus christianus non est, et quia, ut capite 17 loquitur, nihil proficit cum haeretico ex Scripturis disceptatio, etiamsi disputator sit exercitatissimus Scripturarum. « Nam ista haeresis, inquit, non recipit quasdam Scripturas; et, si quas recipit, adiectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si recipit, non recipit integras; et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit et tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus ».

Lutherum videtur hic acu indicare Tertullianus; hic enim quasdam Scripturas sua machaera ex sacro canone resecavit suoque stylo confodit: Tobiam, Iudith, Sapientiam, Siracidem, Machabaeos; quasdam recepit quidem, sed detractionibus mutilavit: Esther, Danielem; ex capite 15 *Actuum Apostolorum* abrasit versum ultimum: *Praecipiens custodiri praecepta Apostolorum et seniorum;* ex 2 Petri, capite 1: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*, ademit verba illa: *Per bona opera;* ex epistola prima Ioannis, capite 5, abstulit integram sententiam: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Alias Scripturas adiectionibus depravavit, ut *Romanis*, capite 3: *Per legem cognitio peccati*, adiecit: tantum; et similiter corrupit alteram in eodem capite sententiam: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus*, addidit: *Per fidem* tantum et tandem passim et ubique sua tum germanica translatione, tum haeretica expositione adulterino sensu Litteras Sacras mirum in modum deformavit.

Polycarpus autem nonnisi Scripturis utitur a Luthero depravatis atque detortis, sicut et libellus in nos editus et *Triceps Catechismus* ipsius testatum faciunt. Quare cum eodem Tertulliano in epilogo *1 Praescriptionis* concludendum esset: « Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa ». Ut autem eodem loco Tertullianus docet, Ecclesia prius, cuius est possessio Scripturarum, inquirenda et cognoscenda est; qua cognita tunc demum cognoscetur veritas Scripturarum. Ecclesia audienda est, quae disciplinam fidei et veritatis a Christo per Apostolos acceptam semper illibatam retinuit, quae *columna* est *et firmamentum veritatis*, quam si quis non audit, censendus est *sicut ethnicus et publicanus*.

Sed haereticorum semper proprium fuit Ecclesiam contemnere, et ad Scripturas solas provocare, scelerata praesumptione, ut ait Vincentius Lirinensis de Nestorio, [6] « qui asserebat se solum et primum Sacram Scripturam intelligere omnesque alios ignorasse, quicumque ante se magisterii munere praediti Divina Eloquia tractassent, universos scilicet sacerdotes, universos confessores et martyres; totam postremo nunc errare et semper errasse Ecclesiam, quae, ut ipsi videbatur, ignaros erroneosque doctores et secuta esset et sequeretur ».

Quis non videat nunc Nestorium in Lutherum instar Euphorbi transfusum? Ita enim loquitur et ipse in *Commentario* suo *super Epistolam ad Galatas, capite primo:* [7] « Valde speciosum et robustum videtur argumentum papistarum: Ecclesia tot saeculis sic sensit et docuit, sic senserunt et docuerunt omnes primitivae ecclesiae, Doctores

6) *Commonit.* 2, cp. 42. 7) W. L. t. 5, f. 290.

viri sanctissimi. Quis es tu, qui ausis ab his omnibus dissentire? Sed sive, inquit, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, sive S. Petrus, Paulus, Ioannes, sive Angelus de coelo aliter doceat; tamen hoc certo scio, quod humana non doceo, sed divina. Esto sane, Ecclesia, Augustinus et alii Doctores, item Petrus, Apollo, imo Angelus e coelo diversum doceant, tamen mea doctrina est huiusmodi, quae solius Dei gloriam illustrat. Petrus, Apostolorum summus, vivebat et docebat extra verbum Dei ». Sic palam asseruit iactavitque L u t h e r u s se solum docuisse verbum Dei, sic omnes Sanctos Patres, tanquam non divina, sed humana docentes, ex alto contempsit, et repudiavit, tantumque ad Sacras Litteras ab ipsis provocavit.

Aperienda autem nobis causa est, propter quam haeretici sub hoc specioso verbi Dei praetextu in disputationibus nonnisi Sacras Litteras admittunt requiruntque. Explosis communi sensu totius Ecclesiae Sanctorumque Patrum expositionibus unam hanc frequentissime causam praetexunt, quod Sancti Patres homines fuerunt, qui errare potuerunt, et in multis errarunt: *Omnis* enim *homo mendax;* quasi vero ipsi, extra aleam infirmitatis humanae positi, non homines sint, sed dii, qui errare non possint. Et quidem hac in re satis mirari non possum improborum hominum caecitatem, qua existimant Ecclesiae catholicae Patres sanctitate conspicuos, doctrina, eruditione, sapientia illustres, divinis miraculis claros, Deo hominibusque probatos errare potuisse adeoque spiritu veritatis destitutos, ut et ipsi errarint et alios in errorem induxerint; novos vero homines, nulla aut pietate, aut eruditione praestantes, si vel minimo Sanctorum Patrum conferantur, errare non potuisse.

Nos quidem, quos ipsi patrologos dicunt, non ignoramus Sanctos Patres fuisse homines ac pro communi infirmitatis humanae lege nonnihil humani aliquando passos et in tractandis Divinis Scripturis interdum vel incommodius vel imprudentius sensisse et locutos esse; neque enim reperitur tam pulcrum corpus, in quo nullus prorsus sit nevus. Solus Christus est agnus sine omni macula. Non tamen propterea eorum auctoritatem impingendam et abrogandam ducimus; nam singuli quidem errare potuerunt in quibusdam dogmatibus ac minutioribus leviculisque capitibus doctrinae, quae fidei summam et analogiam non concernunt. Nec pro fidei regula suscipimus quae singuli dixerunt vel scripserunt, sed quae communi sensu totius Ecclesiae docuerunt; indignum enim arbitramur, ut Deus, quos in Ecclesia posuit *pastores et doctores*, omnes simul errare permiserit, cum sit in Ecclesia *spiritus veritatis*, qui *ducit nos in omnem veritatem.*

Patrum autem gravissimam auctoritatem suscipimus atque suspicimus, quoniam testes sunt fidelissimi eorum, quae suis temporibus populus christianus universum per orbem credidit et doctrinae fidei quam superioribus saeculis Ecclesia catholica tenuit; et quia, cum multo quam nos viciniores Apostolis fuerint, multo melius quam nos doctrinam Apostolorum atque antiquae veraeque christianae religionis dogmata cognoverunt. Quare, cum per ipsos veluti per traducem acceperimus doctrinam pietatemque Apostolorum, si in dogmatibus fidei et religionis pietate conformes sumus Sanctis Patribus, profecto et ipsis Apostolis erimus. Et tandem in controversiis fidei et religionis Sanctos Patres adhibemus tanquam sinceros et incorruptos testes. Qua de re D. A u g u s t i n u s lib. 2 *in Iulianum Pelagianum* loquitur, dicens: « Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neque nobis, neque vobis irati sunt; neque

nos, neque vos miserati sunt. Quod invenerunt, in Ecclesia retinuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a parentibus acceperunt, hoc filiis tradiderunt ».

Sed revera hic nonnisi praetextus haereticorum est. Quis enim ipsorum homo non est mille errorum vile mancipium? Et tamen fidem exigunt, et, ut sibi credatur, impense requirunt. Reperienda vera causa est, quam D. Paulus, *ad Timotheum* scribens, acu visus est tetigisse, dicens: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum.* Haereticum dicit nihil scientem, ignorantem, errorum tenebris obrutum et circumfusum. Sed non simplex error facit haereticum; subiunxit Paulus, et cum ignorantia superbiam coniunxit, qua vult, aliter docere; aliter utique quam Sancti Patres et Ecclesiae Doctores, et propterea non acquiescit doctrinae, *quae secundum pietatem est, doctrinae*, inquam, piissimorum, et Sanctissimorum Patrum, sed proprio sensu vult interpretari Scripturas, hoc est, languet *circa quaestiones et pugnas verborum.* Superbus autem homo, honoris, laudis et gloriae cupidus, vinci nolens et confundi formidans, nullum non movet lapidem, et omne quaerit effugium, ne vincatur, ne causa cadat, et manifesti erroris convictus redarguatur, et confusus remanere cogatur.

Liber esse vult a vinculis Sanctorum Patrum; in solis enim Scripturis, ut paulo ante ex Tertulliano retulimus, multa invenit effugia, propterea ad solas Scripturas provocat, sicut Ariani faciebant. Maximinus enim Arianorum episcopus apud Augustinum, lib. 1, in ipsum ita loquitur: « Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus. Hae vero voces, quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur, cum ipse Dominus moneat et dicat: *Sine causa... colunt me, docentes mandata et praecepta hominum* ». Et item: « Si affirmaveris de Divinis Scripturis, si alicubi scripti lectionem protuleris, nos Divinarum Scripturarum optamus inveniri discipuli ». Sed ita tamen provocat haereticus ad Scripturas ut, sicut Augustinus *in Faustum Manichaeum* scribit,[8] « suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, idest, non ut auctoritati subiiciatur Scripturarum ad fidem, sed ut ipse Scripturas sibi subiiciat; non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit ».

Provocant ad Scripturas, quia facillimum est Scripturas interpolare, atque hinc inde in unum consarcinantes suo sensui accommodare. Sicut et satanas Divinae Scripturae testimonia suo sensui accommodavit; ita haeretici. Fulcitur quidem fides Divinarum Scripturarum auctoritatibus; sed, sicut D. Irenaeus ait,[9] haeretici fidei imaginem dissolvunt, et, iisdem Sacrae Scripturae auctoritatibus perperam expositis atque transpositis, imaginem perfidiae suae conficiunt, dicentes illam esse fidei et veritatis imaginem, quoniam ex Sacrarum Scripturarum locis est constructa. Scriptura enim, ut Lutherus etiam agnoscit et fatetur in *Postilla Ecclesiastica, Dominica 8 post Trinitatem* super illud: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, liber haereticorum merito dicitur. Quod iterum atque iterum ibi replicat Lutherus, quoniam haeretici omnes

8) Lib. 32, cp. 19. 9) Lib. 1.

hac veste se contegunt; nulla enim est, aut fuit aliquando haeresis tam perniciosa et crassa, quae non acceperit a Scriptura perperam intellecta patrocinium ac veluti integumentum. Et in *Expositione Orationis Dominicae*, exponens illud: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, ait [10] se probe nosse subtiles glossas, quibus Scripturae Sacrae solet cereus casus affingi.

Quam facile autem sit Scripturas interpolare, ostendit Tertullianus libro *Praescriptionum* [11] exemplo Osidii Getae, qui Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime expressit, et exemplo eorum qui Homerocentonas faciunt; hoc est, qui ex Homeri carminibus hinc inde sumptis et in unum compositis ac consarcinatis corpus aliquod afficiunt. Quo exemplo usus est etiam D. Hieronymus *ad Paulinum* de vitiosa Scripturarum interpretatione, dicens: « Multi nec scire dignantur quid Prophetae, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem, quasi non legerimus Homerocentonas et Virgiliocentonas, ac sic non etiam Maronem sine Christo possimus dicere christianum, quia scripserit: [12]

Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies coelo dimittitur alto.

Sed puerilia sunt haec, inquit Hieronymus, et circulatorum ludo similia ». Et tantum haeretici egregii sunt Scripturarum diversissimi sensus consarcinatores ad fabricandum novum genus doctrinae, ut nonnisi Scripturas loqui et tractare videantur, cum revera tractent omnia, quae ipsorum propria sunt contra veritatem Scripturae. Quoniam igitur facillimum est Scripturas interpolare et ad suum sensum torquere atque, ut Hieronymus loquitur, ad suam voluntatem Scripturam trahere etiam repugnantem; propterea ipsi ad eas provocant, abiecto Sanctorum Patrum et totius Ecclesiae communi sensu omnique ecclesiastica traditione.

Sed, sicut Christus ait, *qui ex Deo est, verba Dei audit*; ita etiam inquit Ioannes epistola prima: [13] *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit. In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris*, docens quod non potest esse ex Deo, qui non audit Ecclesiae pastores et doctores, nec ducitur nisi spiritu erroris. Cum autem Polycarpus talem se nobis exhibeat, Sanctos Patres universamque Ecclesiam nihili facientem et ad solas Scripturas provocantem, manifestum est quo spiritu ducatur, veritatis an erroris. Haereticus enim, quod proprium haereticorum est, praestat, viam ingreditur sequiturque vestigia patrum suorum. Cum Scripturas praetexere, facillima sit via fallendi, nonnisi Scripturas requirit. Sunt haeretici et cum eis Polycarpus, similes Iudaeis, quibus Dominus ait: *Scrutamini Scripturas...*, in quibus *vos putatis vitam aeternam habere*; et tamen cum easdem Scripturas adhuc habeant, sine Deo vivunt in aeternum damnati. Nam, sicut sapienter Tertullianus ait, « fides salvum facit, non exercitatio Scripturarum ».

Sed, quia haeretici, cum sibi Scripturarum cognitionem solis arrogant et gloriosi Thrasones Catholicos omnes ignorationis earum accusant, cumque a nobis repelluntur a sacro codice et ad maiorum traditionem tanquam ad compendiosius tribunal vocantur,

10) W. G. t. 6, f. 48. 11) Cp. 39. Ms.: *Ovidii*. 12) Virgilius *Bucolica, Eclog. 4*, vrr. 6-7. 13) Cp. 4.

contemnunt et diffidentiae nos insimulare non verentur; non detrectamus in hanc arenam descendere, solis Divinarum Scripturarum armis decertaturi, sicut D. Augustinus cum Donatistis specialiter egit in libro *De Unitate Ecclesiae*, quam ex solis Scripturis demonstrandam suscepit, sicut capite tertio ait: « Non audiamus: Haec dico, haec dicis; sed audiamus: Haec dicit Dominus. Sunt certe Libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus; ibi quaeramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram ».

Sed tamen opus esset quaerere a Polycarpo: Quibusnam Scripturis agendum est? Non hoc dico quod existimem ipsum Manichaeorum de genere esse, qui vix ullas recipiebant Scripturas, dicentes Vetus Testamentum a diabolo esse, Novum vero totum a falsariis corruptum; cuius rei gratia Augustinus, *in Epistolam Fundamenti* scribens,[14] Ecclesiam Manichaeis non ex Scripturis, sed ex miraculis demonstrare constituit; nec quod existimem eum esse de secta Libertinorum, qui Scripturas omnes tanquam fabulas abiiciunt et solo spiritu duci volunt, habentes semper in ore: *Littera occidit, spiritus autem vivificat;* sed cum sciam lutheranum esse, sciamque quos libros pro sacrosanctos habeat, hoc est, quod nescio, quibus Scripturis utendum est, originalibusne, hebraicis, chaldaicis, graecis. Sed has Polycarpus ignorat. Latinis? Sed an latine Polycarpus sciat nondum novi, et latinam Vulgatam Editionem ipse non recipit. Sola utitur germanica editione Lutheri, quae omnium corruptissima est, vere Lutheri a luto, tota luterata. Quapropter non solum a Catholicis, verum etiam ab haereticis Zwinglianis, Calvinianis, Anabaptistis aliisque reiecta dirisque devota est. Quomodo igitur cum homine isto agendum? Quomodo ex Sacris Litteris disputandum?

Et tamen ad disputandum nos provocat, ita ut nonnisi Sacrae Litterae admittantur, tantum ad Divinarum Scripturarum tribunal tanquam ad supremum iudicem appellat. Communis est omnium a Luthero sectariorum sententia nonnisi Scripturam oportere de controversiis fidei iudicare, nonnisi per Scripturam lites omnes circa fidei dogmata dirimendas esse.

Polycarpus autem, cum nonnisi per fundamentum, ut ipse loquitur, verbi Dei convinci velit in refutatione dogmatum et doctrinae suae, manifeste ostendit in eadem cum ceteris Novatoribus sententia haerere. Quare priusquam in hanc arenam descendam, non ab re me facturum esse existimo, si sententiam istam nonnihil discussero, ut sciatur talis tantaque moles quam firmis nixa sit fundamentis. Sola enim Scripturarum auctoritas haereticis nunc omnibus, Libertinos excipio, columna et firmamentum est veritatis, fidei, religionis, pietatis, ipsius etiam Ecclesiae.

14) Cp. 4-5.

ADDITAMENTUM SECUNDUM

QUAE ET QUALIS SIT HAERETICORUM DOCTRINA MAXIME VERO MARTINI LUTHERI AC PROINDE ETIAM POLYCARPI LAISERI [1]

Absolvimus [2] iam, Deo auctore, opitulante et duce, hypotyposes duas: alteram Martini Lutheri, alteram vero ex notis haereticorum Polycarpi nostri Laiseri; reliqua nunc est tertia, nempe hypotyposis doctrinae haereticorum, cum primis vero lutheranae doctrinae, cuius assertor et propugnator est Polycarpus, maxime vero eius quam hic Pragae praedicavit, et libello in nos scripto in lucem edidit.

Sicut autem inter prudentiam carnis et spiritus magnum discrimen est, ut Paulus *ad Romanos* ait, [3] dicens: *Nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax;* et Iacobus, frater Domini: *Quis sapiens,* inquit, *et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quod, si zelum amarum habetis et contentiones... in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non enim est... sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis..., plena misericordia..., fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione;* ita sane latum discrimen est inter doctrinam catholicam et haereticam; haec enim mors est, illa vita; haec tenebrae, illa lux, *praeceptum* enim *Domini lucidum, illuminans oculos, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.*

Catholica doctrina in Sacris Litteris appellatur scientia salutis, de qua Zacharias, pater Ioannis Baptistae: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius;* itemque prudentia iustorum, de qua Archangelus Gabriel ad Zachariam: *Ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum.* Quam Salomon dixit scientiam Sanctorum *Proverbiis:* [4] *Principium sapientiae timor Domini et scientia Sanctorum prudentia.* Haec lignum vitae est, sicut Divinus idem Paroemiastes ait *Proverbiis:* [5] *Beatus homo qui invenit sapientiam. Lignum vitae est iis, qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.*

E contra vero haeretica doctrina *lignum* est *scientiae boni et mali,* per quod inimicus humanae salutis diabolus parentes nostros decepit, universumque genus humanum in damnationis barathrum coniecit. Hinc Paulus *2 Corinthiis* ait: [6] *Timeo... ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* Sed quomodo? Ait eodem capite quod *pseudoapostoli* transfigurant *se in apostolos Christi,* sicut *satanas transfigurat se in angelum lucis.* Ita Pau-

1) Cod. 2, f. 263ᵃ-265ᵇ. 2) In margine huius folii S. Auctor haec verba posuit: « In *Praefatione* tomi 1 Operum suorum Lutherus, W. L. t. 1, appellat scripta sua absque ullo ordine, rude et indigestum chaos, atque quod cupiebat libros suos perpetua oblivione sepultos », quae quomodo cum textu cohaereant, nescimus. 3) Cp. 8. 4) Cp. 9. 5) Cp. 3. 6) Cp. 11.

lus ostendit haereticorum doctrinam mellitum venenum esse; quod et Dominus indicavit, cum haereticos dixit pseudoprophetas venientes *in vestimentis ovium*, cum *intrinsecus* sint *lupi rapaces*.

Hac de causa in Divina Scriptura, quae lapis lydius est veritatis, doctrina haereticorum multis nominibus male audit. Haereticos enim Dominus dixit falsos prophetas, lupos rapaces, arbores malas, quae non possunt fructum bonum facere; appellavit seductores, in errorem inducentes, quibus minime credendum praecepit. Et Sadducaeis haereticis dixit: *Nonne erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei?* Negabant enim resurrectionem mortuorum, immortalitatem animarum et vitam aeterno aevo beatam in coelo. Dixit itaque Dominus haereticorum doctrinam falsam, erroneam, seductricem, fide indignam, perniciosam, malam, et Divinarum Scripturarum ignorantia plenam: *Erratis*, ignorantes, *nescientes Scripturas neque virtutem Dei*.

D. Petrus, Apostolorum coryphaeus et totius Ecclesiae secundum Christum supremus hierarcha, haereticos dixit pseudoprophetas, magistros mendaces, introducentes sectas perditionis, itemque *pellicientes animas instabiles..., qui derelinquentes rectam viam erraverunt*, et praeterea indoctos et instabiles, depravantes Scripturas, insipientes et traducentes in errorem, ut excidant fideles a propria firmitate. Quibus omnibus ipse etiam ostendit haereticorum doctrinam falsam esse atque mendacem, extra rectam veritatis viam, erroneam perversamque, Divinarum Scripturarum depravatricem, ignorantia et inconstantia fidei plenam, inducentem ad errorem et subvertentem fidei firmitatem.

D. Paulus, Petri coapostolus singularis, a quo *frater carissimus* nuncupatus fuit, et ipse hac in re multus est. In *Actis Apostolorum* haereticos dixit *lupos rapaces..., non parcentes gregi..., homines loquentes perversa, ut abducant homines post se. Ad Romanos* scribens, eos dicit homines, qui praeter receptam doctrinam in *Ecclesia dissensiones et offendicula... faciunt*. Quapropter iubet declinandos esse, quoniam *per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Ad Corinthios* autem eos dicit pseudoapostolos, ministros satanae, qui seipsos transfigurant *in apostolos Christi*, ut videantur ministri iustitiae ad seducendos fideles, sicut serpens Evam seduxit. *Ad Galatas* appellavit *subintroductos falsos fratres*, praedicantes aliud evangelium, conturbantes fideles et Evangelium Christi pervertentes.

Sed praesertim *ad Timotheum* scribens, multa hac de re disserit. Primo quidem quod haeretici homines sunt aliter docentes. De eo autem, qui aliter docet postremo capite prioris epistolae ita pronunciat: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum*. Deinde vero homines dicit *aberrantes, conversos in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant*; et homines qui *repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt*; praeterea homines *discedentes a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum*, qui *in hypocrisi loquuntur mendacium et cauteriatam conscientiam* habent; et homines qui *promittentes falsi nominis scientiam circa fidem exciderunt*. In *posteriore* etiam *ad Timotheum* epistola adhuc multa dicit, dum Timotheum monet recte tractare verbum veritatis, *profana autem et inaniloquia* devitare, quoniam *multum pro-*

ficiunt ad impietatem. Tunc de haereticis subiungit: *Sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, et subverterunt quorundam fidem.* Et insuper homines dicit *semper discentes et nunquam ad veritatis scientiam,* id est, cognitionem verae fidei *pervenientes, qui resistunt veritati, quemadmodum... Iannes et Mambres restiterunt Moysi.* Et subiungit, quod sunt *homines corrupti mente, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Et post pauca: *Mali... homines et seductores proficient in peius, errantes et in errorem mittentes.*

Et tandem, *ad Titum* scribens, iubet Episcopum praeter copiosam virtutum suppellectilem debere scientia et sana doctrina praeditum esse ad redarguendos haereticos: *Amplectentem,* inquit, *eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi... inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet turpis lucri gratia.* Quam multis coloribus ad naturale vivam nobis A p o s t o l u s depingit doctrinae haereticorum imaginem! Plane, uti est, turpissimam foedissimisque carcinomatum ulceribus undequaque affectam; *sermo* enim *eorum serpit ut cancer.*

In summa autem docet doctrinam haereticorum alienam esse a veritate evangelica et ab ea, quae *secundum pietatem est,* doctrina, errore et insipientia plenam, absque cognitione veritatis, magicae artis similem, mendacem, impostricem, seductricem, perniciosam, satanicam, diabolicam: *Attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.*

Multa his similia tradit I o a n n e s dilectus in sua prima canonica, in qua haereticos antichristos dicit, Iesum solventes atque negantes. Multa etiam I u d a s a p o s t o l u s in sua catholica epistola, sed fere eadem sunt, quae dicta sunt a P e t r o. Ut autem omnia paucis complectamur, dici potest haereticorum doctrina sapientia illa, quae a D. I a c o b o dicta est *sapientia* non *desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica,* contraria omnino sapientiae *quae... desursum est,* quae quidem *pudica est..., pacifica, modesta, benesuadibilis..., plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Non, inquit, desursum descendit, nempe a *Patre luminum,* a quo *omne datum optimum et... donum perfectum;* non desursum sicut sapientia Salomonis, sicut sapientia Apostolorum, qui in die Pentecostes coelitus acceperunt spiritum *sapientiae et intellectus..., consilii et fortitudinis..., scientiae et pietatis.* Dicitur quidem sapientia, sed *sapientia carnis,* quae *inimica est Deo, legi Dei minime subiecta,* et *prudentia carnis,* quae *mors est;* sapientia, sed non coelestis, unde omne bonum, sed terrena, hominum, qui portant imaginem terreni hominis; non coelestis, quoniam spiritu Christi praediti minime sunt, sed secundum veterem hominem ambulant, hinc P a u l u s ait haereticos docere *quae non oportet turpis lucri gratia;* non angelica, sed animalis, nam haereticus, Divino Spiritu destitutus, homo est animalis, qui non sapit, nec *percipit... quae sunt spiritus Dei; qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt.* Tandem non divina, non divinitus data, sed diabolica, diabolo auctore et magistro hominibus tradita: « Unaquaeque enim haeresis sui commenti parentem habet eum, qui ab initio perversus, et homicida et mendax fuit, diabolum », ait D. A t h a n a s i u s *Oratione 1 contra Arianos.* Ac propterea P a u -

lus haereses dixit doctrinas *daemoniorum*. Cum autem doctrina diaboli sit, non potest non esse venenum antiqui serpentis humano generi supra modum mortiferum.

Quae autem huc ex Divinis Apostolorum Scriptis contulimus, cum de haereticis generatim dicta sunt, omnibus quidem conveniunt, sed pro mensura impietatis haereseos his quidem magis, illis autem minus, maxime autem omnium Luthero facillime credam, cum in impietate hac neminem, licet maxime impium, non superarit.

Est autem Lutheri doctrina, sicut in ipsius *Hypotyposi* vidimus, lerna malorum, lacuna et sentina putentissimarum et pestilentissimarum haeresum, totumque luthericae doctrinae corpus est instar corporis illius, de quo Isaias ait: *Omne*, sive *totum, caput languidum et totum cor moerens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Attendisse autem ipsum *spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum* ac proinde doctrinam ipsius diabolicam esse ipsemet testatum aeternis monumentis reliquit, sicut iam ante ostendimus; ita ut rite rateque de ipsius doctrina pronunciari possit, quod sapientia sit, quae non desursum descendit, sed *terrena, animalis, diabolica,* unde tertio quoque fere verbo diabolum crepat.

Multa quidem volumina conatu infatigabili improboque labore conscripsit Lutherus, multos libros edidit: hos quidem scepticos, contentiosos, dogmaticos, apologeticos, et, ut aiunt, doctrinales; alios vero exegeticos ad expositionem et declarationem Scripturae pertinentes; alios paraeneticos concionum et exhortationum ad populum; multa scripsit exoterica.

Sed[7] si ex libris ipsius, maxime quod in Catholicos eiaculatus haereticus fuit, demere et resecare quisquam voluerit maledicta, quibus referti tumescunt, convicia in contumeliam conficta, laedorias, sarcasmos, calumnias, falsitates, iniquas criminationes, impudica verba, [vocat enim Catholicos] sophistas, fanaticos, asinos, antichristos, stercora, porcos, diabolos; vix remansura sint parva opuscula et exigui libelli; ubique contumelias, blasphemiasque evomit, et conviciorum in adversarios plaustra exonerat; homo ad maledicendum inexplebili dicacitate, ad conviciandum insatiabili libidine et ad mentiendum proiecta supra modum impudentia et petulantia ad impuras semper et contumeliosas voces,

Haec sunt Lutheri argumenta, hae germanicae demonstrationes. Ubi etiam sceptico more dogmata tractat, doctrinam tradit insipientia plenam, nullaque servata methodo, rationibus quidem solidis sanisque ieiunam, fallacibus autem sophismatibus, cum disputarit, longe refertam. Liceat rem hanc exemplo aliquo demonstrare, quamquam iis, qui vel minimum in Lutheri scriptis versati sunt, nullo opus est exemplo, cum universa prope ipsius doctrina unum perpetuum sophisma sit. Semper fere ab auctoritate, ut aiunt, negativa, argumentatur, quod deliramenti potius quam argumenti specimen habet; placita vero assertaque sua nonnisi insulsissimis rationibus maximeque futilibus argutiis, quae verissimae fallaciae sunt, communit. Huius rei adhibemus exempla.

In libro *Adversus Ambrosium Catharinum* ait,[8] quod « ordinaverit Christus, ut nullum esset peccatum nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides ». Ubi vero, Luthere, haec

7) Cod. 2, f. 272ª-276ᵇ. 8) W. L. t. 2, f. 157.

Christi ordinatio? Unde assertum hoc tam mirabile, tam miraculi et prodigii plenum, ut praeter incredulitatem non sit aliud peccatum? « Sicut, inquit, Ioannes dicit:[9] *Ille arguet mundum de peccato..., quia non credunt in me* ». Videat lector praeclaram Lutheri demonstrationem: Qui non credit in Christum peccat, in peccato manet; ergo nonnisi incredulitas peccatum est. Quomodo sequitur? Insani capitis deliramentum, non argumentum est.

Requirit Lutherus, ut sibi magis credatur quam Sanctis Patribus, quam universae Ecclesiae Dei, quam Apostolis, quam Angelis de coelo; ita enim loquitur, scribens *in Epistolam ad Galatas, capite primo* ad illud: *Si... hominibus placerem, Christi servus non essem*, dicens: « Valde speciosum et robustum hoc argumentum pseudoapostolorum fuit, quod et hodie plures commovet, scilicet, Apostoli, Sancti Patres, et eorum successores sic docuerunt, Ecclesia sic sentit et credit. Impossibile est autem quod Christus tot saeculis Ecclesiam suam errare sinat; tu certe plus non sapis quam tot sancti viri et tota Ecclesia ». Et post pauca iterum ait: « Sacrosanctae catholicae Ecclesiae auctoritatem cupimus illaesam. Ea tot saeculis sic sensit et sic docuit, sic senserunt et docuerunt omnes primitivae Ecclesiae et Doctores, viri sanctissimi multo maiores et doctiores te. Quis es tu, qui ausis ab his omnibus dissentire et nobis diversum dogma obtrudere? »

En Lutheri doctrina ab ipsomet appellatur diversum dogma, dissentiens a Sanctis Patribus et tota Ecclesia! Sed qua ratione probat sibi potius quam Sanctis Patribus et toti ab initio Ecclesiae credendum? « Sive, inquit, S. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, sive S. Petrus, Paulus, Ioannes, imo Angelus de coelo aliter doceat; tamen hoc certo scio, quia humana non suadeo, sed divina, hoc est, quod Deo omnia tribuo, hominibus nihil ». Comprobatque suam sententiam testimonio D. Staupitii, vicarii Ordinis S. Augustini, summi apud ipsum viri, qui Lutheri doctrinam commendabat hoc titulo, quod solius Dei gloriam praedicabat. Hac igitur ratione Lutherus vult doctrinam suam praeferri doctrinae omnium Sanctorum Patrum, doctrinae totius Ecclesiae, Apostolorum, Petri, Pauli, Ioannis, imo Angeli de coelo, quia ipse non humana suadet, sed divina. Quo teste? Staupitio. Quis non hic videt insaniam? « Hoc certo scio, inquit, quia non humana suadeo, sed divina ». Sed quisnam haereticorum hoc non dicit? Annon omnes in unum profitentur se purum putum Dei verbum ipsissimamque veritatem Dei praedicare?

Sed non sufficit praedicare Dei gloriam et verbum veritatis; hoc opus, si recte praedicetur. Hinc Paulus *ad Timotheum* ait: *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Dei operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Non satis est tractare verbum veritatis; opus est recte tractare. Unde novit Lutherus, quod verbum Dei non male tractaverit cum haereticis, sed bene cum catholicis Doctoribus, imo melius tractaverit ipse quam omnes Sancti Patres, quam ipsi Apostoli et Apostolorum summi Petrus et Paulus et quam Angeli ipsi de coelo?

Sed habet Lutherus Staupitii testimonium; invenit patella operculum. Pluris igitur faciendum est Staupitii testimonium quam omnium Sanctorum Patrum, quam

9) Cp. 16.

totius Ecclesiae, quam Apostolorum Petri et Pauli, quam Angeli de coelo? His rationum momentis, plane summi ponderis, Lutherus probat sua placita.

Sed vide, lector, sophisma. Prosequitur ibidem Lutherus, dicens: « Cum fiducia dicere possum: Esto sane Augustinus et alii Doctores, item Petrus, Apollo, imo etiam Angelus de coelo diversum doceant; tamen mea doctrina est huiusmodi, quod solius Dei gratiam et gloriam illustrat et praedicat ». Et post pauca inquit: « At, ait, Ecclesia est sancta, Patres sunt sancti. Bene; sed Ecclesia, quamlibet sancta, tamen cogitur orare: *Remitte nobis debita nostra.* Sic Patres, quamlibet sancti, tamen per remissionem peccatorum salvati sunt. Ergo neque mihi, notanda Lutheri modestia! neque, inquit, mihi, neque Ecclesiae, neque Patribus, neque Apostolis, neque Angelo e coelo credendum est, si quid contra verbum Dei docemus. Sed *verbum Domini stat in aeternum* ». Optime colligit Lutherus ex Staupitii testimonio: « Quia doctrina mea solius Dei gratiam et gloriam illustrat et praedicat »; ergo cum fiducia dicere possum: Magis credendum mihi quam Sanctis Patribus, quam Ecclesiae, quam Apostolis, quam Angelis; nam, quamlibet sancta sit Ecclesia, quamlibet sancti Patres, non tamen sine peccato sunt aut fuerunt. Hoc autem, Luthere, quid ad rem? Nunquid tu sine peccato? Aut quaenam consecutio: Ecclesia, quamlibet sancta, orare cogitur: *Remitte nobis debita nostra;* Sancti Patres, quamlibet sancti, per remissionem peccatorum salvati sunt; ergo mihi magis credendum quam ipsis? Agis tu hic de doctrina fidei; quomodo transis ad mores, ad peccata, quae ex fragilitate humana quotidie committimus? Sed quomodo magis tibi credendum quam Angelo de coelo, qui est omnino sine peccato? Quis non hic videt fanaticorum more praeter rem loqui de fide doctrinae suae Lutherum? Quis sophisma non videt: Sancti Patres non fuerunt sine peccato, nec Ecclesia, quamlibet sancta, est sine peccato; ergo non credendum illis, sed magis mihi?

Sed videamus aliud: « Neque mihi, inquit, neque Ecclesiae, neque Patribus, neque Apostolis, neque Angelo de coelo credendum est, si quid contra verbum Dei docemus ». Praesupponit autem possibile, nam ait quod « Petrus, Apostolorum summus, vivebat et docebat extra verbum Dei, ergo errabat », itemque quod « pseudoapostoli Galatis contra Paulum opponebant totam Ecclesiam cum toto Apostolorum choro », aitque « Ecclesiam errare, si extra vel contra verbum Dei aliquid docet », ac tandem concludit: « Igitur neque Ecclesia, neque Apostoli, neque Petrus, neque Angeli audiendi sunt, nisi afferant et doceant purum Dei verbum ». Ecce sophisma: Non est audienda Ecclesia, si quid docet contra verbum Dei; igitur non est audienda, nisi afferat purum Dei verbum, quia errat, si quid docet extra Dei verbum, et Petrus docebat extra Dei verbum; ergo errabat.

Sciendum quod per verbum Dei Lutherus intelligit non solum Evangelium, verum etiam legem, sicut ipse ait *De Servo Arbitrio.*[10] Sic bonus Lutherus confundit, ad decipiendum, docere contra verbum Dei et docere extra verbum Dei, hoc est, contra Scripturas et extra Scripturas .Utrumque falsum est; nam Paulus praedicabat contra verbum Dei in lege expressum, hoc est, contra circumcisionem et observantiam legis Moysi, quae divinitus data erat. Quare non esset audiendus, maxime in epistola *ad Galatas,* quae tota contra legalia est. Et Petrus in concilio praedicavit extra verbum Dei, cum iussit

10) W. L. t. 2, f. 439.

fidelibus conversis ex gentibus, ut abstinerent *a sanguine et suffocato.* Paulus autem ubique praedicabat, servaretur quod Petrus cum ceteris Apostolis in concilio mandaverat.

Pernegavit L u t h e r u s decreta omnia Ecclesiae, conciliorum et orthodoxorum Patrum eo argumento, quia Dominus ait: *In vanum colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum,* putido sophismate, quasi doctrina Ecclesiae sanctae sacrorumque conciliorum doctrina hominum esset et non Spiritus Sancti: *Visum est Spiritui Sancto,* etc., quasi non haberet Ecclesia, quae *columna et firmamentum veritatis* est, auctoritatem interpretandi et declarandi verbum Dei; ita ut, quod videtur esse contra verbum legis, non sit tamen contra mentem legislatoris, sicut factum fuit *2 Paralipomenon* [11] sub pientissimo rege Ezechia, quando celebratum fuit pascha contra mandatum legis, quod tamen non improbavit Deus.

Sed videas, quaeso, christiane lector, et mirare, si potes, L u t h e r i sapientiam. Posito hoc fundamento quod nemo audiendus est, ne Petrus quidem aut Angelus de coelo, nisi afferat doceatque purum Dei verbum, subiunxit, et rem maximi momenti acu tetigit, dicens: « Hoc argumentum et hodie maxime praegravat causam nostram. Si enim neque Papae, neque Patribus, neque Luthero credendum est, nisi doceant purum Dei verbum; cui tum credendum est? Quis interim certas faciet conscientias, utri purum Dei verbum doceant, nos an adversarii nostri? Nam et ipsi iactant se purum Dei verbum habere et docere. Nos papistis non credimus, quia verbum Dei non docent, neque possunt docere; e contra ipsi nos acerrime oderunt et insectantur ut pestilentissimos haereticos ac seductores. Quid hic faciendum? Num cuivis fanatico spiritui permittendum, ut doceat quae velit? » Magnum sane L u t h e r i quaesitum, cui si recte respondeat, iugulum causae huic et controversiae dedit.

Sed quid respondit? Dictu mirabile! « Ut, inquit, maxime cum Paulo gloriemur nos purum Christi Evangelium docere, cui non solum cedere debeant Caesar, Papa et totus mundus; sed etiam obviis manibus et summa gratiarum actione suscipere, exosculari et diligenter curare, ut ubique doceretur. Si autem aliquis diversum doceat sive sit Papa, sive Augustinus, sive Apostolus, sive Angelus e coelo, eum esse cum suo Evangelio anathema; nihil tamen proficimus, sed audire cogimur hanc nostram gloriationem non solum esse superbam, temerariam, vanissimam, sed et blasphemam ac diabolicam. Si vero demittimus nos et cedimus furori adversariorum, tum utrique et papistae et fanatici spiritus superbiunt: hi aliquid novi, quod mundus antea non audivit, afferre et docere; illi vero suas abominationes rursum erigere et confirmare volunt. Quisquis igitur videat, ut certissimus sit de sua vocatione ». Hoc est integrum L u t h e r i responsum ad quaesitum.

« Parturient montes, nascetur ridiculus mus ». [12]

Quaesitum fuit: Cum omnes dicant praedicare se purum verbum Dei, tum papistae tum Lutherani; unde sciendum cui magis credendum est, utri purum Dei verbum doceant? Responsum salomonica sapientia dignum est: « Quisquis videat, ut certissimus sit de sua vocatione et doctrina ». Sed unde? Sed quomodo? Sed quibus rationibus, Luthere, certas facis conscientias tuorum, quod tu purum Dei verbum doceas, non autem

11) Cp. 30. 12) Hor. *De Arte Poetica,* vr. 139.

adversarii tui? Hic altum silentium, pythagorico multo profundius multoque diuturnius. Annon plane optima ista est docendi ratio?

Verum, quia de doctrina hic agimus, audiamus Lutherum *in* eandem *Epistolam ad Galatas* scribentem *primo capite* super illud: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Tradit enim Paulum his verbis Christum definivisse, veramque Christi definitionem hanc esse: « Christus est Filius Dei et filius Virginis, qui passus est et mortuus pro peccatis nostris », iubetque ut definitionem hanc quisque diligenter discat, maxime vero pronomen *nostris: pro peccatis nostris.* Habemus optimum Christi definitorem; tantum ignoramus, an definitor sit physicus an metaphysicus. Nihilne aliud, Luthere, continetur in tua ista Christi definitione? Ubi illud Isaiae: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos ?*

Sed optimum Pauli expositorem Lutherus agit. Paulus ait, quod Christus *dedit semetipsum pro peccatis ;* Lutherus autem ait, quod Paulus his verbis Christum definivit, quasi vero definitio rei in actione consistat. Saltat aliquando bene Lutherus, sed extra chorum. Hisce autem verbis Paulum voluisse Christum definire ne somniasse quidem existimo; forte definire voluit *ad Hebraeos* scribens, cum ait: *Deus... novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula; qui, cum sit splendor gloriae et figura,* sive *character, substantiae eius,* etc. Sed Luthero omnia licent; homo enim spiritualis est, *qui iudicat omnia, et a nemine iudicatur.*

Sed alio adhuc loco in eadem *Epistola ad Galatas* audiendus nobis est Lutherus quam belle ratiocinatur. Versans enim illud *secundo capite : Mihi enim, qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt,* docet christianum oportere superbissimum esse, ac de seipso ait: « Gero titulum: Cedo Nulli »; aitque, ne digitum quidem aut pilum se cessurum centum Caesaribus, mille Papis, neque Petro aut Paulo, neque omnibus Angelis in coelo. Qui vero istud, Luthere? « Caritas, inquit, cedit, quae omnia suffert, omnia sperat; contra fides non cedit, imo nihil omnino tolerare potest iuxta hoc vulgare dictum: Non patitur ludum fama, fides, oculus. Quare christianus, quoad fidem attinet, superbissimus et pertinacissimus sit. Nihil plane patiatur, nulli ne pilo quidem cedat; fide enim homo fit Deus, 2 Petri.[13] Deus autem nihil patitur, nulli cedit; est enim immutabilis. Sic fides est immutabilis; igitur nihil pati, nulli cedere debet. Per caritatem autem christianus cedat et toleret omnia; tunc enim est merus homo ». Ita Lutherus mirabiliter ratiocinatur.

Quis audivit unquam talia? per fidem homo superbissimus et pertinacissimus debet esse, ita ut ne pilo quidem cedat centum Caesaribus, mille Papis, neque Petro aut Paulo, nec Angelis omnibus, quia fides hominem facit Deum, 2 Petri.[14] Quis unquam hoc legit in Petro? Petrus ita loquitur: *Maxima nobis et pretiosa promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae,* hoc est, per Spiritum Sanctum Deo similes. Ubi est Lutheri somnium vel delirium, quod fides hominem Deum facit; ita ut christianus per fidem sit Deus, qui nihil pati potest, per caritatem autem merus homo? Sed forte, cum haec scriberet Lutherus, *prophetabat,* sicut Saul *in medio domus suae,* tam mirabilia loquitur.

13) Cp. 1. 14) Cp. 1.

Sunt autem in ipsius scriptis ratiocinationes huiuscemodi sine numero, ut mittam quam multa asserit more pythagorico propria tantum auctoritate firmata αὐτὸς ἔφα, [15] ipse dixit. Sicut in eadem *Epistola, capite secundo* ad illud: *Propter subintroductos falsos fratres*, «veritas, inquit, Evangelii est quod iustitia nostra ex sola fide est sine operibus legis. Falsitas seu depravatio Evangelii est, quod fide iustificamur, sed non sine operibus legis. Hac conditione annexa pseudoapostoli praedicaverunt Evangelium; hoc idem fecerunt sophistae et papistae nostri, quod scilicet in Christum sit credendum fidemque esse fundamentum salutis, sed eam non iustificare, nisi formata sit caritate. Haec non est veritas, sed fucus et simulatio evangelii. Verum autem evangelium est, quod opera aut caritas non sint ornatus seu perfectio fidei; sed quod fides per se est donum Dei et opus divinum in corde, quod ideo iustificat, quia apprehendit Christum Salvatorem». Quam multa hic et quam confidenter Lutherus asseverat! Sed qua ratione? Quo teste? Ipse dixit. Quare Lutheri doctrina inanissima est, summa laborat solidarum rationum inopia; gaudet autem maxima sophismatum, mendaciorum, falsitatum, conviciorum, categoriarum et perversissimarum opinionum abundantia, summa copia malorum ditissima, plena innumeris imposturis.

Catholicis multa falso attribuit nobilissimus impostor, pluribus in locis vitam monasticam pessumdat, et diris devovens ait, quod D. Bernardum in fine poenituerit vitae monasticae, quodque dixerit: «Perdite vixi», quodque de vita sua desperarit, ita *super quartum caput ad Galatas* [16] et *De Votis Monasticis*, [17] cum aegrotasset ad mortem. Impostura est; non enim tale quid legitur in vita Bernardi; sed quod, cum aegrotasset ad mortem, visus fuit sibi ad tribunal Domini praesentari et a satana accusari, ipse autem nihil territus, aut turbatus dixit: «Fateor, non sum dignus ego», etc. [18]

Verum, quia Polycarpus Laiserus, in quem praesertim calamum stringimus, de grege Homologistarum est, *Augustanae Confessionis* professor assertorque; videamus, quaeso, quidnam sit haec tantopere praedicata *Augustana Confessio*. Dicunt autem *Augustanam Confessionem* esse luthericae doctrinae lapidem lydium, librum homologeticum symbolumque confessionis orthodoxae ecclesiae evangelicae, cuius auctoritatem non aequant quidem Divinis Scripturis, sed symbolis Apostolico, Nicaeno, Constantinopolitano et Athanasii nihilo fere inferiorem faciunt; cuius principem quidem causam in Deum referunt, inventionem autem Ecclesiae, Luthero dispositionem et Philippo Melanchthoni elocutionem et crebras mutationes, sicut tradit Georgius Mylius in *Prolegomenis* ad suam *Explicationem Augustanae Confessionis*, quamvis David Lobecchius in suis *Theologicis Disputationibus Articulorum Augustanae Confessionis* Philippo nonnisi mutationes tribuat *Confessionis* istius *Augustanae*. Aitque iniuriosissimos esse in sanctissimos Lutheri manes eos, qui conscriptionem huius *Confessionis* Philippo tribuunt.

Haec thesaurus Lutheranorum dogmatum est et regula, ad quam omnia sua circa doctrinam placita exigunt; haec Helena illa, pro qua tanto ardore Lutherani omnes decertant. Sed ita tamen ut, cum *Augustana* ista *Confessio* saepius mutata sit, refusa, recocta,

15) Ms.: Αυτος εφα. 16) W. L. t. 5, f. 400. 17) W. L. t. 2, f. 286. 18) *Vita S. Bernardi*, lib. 1, cp. 12.

nesciant ipsi quaenam sit authentica. Quare in primis quidem incerta *Confessio* est. Ab anno enim 1530 usque ad annum 1580 diversis in locis temporibusque vulgata est, mirum in modum transmutata ac transformata, multis expunctis, multis additis, multis quoad sententiam mutatis, multis fusius explicatis expositisque egressa est, saepe alio colore fucata et ad instar plumbeae Lesbiae regulae flexiloqua ambagibusque et dubiis phrasibus referta et in anguillae modum sinuosa et lubrica.

Videtur autem, sicut Fridericus Staphylus adnotavit, similis decantatae apud Hesiodum Pandorae, aspectu pulcra, gratiis decora, eloquio suavis atque melliflua, sed ab Iove in terram missa ad decipiendos homines cum pyxide clausa, in qua erat omne malorum genus; ita ut, pyxide ab Epimetheo aperta, terram morbis et calamitatibus usquequaque repleverit.

Sed ne in re seria poeticis figmentis ludamus, loquamur cum Sacris Litteris dicamusque quod verum est, *Confessionem Augustanam* esse vestem ovillam, sub qua latet rabies lupina, sepulcrum dealbatum, quod intus plenum est omni spurcitia, vas aureum in manu meretricis magnae, plenum nominibus blasphemiae et omni abominatione; thesaurus enim haeresum est, lerna malorum.

Sed, ut mittamus quod spectat ad veritatem aut falsitatem doctrinae, si *Augustanae Confessionis* methodum consideremus, doctrinae ordinem et rationum momenta, bone Deus, quid insulsius? Agit primo articulo de Trinitate; et merito quidem, nam hoc summum caput est doctrinae christianae, et in omnibus symbolis fidei hoc primum est traditum. Secundo autem articulo agit de peccato originali. Quaenam haec consequentia? Quae doctrinae connexio? A Trinitate statim ad peccatum originale? Nihil de creatione mundi, nihil de formatione hominis. De libero autem arbitrio, quod homini naturale est et originale peccatum natura praecedit, in articulo decimo octavo postea agit. Ita sane quam multa praepostero ordine traduntur; nam prius agitur de ministerio sacramentorum articulo quinto, quam de sacramentis articulo nono ac de Ecclesia, extra quam non potest esse legitimum ministerium sacramentorum. Sic nonnisi praepostero confusoque ordine traditur doctrina fidei in *Augustana* ista *Confusione*, potius quam *Confessione*.

Et, quod spectat ad rationum momenta, traditur absque ullo apodictico argumento vel expresso Divinarum Scripturarum testimonio. Quod, ut evidens fiat, audiamus ipsam *Confessionem* in re omnium maxima, in articulo inquam Trinitatis, unde initium sumit et infelicissime auspicatur infausta *Confessio*. Ita autem habet: « Ecclesiae magno consensu apud nos docent decretum Nicaenae synodi de unitate essentiae divinae et de tribus personis verum et sine ulla dubitatione credendum esse, videlicet, quod sit una essentia divina, quae et appellatur et est verus, aeternus, incorporeus, impassibilis, immensa potentia, sapientia, et bonitate, creator et conservator omnium rerum visibilium et invisibilium; et tamen tres sint personae eiusdem essentiae et potentiae coaeternae: Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et nomine personae utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit. Damnant omnes haereses contra hunc articulum exortas: Manichaeos », etc. Ita *Confessio*. Sed instar oraculi loquitur, ac xe tripode pronunciat: « Ecclesiae, inquit, apud nos ».

Dicam cum Tertulliano: « Quinam estis vos? Aut unde venistis? » Deinde:

Quaenam sunt istae ecclesiae apud vos doctrices et magistrae, quae magno consensu docent? Quis iste magnus consensus vel syncretismus? Sed quaeso, lector, attendas: Lutherus ab omnibus doctoribus, sacrisque conciliis provocavit ad solas Divinas Litteras; nunc autem in re omnium maxima summoque de Trinitate articulo silent Scripturae, nec nisi Nicaenae synodi decretum adducitur nomenque personae secundum ecclesiasticos scriptores accipiendum statuitur. Itane? Quid si hic in tali tantaque fidei causa arianus aliquis in Lutheranos iactet, quod Lutherus tam saepe in Catholicos iactavit: *Docentes doctrinas et mandata hominum?* Deinde ait: « Damnant, scilicet ecclesiae, omnes haereses contra hunc articulum exortas ». Bene, optime; sed quibus argumentis? Quibus rationibus? Quibus iuribus? Damnant omnes haereses tantum propria ipsorum Lutheranorum auctoritate. Quodnam hoc genus doctrinae? Ita in singulis articulis tradit *Confessio* doctrinae thesim et damnando oppositum errorem haeresimque antithesim. Sed utrumque propria auctoritate; nonnisi perraro Scriptura in *Confessione* loquitur, vel potius male adducta et distorte intellecta Lutheranorum omniumque haereticorum more obloquitur.

Haec autem protheoriae loco praefati de lutherana doctrina in universum, tempus est, ut ad rem propius accedamus, et cum hoste cominus conseramus manum.

INDEX
SYNTHETICO-ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS

SECUNDA PARS

HYPOTYPOSIS ECCLESIAE ET DOCTRINAE LUTHERANAE

LIBER PRIMUS

HYPOTYPOSIS ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRAEAMBULA

Ostenditur iam qualis sit lutheranismus quem novo suo evangelio Lutherus in mundo fundavit quam bonos filios per evangelium suum genuerit quam sanctam christianitatem et ecclesiam aedificaverit fabricatusque fuerit

I. S. Laurentius de lutheranismo acturus incipit a sententia Salvatoris: *Omnis arbor*, etc., quo loco Dominus loquitur de bonis et malis doctoribus, et de eorum discipulis. — II. Doctrina divina a sanctis Doctoribus tradita ducit homines ad omne virtutum genus; haeretici vero doctores, discipulos faciunt sibi et diabolo similes. — III. In Scripturis et SS. Patribus multa leguntur de haereticorum moribus. Paulus dicit, quod sunt *homines seipsos amantes, cupidi, elati*, etc.; Petrus vero quod *sunt magistri mendaces, falsi doctores*, etc. perituri in sua corruptione, *voluptatum amatores, luxuriantes in erroribus suis*, etc. *fontes sine aqua, superba loquentes*, etc. — IV. Iudas dicit quod sunt homines impii, Christi negatores, etc. *voluptatum* et deliciarum *amatores*, in conviviis luxuriose loquentes, etc. Haec Apostolorum diligentia in describendis haereticis ostendit, quam perniciosa sit haeresis. — V. Etiam Patres multa scripserunt de moribus haereticorum, praesertim Tertullianus in suis *Praescriptionibus*, ubi haereticos notat futilis conversationis, prostrationis disciplinae, conspirationis in catholicam veritatem, superbiae et perturbationis ecclesiastici ordinis; notat insuper eorum intestina dissidia, et maxime quod Deum timendum negant. — VI. Quod maxime cernitur apud Lutheranos, qui, abiecto timore Dei, per suam fidem specialem summa licentia vivunt, praeeunte Luthero. — VII. Quae sit Lutheri secta ex multorum etiam haereticorum iudicio. Georgius dux Saxoniae ait Wittembergam factam esse per Lutherum arcem apostatarum; numeratque fructus ex Lutheri evangelio ortos: blasphemias, sacrilegia, rebelliones, etc. — VIII. Henricus Angliae rex dicit nullam esse factionem tam seditiosam et nefariam, quam lutheranam. — IX. Erasmus Roterodamus ait Lutherum sua doctrina movisse seditiones usque ad stragem, ac talem morum corruptionem induxisse, quae nec apud ethnicos extitit. — X. Idem affirmant Martinus Bucerus, Calvinus et Theodorus Beza. — XI. Ipsi Lutherani de sua ecclesia male locuti sunt. A. Musculus dicit Lutheranos esse ingentem nebulonum, turbulentium et fallacium turbam; Io. Wigandus ait iuventutem evangelicorum fieri quotidie deteriorem, etc.; P. Eberus dicit evangelicos scatere schismatibus, abusu libertatis, etc. — XII. Iac. Andrâae fatetur quod apud Germanos nulla sit morum emendatio, sed cernitur horrenda vita; Phil. Melanchthon ait apud suos

studium impendi conviviis et ebrietatibus. — XIII. Ipse L u t h e r u s dicit, quod, audito suo evangelio, multi peiores fiunt quam antea, quod libertatem spiritus rapiunt in libertatem carnis, quod mundus evasit deterior quam antea sub papatu. — XIV. Frustra opponit L a i s e r u s , quod I s a i a s et Dominus conquesti sunt de suis auditoribus, nam ipsi arguerunt auditores de duritie cordis, non quod ex eorum doctrina facti sint peiores, ut L u t h e r u s , M u s c u l u s , et S c h m i d e l i n u s fecerunt. Lutheri ergo ecclesia vocari potest vinea Sodomorum. . . . . . . Pag. 3-22

SECTIO PRIMA

DE FUNDAMENTO ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

Agitur de fundamento primario supra quod a Luthero fundata est sua ipsius ecclesia ostenditurque verum ac solidum fundamentum sacrosanctae Ecclesiae Dei

I. Priusquam considerentur lutheranae ecclesiae partes, notio verae Ecclesiae tradenda est. Olim Ecclesia dicta fuit synagoga, idest, congregatio, quod idem significat ac nomen Ecclesiae; quae vox absolute posita sacram congregationem denotat. — II. Vocatur etiam in Scriptura multitudo credentium, vel domus Dei, templum Domini, regnum Dei, etc. P e t r u s eam appellat *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam*, etc. Ex his deducitur Ecclesiam esse populum divina fide et religione imbutum. — III. Ut res clarior fiat, dicendum est aliquid de Ecclesiae causis: causa materialis est multitudo credentium; formalis est fides; finalis duplex est: gloria Dei et salus nostra, ut P e t r u s et P a u l u s docent; causa efficiens item duplex assignatur: principalis, Deus; secundaria, Apostoli et ministri verbi. — IV. Duo leguntur in Scripturis fundamenta Ecclesiae: Christus, et Petrus cum aliis Apostolis. Sicut Christus dicitur porta, et Apostoli portae nominantur in Scripturis. Post Christum vero maxime Petrus est fundamentum Ecclesiae, cui dictum fuit: *Tu es Petrus*, etc.; et per ipsum gentes auditurae erant Evangelium, et quia electus a Christo princeps Apostolorum. — V. Ecclesia, licet in Petri auctoritate fundata, non vocata fuit p e t r i a n a, sed c h r i s t i a n a ; at Lutheri ecclesia dicta fuit l u t h e r a n a , ideo dicenda antichristi synagoga. Lutheri sectatores Lutherani dicuntur, ut testis est L a i s e r u s et ipse L u t h e r u s , qui etiam facit seipsum fundatorem suae ecclesiae. — VI. Quale fundamentum habeat ecclesia lutherana. Ecclesia Christi fundata est super Petrum, qui constitutus fuit a Christo petra Ecclesiae. Lutheri vero ecclesia ignoratur supra quam petram fundata sit. L u t h e r u s quidem iactat semper verbum Dei. — VII. Scripturas tamen exaltat, ut Ecclesiam deprimat, in libro *adversus Regem Angliae* ait, quod Ecclesia fundata sit supra Christum, idest, verbum Dei; quod opponendum est contra dicta hominum et Angelorum; hinc Lutherani in comitiis Spirensibus gestabant litteras: V. D. M. I. AE., cum tamen de Scriptura non esset controversia; sed de sensu Scripturae. — VIII. L u t h e r u s plus fidei requisivit sibi quam omnibus aliis, eo quod divina doceret et Dei gratiam illustraret; habuitque multos sectatores, qui Luthero ut divino oraculo adhaeserunt. — IX. Fundamentum ergo ecclesiae lutheranae est Lutheri auctoritas, quod melius intellexerit Scripturas, quam alii. L u t h e r u s blandiebatur sibi testimoniis Scripturarum, quod et diabolus fecit, et omnes haeretici faciunt. — X. Et quidem Zwingliani, Calvinistae et Anabaptistae non sunt Lutheranis inferiores in citandis Scripturis; et rabbini peritissimi sunt Sacrarum Scripturarum. Gloriatur L u t h e r u s quod diligenter legerit Scripturam; sed ut haeretici, qui adulterant verbum Dei. — XI. Scriptura variis modis adulteratur: d e t r a c t i o n e , a d i e c t i o n e , t r a n s m u t a t i o n e , sicut L u t h e r u s fecit. — XII. Fuerit L u t h e r u s optimus Scripturarum interpres; at alii non spernendi. Si fuit propheta, cur primam versionem saepius emendavit? Lutherani, eatenus certi sunt de Lutheri editione Bibliorum, quatenus de sua divina missione. Sed ostensum est Lutherum non fuisse a Deo vocatum. Iniuria ergo adhaerent Bibliis Lutheri. — XIII. Nulla igitur firmitate ecclesiae lutheranae fundamentum consistit. Connexio cum sequentibus. . . . . Pag. 23-40

DISSERTATIO SECUNDA

Quod Lutherus spiritu vertiginis et erroris actus magna inconstantia laboravit et tanquam arundo vento agitata fuit

I. Prophetae et Apostoli appellantur in Scripturis fundamenta et columnae, quia contra mundum et diabolum magna constantia pugnaturi et ideo donis scientiae, timoris et fortitudinis repleti fuerunt. — II. Quae dona eluxerunt in Prophetis et Apostolis, maxime vero in Petro, in Stephano protomartyre et Paulo. — III. Apostoli, sicut constantia animi, ita et doctrina mirabiles. Sic in Ecclesia semper eadem servata est doctrina, quia in ea semper est idem Spiritus veritatis. E contra haeretici semper in fide haesitantes circumferuntur variis doctrinis, ut testatur Tertullianus. — IV. Ex dictis facile perspicitur, quale fundamentum habeat ecclesia lutherana. Lutherani volunt Lutherum divinitus missum, sed sine comite, absque sanctitate et certitudine veritatis. — V. Lutherus magna inconstantia laboravit, dum citatus Romam ire noluit; citatus Augustam, commendatiis litteris munitus comparuit. Et tamen ait quod, qui a Deo urgetur, loquitur libere et manifeste. — VI. De inconstantia Lutheri in doctrina testes sunt Staphylus, Io. Cochlaeus et Io. Pistorius, A. Catharinus et Henricus VIII rex Angliae. — VII. Lutherus frustra suos errores defendere conatur, dicens quod solus erat et ad tantas res tractandas ineptissimus. Conatur a se depellere calumniam antilogiarum, dicens quod non sit pugnantia docere, si quis cognita veritate, aliter quam antea sentiat; sed si quis contraria simul doceat. — VIII. Lutheri impostura facile diluitur, nam Augustinus nunquam dixit dogmata se habere de coelo; Paulus vero non agit ibi de doctrina, quam post conversionem acceperat. Lutherus e contra post apostasiam pugnantia docuit. — IX. Testis est liber *in Regem Angliae*, in quo convicia iacit contra regiam maiestatem; postea veniam petit, dicens se paratum omnia retractare; ipse Lutherus fatetur se in hoc animi levitate motum fuisse. — X. Lutherus inconstans fuit in doctrina de sacramentis; nam in libro *De Captivitate Babylonica*, prius dicit ponenda esse tantum tria sacramenta, postea tantum duo; et tamen in eodem libro ait se non negare septem sacramenta. — XI. Nec Lutherani in hoc constantes sunt; alii enim duo sacramenta agnoscunt, plerique tria, Phil. Melanchthon aliquando quattuor sacramenta statuit. In conventu Lipsiensi theologi lutherani septem sacramenta admiserunt; hinc molles dicti sunt. — XII. Magna item Lutheri inconstantia in sententia de communione sub utraque specie, dum in suis *Assertionibus* et in libro *Adversus Execrabilem Bullam Antichristi* eam tuetur, in libro vero *De Captivitate Babylonica* revocat. — XIII. In libro *Assertionum Articulorum* vocat articulos suos nugales, et tamen vult esse amplectendos sub poena aeternae maledictionis. — XIV. Summa etiam inconstantia Lutheri in tradenda doctrina de libero arbitrio; dum in suis *Assertionibus* et in libro *De Servo Arbitrio* negat liberum arbitrium; in *Visitatione* vero *Saxonica* aperte tuetur. Hinc rigidi Lutherani negant, Confessionistae vero affirmant liberum arbitrium. Multae aliae sunt Lutheri antilogiae, de quibus suo loco. — XV. Inepte Lutherani conantur Lutherum excusare, dicentes quod scribendo et legendo profecerit; haec enim doctorum excusatio esse potest, non Prophetarum. Ipse Lutherus, in Carolostadium scribens, eam non admittit. — XVI. Item inconstans etiam Lutherus in doctrina de Ecclesia Romana, dum aliquando eam vocat antichristi synagogam, aliquando fatetur in ea veram esse fidem, etc. Hinc patet Lutherum non esse firmum Ecclesiae fundamentum. Connexio cum sequentibus. . . . . . . Pag. 41-60

DISSERTATIO TERTIA

Arguitur Lutherus exemplo Pauli quo seipsum aliquando tutatus fuit quod relicta Romana Ecclesia uti falsa aliam uti veram ingressus non fuit

I. Lutherus seipsum Paulo similem facit, dicens se prius fuisse papistam, sed postea conversum ad agnitionem gratiae pervenisse. Item se Paulo similem facit, quod non a Papa suam doctrinam acceperit, sed e coelo vocationem et missionem habuerit, et, instar Pauli, ex Romana Ecclesia facta satanae synagoga exierit. — II. Sed nihil commune habuit Lutherus cum Paulo; Paulus enim a synagoga Iudaeorum ad Christi Ecclesiam se convertit; Lutherus e contra Ecclesiam Romanam de-

seruit, et aliam suo nomine fundavit. — III. Paulus non fuit vocatus ad novum evangelium praedicandum, nec fundavit novam ecclesiam, ut fecit Lutherus. Paulus quidem vocatus fuit a Christo, sed per alium Ecclesiae insertus; non quaesivit principum protectionem; praedecessores Apostolos non contempsit; contulit cum Petro et Apostolis Evangelium suum, voluitque, ut sua doctrina ab ipsis probaretur, licet iam multis miraculis comprobata. — IV. Haec Lutherus minime fecit. Ostendant Lutherani ecclesiam, quam Lutherus persecutus fuit, et ad quam postea transivit. Pauli quidem persecutio Iudaeis et christianis notissima erat; Lutherus se quidem vocat Saulum, sed non dicit quamnam Ecclesiam persecutus fuerit, nec quamnam invenerit. Paulus reliquit synagogam, sed post inventam veram Dei Ecclesiam. — V. Haeretici nulla meliori ecclesia inventa, veram relinquunt, et aliam novam erigunt, sicut fecit Lutherus, licet ipse scripserit non posse Christum inveniri, nisi prius inveniatur Ecclesia. Laudavit quidem ecclesiam Graecam et sectam Hussiticam; at ad Graecos vel Hussitas non transivit, sed novam condidit ex solis Scripturis, cum veritas Scripturarum non inveniatur extra Ecclesiam. — VI. Lutherus vocat Hussum pium et doctum; cur ipsum non est secutus? Cur Tridentinum concilium non adivit, sicut Hussus Constantiense? — VII. Autumant dogmatistae Ecclesiam collapsam per Lutherum restitutam fuisse, ut olim Donatistae asserebant de Donato. — VIII. Alii asserunt Ecclesiam non periisse, sed latitasse sicut in diebus Eliae; quod insane figmentum est, Dominus enim dicit Ecclesiam supra montem positam non posse abscondi, et elevatam in vertice montium praedixerunt Isaias et Michaeas; et synagoga gloriosiorem prophetavit Aggaeus. — IX. Sed etiam falsum est Ecclesiam tempore Eliae latitasse; nam Scriptura non loquitur ibi de Ecclesia universali, sed de particulari, quae latitare potest. Tempore vero, quo Ecclesia in regno Israelis persecutiones patiebatur, florebat sub rege Iudae. — X. Nec ad rem facit testimonium *Apocalypseos* de muliere in desertum fugiente; ibi enim agitur de novissima antichristi persecutione. Nec admitti potest Ecclesiam fide destitutam per mille annos latitasse, sine praedicatione et pastore. Si latitans Ecclesia, ubi eam invenit Lutherus? — XI. Mendaciis igitur nituntur dogmatistae in suis commentis. Novam ergo ecclesiam ex solis Scripturis, suo arbitrio intellectis, construxerunt Lutherani, ideoque anathemate plectendi. Connexio cum sequentibus . . . . Pag. 61-79

SECTIO SECUNDA

DE AEDIFICIO ET QUALITATIBUS ECCLESIAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

Lutheranae ecclesiae aedificium quale sit quibusque lapidibus aedificatum et an vere templum Dei dici possit disquiritur inspiciturque

I. A fundamento ad aedificationem procedendum est. Petrus etiam docet super Christum aedificandam esse domum spiritualem; item Paulus dicit super Christum aedificandum esse argentum, aurum, etc. in similitudinem templi Salomonici, quod lapidibus pretiosis extructum erat. Qua metaphora utitur et Paulus, scribens *ad Ephesios*. Petrus vocat Ecclesiam *domum spiritualem*, sic Paulus eam dicit *habitaculum* et *templum sanctum*, alludens ad tabernaculum mosaycum et ad templum Salomonis, quod utrumque sanctum dicebatur. Hinc populus christianus a Petro et Paulo *gens sancta* vocatur. — II. Ita proprio titulo Ecclesia sancta dicitur, quia vera sanctitas nonnisi in ea semper invenitur. Soli christiani dicuntur sancti, sicut inter omnia animantia solus homo rationalis dicitur. Sicut in homine sunt multae partes non rationales; sic in Ecclesia sunt multi christiani non sancti; et sicut homo non potest ratione carere, sic nec Ecclesia Spiritu Christi sanctificante. — III. Revera Ecclesia nunquam fuit sine viris sanctis. In V. T. ab initio fuerunt Abel, Seth, etc. postea Patriarchae sanctissimi, iudices, reges, Prophetae, post captivitatem Zorobabel, Aggaeus, etc. — IV. In N. T. omni saeculo floruerunt eximiae sanctitatis viri. — V. Ad maiorem confirmationem veritatis fidei catholicae voluit Deus per multos Sanctos innumera patrare miracula, quibus etiam eorum sanctitatem probavit. Omnes enim eam aestimant veram religionem, quae a Sanctis miraculis probatur.

Ita Elias miraculis ostendit Deum Israel esse verum Deum; sic Paulus apostolatum suum signis probavit. Lutherana secta nullos habuit sanctitate et miraculis conspicuos et Lutherus nullum miraculum fecit; — VI. sed credi voluit missus a Deo sine Dei testimonio, quasi alter Ioannes Bapt.; quocum non est conferendus. Ioannes quidem *nullum fecit signum;* at ipse fuit ingens miraculum. Non assumpsit praedicationis officium, nisi a Deo vocatus; non praedicavit novam doctrinam; non evertit synagogam, nec Pontifices traduxit; interrogatus, humillime respondit se venisse ad praedicandam poenitentiam. Si novam doctrinam traditurus fuisset, non sine miraculis missus esset. — VII. Ab haereticis miracula exigenda sunt ad fidem doctrinae faciendam; sed illi ea in perversum patrare aemulantur, ut Calvinus et Lutherus. — VIII. Dicunt Lutherani sibi non esse quaerenda signa, cum Scripturam praedicent; Ecclesiae vero miracula damnant, ut olim Pharisaei, pagani, etc. Ceterum non agitur hic de Scriptura, quae etiam nobis sacrosancta est, sed de sensu Scripturae. — IX. Et quidem Deus haereticorum sectas nunquam miraculis comprobavit, et si haeretici virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, sed in virtute daemonum operantur. — X. Lutheranorum nulla est sanctitas, quia sola fide contenti, qua arbitrantur se ditissimos esse, quamvis multis peccatis onerati sint. — XI. Sic domus a Luthero aedificata est non ex auro et argento, etc., sed ex stipula, quae facile comburitur. — XII. Nec sanctitate apostolicae Ecclesiae est ditata lutherana secta, nam vita primitivae Ecclesiae fuit mirabilis; quia fideles erant perseverantes in doctrina Apostolorum, in fractione panis et oratione; erant cor unum et anima una, perpetuus erat in eis verbi Dei auditus, summa caritas, paupertas, nulla avaritia aut crapula. — XIII. Nil horum cernitur in lutherana ecclesia, in qua attenditur quidem verbo Dei, sed ad mentem Lutheri; et nullus eorum doctor vitam apostolicam ducit. Igitur lutherana ecclesia, cum non sit Ecclesia sanctorum, remanet ut sit ecclesia malignantium. . . . . Pag. 79-99

DISSERTATIO SECUNDA

Lutheranorum ecclesiam omnino similem esse ac nihilo meliorem omnibus aliis haereticorum sectis quae unquam superioribus saeculis in mundo fuerunt

I. Omnes haereses sunt lues Ecclesiae infestissimae; sed omnium pessima fuit Arianorum secta, quae totum fere orbem infecit, deceptis multis Episcopis et capto ipso imperatore Constantio, qui acerbissimam persecutionem in Ecclesiam catholicam movit. Nec minus infensa fuit persecutio Valentis in Catholicos omnes, maxime vero in monachos. — II. Longe aliud fuit iudicium Catholicorum de monastica vita; omnes enim semper monachos mira pietate coluerunt, et Patres laudibus eos celebrarunt. Io. Chrysostomus eos vocat Angelorum coetus, etc. Hieronymus dicit quod, sicut unumquodque propositum habet principes suos, sic monasticum institutum habet principes Antonium, Macarium, etc. Augustinus in Donatistas, monachis insultantes, pluries invehitur. Vigilantius etiam, Iconomachi, Constantinus Copronymus et Theophilus imperator monachis valde infensi fuerunt; sed maxime Ariani sub Constantio et Valente, cum etiam optimi Episcopi in exilium pulsi fuerunt. — III. Super omnes autem Romanus Pontifex haereticis omnibus, praesertim Novatianis, Donatistis et Arianis invisus fuit. — IV. Omnes vero a Lutheranis superati sunt, sicut Arius a Luthero. Arius ambitione episcopatus, doctrinae apostolicae obsistere coepit, suasque haereses disseminare per dulces sermones; deinde Christo et Episcopis maledicere; divinitatem Salvatoris inficiari, errorem suum ex Sacris Litteris corroborare et seditiones concitare; Patres omnes parvipendere et seipsum omnibus praeferre. — V. In hoc Lutherus fuit Ario multo praestantior. Arius damnatus fuit ab Alexandro, a Nicaena synodo, a Constantino M.; Lutherus a Romano Pontifice, a concilio Trid., a Carolo V; Arius unam haeresim docuit, Lutherus multas; Arius suum Episcopum tantum incessit, Lutherus Romanum Pontificem dictis et scriptis vehementissime insectatus est, in omnes Episcopos odio exarsit, et contra eos fideles ad sanguinem excitavit; — VI. Lutherus pestilentes libros in monachos scripsit et virulentiores calumnias quam Eunapius Sardius. Ariani quidem monachos insectati sunt, sed non ex Arii doctrina; Lutherus autem monasticae vitae osor infestissimus, monasticam vitam improbavit, virginitatem impossibilem, et vota monastica impia, daemo-

niaca, sacrilega dixit. — VII. Sancti Patres e contra monachos et monasticam vitam laudarunt. Io. Chrysostomus et Hieronymus dicunt Io. Baptistam fuisse monasticae vitae principem. Post Christum S. Antonius monastici ordinis institutor fuit, qui postea longe lateque diffusus est in oriente, et a S. Athanasio in occidentem invectus, a populo christiano obviis manibus exceptus fuit; quem etiam Martinus Turonensis in Galliam et Augustinus in Africam intulerunt. S. Basilius auctor et regulator monachismi, moniales et monachos beatos vocat, ad Evangelii normam vitam ducentes. Falso igitur Lutherus monasticam vitam Scripturis adversari affirmat. — VIII. Lutherus non septingentas virgines tantum, ut Arius, sed innumeras moniales seduxit, et causa fuit, cur multa monasteria in Germania solo aequata et monachi magis invisi sint quam apud Turcas. Sed Lutherani carnaliores Turcis et ipsis gentibus sunt, apud quos magni habita fuit castitatis professio, sicut nunc apud Turcas. — IX. Lutherus Ioviniano iniquor fuit; nam Iovinianus quidem e monachismo exivit et virginitatem coniugio aequavit, ipse tamen minime nupsit; Lutherus autem verbo et exemplo clericis, monachis et virginibus laxavit habenas, et ex Scripturis perperam intellectis ecclesiam sine professione castitatis fundavit, contra Christi et Pauli doctrinam; ac Germaniam, quae post Bonifacium plurimas et nobilissimas virgines habuerat, in pristinum statum reduxit. — X. Lutherus etiam haereticum Nicolaum, immunditierum repertorem, superavit, et Manichaeo, Marcione, Ario, Tatiano impudentior fuit; quare lutherana ecclesia libidinum mare evasit. — XI. Nec mirum; Lutherus enim doctrina et exemplo, humanae naturae ad libidinem propensionem acuens, ad luxuriam omnes excitavit; maxime cum populi viderent sacerdotes et monachos veneri operam dare et incestuosos monachos a nobis ad eos transfugientes honoribus exceptos. Lutherana ergo ecclesia omnibus haereticis ecclesiis, etiam ariana deterior fuit. Licet autem omnis haeresis a diabolo sit, solus tamen Lutherus fassus est se a diabolo edoctum fuisse. Igitur nil mirum si doctrinam tradidit daemoniorum. Recapitulatio et connexio cum sequentibus. . . . . Pag. 99-120

DISSERTATIO TERTIA

Apud Lutheranos non esse veram Christi Ecclesiam sicut nec olim apud Arianos fuit nec minus damnandam esse lutheranam ecclesiam quam ariana secta fuerit ab orthodoxis Patribus damnata et pro satanae synagoga declarata iudicataque

I. Ariana haeresis a Patribus statim impugnata, in Nicaena synodo damnata fuit. Plane mirabilis fuit semper in Ecclesia providentia, qua novae haereses, Romani Pontificis opera, in conciliis damnatae fuerunt, in quibus declaratum fuit eos, qui ab universali Ecclesia se separant, extra Ecclesiam esse. — II. Quoniam vero haeretici coetus suos catholicam ecclesiam vocant, Patres multum adlaborarunt in assignandis verae Ecclesiae notis. Vincentius Lirinensis, ex sententia omnium Patrum, catholicum dicit quod ab omnibus, semper et ubique creditum est; quod saepius docet et Augustinus. — III. Quamvis Patres plures notas Ecclesiae assignarint, tamen ex notis praesertim symboli Const. unam, sanctam, catholicam, apostolicam, veram Ecclesiam discreverunt. Unitatem imprimis urgent, multis ex Scriptura adductis testimoniis. S. Cyprianus integro libro docet unitatem consistere in una origine, una doctrina et praecipue in uno capite. Paulus Ecclesiae unitati plura capita assignat; imprimis unitatem fidei et Baptismi, et maxime capitis, seu supremi pastoris. Igitur quaecumque secta, hac unitate destituta, non potest esse vera Ecclesia. — IV. Et sane haeretici, a Deo confusi, ab invicem dividuntur, ut a Hieronymo et Tertulliano notatur. Lutheri autem secta, ipso auctore vivente, in Antinomos, Sacramentarios, etc. in seipsos de praecipuis fidei capitibus pugnantes, divisa est; quare a Patribus, quia unitate destituta, damnata fuisset. Ex carentia unitatis fidei argui potest carentia sanctitatis, de qua satis dictum est. — V. Ad veram Ecclesiam ostendendam Patres maximopere insistunt in perpetua et non interrupta ab Apostolis successione et praecipue in continuata a B. Petro successione Romanorum Pontificum. Quod mirifice probat et illustrat Irenaeus, cui perfecte concinit Origenes. — VI. Tertullianus provocat omnes haereticos, ut suam apostolicam originem producant; docet insuper eas esse veras ec-

clesias, quae apostolicarum et praecipue Romanae Ecclesiae fidem sequuntur. Romanam Sedem magnis laudibus extollit, quia a Petro et Paulo fundata; acatholicorum sectas a posteritate proscribit; haereticos vero irridet, quasi ante eos perperam Evangelium praedicatum fuerit. — VII. Simili modo argumentatur Cyprianus, qui affirmat veram Ecclesiam esse apud Cornelium, qui legitime Fabiano successit, ac revertendum dicit ad apostolicam traditionem, ut error in fide praecaveatur. Idem affirmat Lactantius. — VIII. Gregorius Nazianzenus Apollinarem a novitate doctrinae proscribit; Hieronymus affirmat in illa Ecclesia esse permanendum, quae ab Apostolis laudata, etiam nunc durat, ab eaque extorres esse antichristi synagogam. — IX. Augustinus dicit veram esse Ecclesiam, quae a radice christianae societatis per Episcoporum successionem propagata est, seque in catholica Ecclesia eo vel maxime teneri, quod in ea continuata sit successio sacerdotum a Sede Petri, quae firma semper mansit, et culmen auctoritatis obtinuit. — X. Hilarius uti haereticos habet, qui nova proferunt. Lucifer Calaritanus eam dicit veram fidem, quae semper tradita est, recentem vero praedicationem esse blasphemam. Idem affirmant Sozomenus, Epiphanius et Athanasius. — XI. Concludamus ergo eam esse veram Christi Ecclesiam, quae habet fidem Patrum, qui quod acceperunt, docuerunt et tradiderunt. Hinc Lirinensis docet profanas vocum novitates recipere proprium esse haereticorum, sicut Lutherus, qui nova dogmata et novam fidem invexit; et tamen suam ecclesiam evangelicam nuncupavit. — XII. De notis Ecclesiae contradictorie scripsit Lutherus: aliquando septem notas assignat, aliquando duas, idest, verum Evangelium et vera sacramenta; has duas statuit etiam *Confessio Augustana*. Georgius Maior adiecit obedientiam ministerio et Matthias Illyricus invocationem Dei et caritatem. Io. Wigandus et Matt. Iudex quattuor notas admittunt; item Vict. Strigelius; sed inter se diversas. — XIII. Lutherus et Lutherani valde caverunt, ne admitterent notas a concilio Const. recensitas; earum loco alias posuerunt. Inepte ponitur ut nota, quod pure credatur Evangelium; nam solus Deus potest hoc scire; et aliunde aliqua particularis ecclesia vera esse potest, etiamsi in aliquo erret; cum haeresis in pertinaci defensione erroris consistat; quod ipse Lutherus docet. — XIV. Cum non possint Novatores ostendere legitimam ab Apostolis successionem, diverticula quaerunt. Lutherus fidem non tenet, quia unitatem Ecclesiae inficiatur; et est extra Ecclesiam, quia ipsi renititur. Manifestum igitur est, quod lutherana ecclesia non est vera Christi Ecclesia, et ab omnibus Patribus ut haeretica damnata fuisset. . Pag. 120-143

DISSERTATIO QUARTA

Disquiritur an lutherana secta veram habeat Christi fidem sine qua non potest ecclesia esse vera ecclesia

I. Ecclesia non potest esse vera, nisi habeat veram Christi fidem; fides autem debet esse non ficta, sed sincera, ex corde puro, debet insuper esse una, idest, omnibus communis, ut requirit Paulus. Haec fides non consistit in cognitione Scripturarum, cum multi absque ea crediderint et credant vero corde; nec consistit in fide Scripturarum, cum multi credant Scripturis, et tamen non sunt christiani. — II. Et si dicantur, ut haeretici, sunt solo nomine, ut docent Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus et Augustinus; qui insuper docet haereticum regnum Dei non possessurum, etsi aliunde bonus videatur. Lutherani non se existimant haereticos, eo quod symbolum Apostolicum et Scripturas recipiunt; sed hoc pacto nec Ariani, Nestoriani, etc. essent haeretici. — III. Haeretici semper in Scripturis fidem quaerunt; ideo, ut ait Tertullianus, semper sunt sine fide; unius enim et certi non potest esse infinita inquisitio. — IV. Ceterum Lutherus ipse damnavit Sacramentarios, qui negabant Christi praesentiam in coena, quamvis Scripturas et symbolum Apostolicum admitterent, dicens quod modicus error in theologia totam fidem evertit, et quod doctrina fidei est ad instar puncti mathematici. — V. Docet etiam quod, qui unum articulum non bene credit, nullum credit, et qui Deum in uno verbo mendacem facit, in omnibus mendacem facit. — VI. Sic Lutherani admittunt articulum maximi momenti: Credo sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem. Sed quamnam Ecclesiam initio crediderunt? Si nullam, iam

hunc articulum non credebant; si aliquam, quaenam fuit? Si nulla tunc erat, nulla credenda erat. Quare si Lutherus nullam esse Ecclesiam credidit, cum novam condidit; Ecclesiam defecisse putavit, articulum de Ecclesia non credidit et haereticus fuit. Ideo etiam Lutherani haeretici sunt, sicut Ariani, Macedoniani, etc. — VII. Sed L u t h e r u s vocem catholicam suo modo explicavit, et Lutherani ex symbolo expunxerunt. Contendit L u t h e r u s illis verbis: Sanctorum communionem, designari congregatiunculam ex meris sanctis, cuius ipse fuit pars et membrum. Confinxit L u t h e r u s Ecclesiam ex meris sanctis; Ecclesia autem est sicut arca Noe, bonos et malos continens. — VIII. Haeretici sunt etiam instabiles in fide, et ideo circumferuntur omni vento doctrinae. Unde tot sectae exortae sunt; et aliquando una secta in plures divisa est, ut in lutherana cernimus. — IX. Ipsique Lutherani inter se divisi sunt. Ex *Augustana Confessione* apparet inconstantia Lutheranorum, cum saepissime mutata sit. Ex quo patet quod nec secundum definitionem a Luthero traditam lutherana secta vera ecclesia dici potest; non habet enim unam fidem in eodem sensu, sine ullis sectis; ergo non est vera Ecclesia. — X. De dissensionibus inter ipsos Lutheranos testes nobis sunt ipsimet Lutherani: N i c o l a u s G a l l u s , I a c . A n d r ä a e , N i c . S e l n e c c e r u s et I o . P e t r e i u s . Igitur Lutherani articulum de Ecclesia adulterarunt, mutata voce catholica in christianam. Et cum Ecclesiam Christi a S. Gregorio ad Lutherum pernegent, profecto testificantur se antichristi ecclesiae credidisse. Sed et in alium fidei articulum: Credo remissionem peccatorum dereliquerunt; tenent enim post Baptismum manere peccatum; hinc Christum faciunt non verum, sed putativum redemptorem . . . . Pag. 144-163

DISSERTATIO QUINTA

Cum Lutheranorum secta non sit super Petrum fundata nec ullos legitimos Episcopos habeat nullo modo aut esse aut dici Ecclesia Christi pro veritate potest

I. Ecclesia Christi fundata esse debet super Petrum iuxta illud: *Ego dico tibi*, etc. L u t h e r u s autem negat, sicut et omnes sectarii. E r a s m u s primus omnium miratur textum M a t t h a e i detortum esse ad R. Ecclesiam. — II. Exegesis textus M a t t h a e i 16, 18. Christus metaphorice loquitur, promittens Petro mercedem confessionis. Et quod promisit, postea dedit illis verbis: *Pasce oves meas*, etc., constituens Petrum Ecclesiae rectorem et suum Vicarium. Et merito; nam Petrus primus agnovit Christi divinitatem et regiam dignitatem, ideoque Christus ei promisit primam post se dignitatem; neque hoc praeiudicat Christo, primario Ecclesiae fundamento. — III. Haeretici vellent verba Christi de omnibus Apostolis accipi; sed ex circumstantiis patet soli Petro dicta esse; nam solus Petrus afflatus dicitur a Spiritu Sancto, solus respondit, et solus audit: *Beatus es*, etc. Singularem Petri fidem Dominus singulari promissione donavit, dicens: *Tu es Petrus*, etc.; alludens ad nomen antea impositum: *Tu vocaberis Cephas*. — IV. Quod nomen significat *saxum*; unde verba Christi sic sonant: *Tu es saxum, et super hoc saxum*, etc. Quibus verbis evidenter constituit Petrum petram Ecclesiae fundamentalem post Christum, quin hoc praeiudicet a primatui Christi. Mentem Christi sequentia verba manifestant: *Et tibi dabo claves*, etc., quia clavis est symbolum potestatis. Quare sub utraque metaphora Christus Petro promisit Ecclesiae primatum. — V. Patres omnes et Doctores Petrum agnoverunt fundamentum Ecclesiae. T e r t u l l i a n u s dicit in Petro aedificatam esse Ecclesiam; quod verbum aedificare in Scripturis aliquando proprie accipitur pro c o n s t r u e r e , aliquando metaphorice pro c r e a r e , c o n f i r m a r e , p r a e d i c a r e , r e g e r e , g u b e r n a r e . In Petro igitur Christus aedificavit Ecclesiam praedicatione et regiminis potestate; per Petrum et successores gentes conversas regere et gubernare voluit. Haec interpretatio mirifice confirmatur a Patribus, a synodo Chalcedonensi et ab Ecclesia latina. Tantum A u g u s t i n u s dubitavit de hac interpretatione. Quod dubium procedit ex ignorantia linguae syriacae. — VI. Insistunt dogmatistae: Esto; sed quid hoc ad R. Pontificem? Respondetur: primatus Petri convenit R. Pontifici ex legitima successione. Et primo quidem apud Patres perinde est E c c l e s i a s u p e r P e t r u m e t s u p e r c a t h e d r a m P e t r i f u n d a t a . Hinc et Petri cathedra, idest, Romana Ecclesia vocatur fundamentum Ecclesiae; sic H i e r o n y m u s . — VII. Ut veritas magis elucescat, ostendendum est Petrum fuisse caput totius

Ecclesiae et R. Pontificem esse ipsius in primatu legitimum successorem. Legatus Apostolicae Sedis in Ephesina synodo dixit hoc omnibus saeculis notum fuisse. Leo Papa ait Dominum in Petro apostolicum principatum collocasse; Gregorius Papa dicit Petro commissam fuisse totius Ecclesiae curam; Augustinus affirmat neminem ignorare Petrum esse Apostolorum principem, qui universam repraesentabat Ecclesiam, et in ipso, in praeposito, omnes fideles contineri. Simili modo loquuntur Ambrosius, Cyrillus Ier., Cyrillus Alex., Io. Chrysostomus. Duo tantum dissentire videntur, Cyprianus et Hieronymus, quorum sententiis haeretici perperam abutuntur. — VIII. Haeretici autumant Petrum nec vidisse quidem Romam; sed errant, nam constat 1 Petri epistolam Romae scriptam fuisse. Petrum vero fuisse R. Ecclesiae Episcopum probatur ex Augustino, Hieronymo, Eusebio Caesariensi, Ambrosio, Optato Milevitano, Cypriano, Tertulliano, Irenaeo, Hegesippo. Primus qui hoc negavit fuit Gulielmus, praeceptor Wicleffi; post hunc Lutherus; sed quid unus contra omnes? — IX. Romanum vero Pontificem esse legitimum Petri in primatu successorem docuerunt Bernardus, Anselmus, Augustinus, Hieronymus, Optatus Milevitanus, Cyprianus, Tertullianus, pulcherrime vero S. Irenaeus, dicens ad R. Ecclesiam propter principatum et fidem ab Apostolis traditam, necessarium esse omnes convenire ecclesias. — X. Sanctis enim Patribus idem fuit catholicum esse et cum R. Pontifice communicare, ut habet Cyprianus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, et ipsi Ariani, quibus communicare cum R. Pontifice tessera erat, qua Catholici ab haereticis dignoscebantur. Hinc Romanus Pontifex vocatur pastor pastorum, Episcopus Episcoporum, pater Patrum, et in concilio Chalcedonensi universalis Ecclesiae Papa. In qua synodo damnatus est Dioscorus, quia in Romanum Pontificem iniuriosus. Lutherus vero Dioscoro in Romanum Pontificem iniquior fuit. Igitur lutherana secta non pertinet ad Christi Ecclesiam, quia Petri successori non est subiecta. — XI. Insuper ex doctrina Pauli et Patrum Ecclesia debet habere Episcopos. Sed lutherana secta non habet Episcopos legitime ab Apostolis succedentes. Lutherus fuit quidem Wittembergensis episcopus, sed nulli succedens, a seipso ordinatus; ideoque profanus est. Praeter legitimam electionem requiritur, ut Episcopus sit consecratus; Lutherus a nemine consecratus est. Lutherani dicunt se habere episcopos; sed sunt simul episcopi et laici. — XII. Episcopi a Patribus dicuntur Apostolorum successores et a Paulo vocantur etiam Apostoli; sane propter acceptam ab Apostolis potestatem praedicandi, regendi, sacerdotes ordinandi, etc. Unde non potest esse vera Ecclesia Christi, quae praeter Christum, non habeat Petrum Christi Vicarium, Episcopos et presbyteros; ergo secta lutherana non est vera Christi Ecclesia. . . . . Pag. 163-187

DISSERTATIO SEXTA

Non esse apud Lutheranos veram Ecclesiam quoniam ipsorum sectae nullo modo convenire possunt ea quae de vera Christi Ecclesia in Divinis Scripturis sunt praedicta et praedicata fidelibusque promissa

I. Multa in Scripturis praedicantur de Ecclesia; quorum synopsis ab Augustino traditur in libro *De Unitate Ecclesiae*. Et primo quidem hoc statuit: ex Scripturae testimoniis quaerenda est Ecclesia. Unde si designetur in aliquo determinato loco, ibi quaerenda est; si in omnibus gentibus, tunc ubique erit. Deinde Augustinus probat catholicitatem Ecclesiae ex promissionibus divinis, factis Patriarchis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* ex testimoniis Isaiae et *Psalmorum;* ex verbis Christi: *Sic oportet*, etc. et ex aliis: *Accipietis... Spiritum Sanctum*, etc., et ex his concludit eam esse veram Ecclesiam, quae ubique diffusa est. — II. Haereticis vero iactantibus paucitatem suam ex verbis: *Nolite timere*, etc. irridet S. Augustinus, opponens illud: *Laetare, sterilis*, etc., et illud: *Hereditate possidebit multos*. Ecclesia igitur diffundenda ubique erat, et iam diffusa legitur tempore Apostolorum; et adhuc hodie Ecclesia diffusa cernitur. De cuius amplitudine S. Leo Papa dicit: Romam latius praesidere religione quam dominatione terrena, cui concinit S. Prosper. In secta lutherana hanc amplitudinem non vidimus, nec expectare possumus. — III. In Sacris Litteris,

praesertim apud Isaiam et Michaeam, praeter amplitudinem, promittitur etiam Ecclesiae altitudo et sublimitas; Ecclesia futura erat amplior quam synagoga. — IV. Sicut autem amplior, sic dignitate sublimior; synagoga in monte Moria aedificata erat; Ecclesia in vertice montium praedicitur. Montes autem in Scripturis significant dignitates; Isaias enim dicit, quod reges eam videntes *consurgent et adorabunt*, etc. Item quod Dominus adducet ei filios de longe, et reges ministrabunt ei, etc. — V. Hanc gloriam non possidet secta lutherana, bene vero R. Ecclesia, quae ab omnibus colitur. Lutherani dicunt propterea Romanum Pontificem esse antichristum, quia permittit se adorari, quasi Christus hoc non promiserit. Profecto Ecclesia est thronus Christi, de quo loquitur Psalmista: *Thronus eius*, etc. — VI. Gloria autem R. Ecclesiae semper fuit conspicua. Augustinus dicit eam esse indicium veritatis; Irenaeus ait Ecclesiam esse omnibus notam et ideo excellentissimam et potentissimam. — VII. Insuper Ecclesiae Christi in Scripturis mira fecunditas tribuitur; hinc vocatur a Paulo mater nostra, quae plures filios genuit. Eandem veritatem docuerunt Isaias et Amos, quem in hunc sensum B. Iacobus interpretatur. — VIII. Haeretici nunquam gentem aliquam ad Christum converterunt, ipsis enim negotium est non ethnicos convertendi, sed christianos evertendi; ideoque a Hieronymo et Augustino perdicibus comparantur. Lutherani nullam gentem converterunt; eis ergo deest fecunditas Ecclesiae promissa. — IX. Romana Ecclesia plurimas gentes Christi fidem docuit. Primis quidem temporibus in Aegypto, Asia, Africa, Gallia, etc.; deinde in Germania, Anglia, Polonia, etc.; postea in India, America, Iaponia, etc. Hanc fecunditatem non potest ostendere lutherana secta. — X. Tandem Ecclesia Dei gravissimas persecutiones passura erat, at non peritura; sicut Christus praedixit: *Portae inferi*, etc. Ergo ipsa divinum est opus, alioquin concidisset, quia sola, absque humanis auxiliis, contra tot inimicos, omnibus temporibus et nunquam interiit; quia regnum Dei est, *quod non corrumpetur*, dum e contra omnis haereticorum secta necessario perit, quia fundata supra arenam. — XI. Nunc si illa est vera Ecclesia Christi, quae persecutiones patitur et non minuitur, sed crescit; ostendant Lutherani persecutiones, victorias et martyres suos. Loco persecutionum arma et favores principum habuerunt, tamen non creverunt. Iactant quidem martyres suos, qui stultae philosophiae martyres sunt. Dicunt se esse illos, quibus Dominus ait: *Beati, qui persecutionem patiuntur*; at potius sunt illi, quibus dixit: *Ecce mitto ad vos prophetas*, etc. Edant martyria auctorum suorum; nisi forte martyrium dicant mortem Lutheri nimio cibo et potu praefocati. — XII. At R. Ecclesia innumeros exhibet martyres, inter quos plurimos R. Pontifices a Petro ad Constantinum M. Post Constantinum vexata est a Iuliano, etc. Haeretici quoque omnes R. Ecclesiae infensissimi fuerunt; et tamen non praevaluerunt. Conclusio.

Pag. 187-208

DISSERTATIO SEPTIMA

Demonstratur ex Divinis Scripturis et Sanctis Patribus quidnam sit quaevis haereticorum secta praesertim vero Lutheranorum

I. Haeretici in Scripturis vocantur serpentes, lupi rapaces, sarmenta praecisa, mali homines, fures, etc. — II. Item a Sanctis Patribus male audierunt. Irenaeus eos comparat statuae luteae, auro coloratae, serpenti Evam seducenti, angelis apostatis, idololatris, etc. Tertullianus eos vocat interfectores veritatis; idololatras, hostes altaris, Christo rebelles, perfidos, pestes, etc.; sane contra modernorum spiritum, qui haereticos blande tractari vellent. — III. Non ita Patres, qui haereticos tractarunt, sicut Io. Baptista Sadducaeos et Christus Pharisaeos. Tertullianus dicit haereticorum duritiem vincendam esse, non suadendam. Cyprianus ait quod haeretici spirituali gladio necandi sunt et sic semper in conciliis actum est cum haereticis. Hilarius, exponens verba: *Nolite sanctum dare canibus*, etc. ait per porcos intelligendos esse haereticos. Concordat Io. Chrysostomus, qui haereticos vocat serpentes, lupos rapaces, etc. — IV. Epiphanius Appellicianos comparat vespae zopyro, et haereticos generatim dicit aspides, viperas, etc. Gr. Nazianzenus ait haereticos vincere Iudaeos ingratitudine, daemones incredulitate. A Hieronymo antichristi vocantur. Augustinus haeresim appellat cathedram pestilentiae, et haereticos furiosos, veros antichristos, lupos conterendos, iuxta Pauli doctrinam, qui docet haereticos abscindi debere, quia eorum *sermo ut*

cancer serpit. — V. Obiiciunt evangelici non esse puniendos haereticos, quia hoc alienum est a pietate et in Evangelio dicitur non esse colligenda zizania. Sed haeretici non tantum zizania dicuntur, sed lupi, fures, etc. Per zizania vero non tantum haeretici designantur, sed etiam mali homines, qui utique puniendi sunt; nam, ut Augustinus docet, nulla est peior mors animae quam libertas erroris. In V. T. haeresis fuit capitale crimen. In N. T. haeretici habentur ut lupi rapaces, et Paulus eos satanae tradebat. — VI. Utinam principes legem in eos capitalis poenae tulissent! Ut fecerunt Theodosius, Valentinianus, etc.; sed nunc haeresis grassatur et indicitur silentium, dum Hieronymus ait quod resecandae sunt haereses. Crudelem politicorum pietatem execrata, Ecclesia semper haereticos gladio spiritus punivit; quod est morti tradere, ut Cyprianus et Augustinus interpretantur. — VII. Sed, quia excommunicatio facile contemnitur, Ecclesia etiam corporales poenas adhibuit. Hinc Constantinus Magnus Arium exilio mulctavit; Theodosius in Nestorianos edictum tulit, et contra haereticos omnes legem statuit, qua prohibebantur conventus facere, etc. Edidit etiam contra Donatistas severissimam legem, imo et corporalem poenam, ut refert et suo iudicio probat Augustinus, mutans hac in re anteriorem suam sententiam. — VIII. Calvinus Servetum supplicio affecit. Ipse Lutherus docet falsos doctores a magistratibus puniendos esse. Patet igitur quidnam sit, iuxta Patres, quaevis haereticorum secta. — IX. Ariani tamen ut pessimi omnium haereticorum habiti sunt a Patribus. S. Antonius eos serpentibus deteriores dixit; Athanasius vocat eos perduelles Christi, similes hydrae et diabolo peiores. Si Patres Lutherum agnovissent, peiorem Ario certe dixissent. Ariana haeresis fuit omnium praestantissima; multos asseclas et fautores potentissimos habuit; non tamen tot errores, quot lutherana haeresis. — X. Lutheranorum secta est ex Bellarmino exercitus locustarum, de quibus Ioannes in *Apocalypsi* loquitur: *Vidi stellam*, etc. Per stellam de coelo lapsam Bellarminus interpretatur Lutherum, qui cecidit de coelo religionis in sacrilegas nuptias; habuit clavem abyssi contra claves Petri. — XI. Post fumum veniunt locustae, quae sunt haereticorum insigne, venena scorpionum habentes, quae, licet parvae, tamen sunt edaces, pestes segetum innumerabili multitudine incedentes. Sic Lutherus innumeros statim asseclas habuit, quia non ad arctam, sed ad latam viam vocavit. Locustae sunt parvae et voraces; Lutherani item sunt parvi virtute, quia sola fide contenti; locustae sunt sine rege et tamen unitae ad infestandum; Lutherani sine capite, et tamen uniti ad impugnandam R. Ecclesiam, etc.; locustae habent loricas ferreas et sunt vocalissimae, Lutherani duri corde, loquaces in disputationibus, in congressibus, etc. Habent locustae super se angelum abyssi, Lutherani habent diabolum, qui per Lutherum exterminium Ecclesiae attentavit. — XII. Secta ergo Lutheranorum est exercitus diaboli contra Ecclesiam ab angelo exterminatore ductus. Connexio cum sequentibus . . . . Pag. 208-230

DISSERTATIO OCTAVA

Quam incommodi sint haereticorum generatim omnium [mores] praesertim vero Lutheranorum et qualis sit ipsorum secta etiam aliorum sectariorum iudicio atque sententia

I. Ad exprimendam lutheranismi imaginem adhuc aliquid de Lutheranorum moribus dicendum est. Paulus, *ad Timotheum* scribens, vivide depingit haereticorum mores. Eos dicit *cupidos, elatos*, etc.; eorum magistros esse *mente corruptos, reprobos*, etc., *quorum sermo ut cancer serpit;* irretitos a diaboli laqueis; quos corripiendos docet, si Deus det illis poenitentiam; quae Laisero optatur, ut resipiscat. — II. Paulus haereticos vocat *diabolos, criminatores, seipsos amantes, cupidos, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia; elatos*, superbo loquentes, alios contemnentes; nihili facientes mille Cyprianos et Augustinos, blasphemos in Deum, in Sanctos, etc. — III. Ex qua praesumptione oritur aliorum irrisio et obstinatio in sua amentia. Hinc omnia aspernantur: ceremonias, ritus, traditiones, decreta, concilia, Patres, etc. Sunt etiam loquaces, se solos iactant, Catholicorum ignorantiam deplorant, convinci possunt, converti non possunt. Sapientes sunt ad malum. Fingunt se Ecclesiae condolere, dum eius ruinam moliuntur, et contra eam impie insurgunt. — IV. Addit Paulus, quod captivas ducunt mulierculas; plerumque enim eorum vita turpissima est, ut Hieronymus, Eusebius, Epiphanius

et Augustinus testantur. Constantinus M. in *Edicto adversus Omnes Haereticos* vocat eos pacis labefactores, vitae hostes, internecionis auctores, etc., eorumque scelera dicit grandia et turpia. — V. Lutheranae sectae accidit id quod arianae; impugnata fuit non solum a Catholicis, sed etiam ab aliis haereticis. Ariana haeresis in concilio Nicaeno damnata fuit. S. Antonius Arianos maxime detestabatur, dum eos in coelesti visione omnia subvertentes conspexit. Et revera effectus visionem consecutus est, ut refert Athanasius, qui Arianos serpentes appellat, eorumque doctrinam diaboli doctrinam. Ita omnes Patres. — VI. Etiam ab aliis haereticis Ariani abominati sunt, praesertim a Novatianis et a Semiarianis. — VII. Idem Lutheranis successit, dum Zwinglius damnat Lutherum ut Christi abnegatorem: Tigurini theologi hominem dicunt diabolis plenum, etc. Calvinus dicit Lutheranos caecos, phreneticos, etc., nec non crassos patronos adulterini dogmatis. Theod. Beza vocat eos asinos, simias, etc. A Ministris Genevensis ecclesiae vocati sunt Lutherani indocti, insipientes, etc.; a Sacramentariis appellati sunt theistae, christicidae, artolatrae, etc. — VIII. Quinimo ipsi Lutherani in suos invehuntur. A. Musculus ait quod Lutherani sunt ingens nebulonum turba, impostores, etc.; Iac. Andräe testatur eorum vitam fuisse bestialem, quia didicerant per solam fidem in Christum salvari; Io. Wigandus affirmat evangelicorum iuventutem fieri quotidie deteriorem; Phil. Melanchthon dicit eos in modum epicureorum vivere, etc. Lutherus ipse fatetur ex sua doctrina mundum deteriorem evasisse, quam sub papatu. — IX. Henricus VIII vocat nefariam Lutheranorum sectam, quae omnia contaminat et sacramenta conculcat, etc. Erasmus Roterodamus his similia plurima habet. Io. Fisherus ait Lutheranis convenire ea, quae Paulus scribit: *In novissimis diebus*, etc. Cochlaeus eos vocat Amalecitas. — X. Hier. Emserus eleganti et lepido carmine eos describit. Item Poloni graphice describunt Lutherum et Lutheranos. — XI. Apte igitur conveniunt Lutheranis, quae Dominus de Israel per Ezechielem ait *gentem esse apostatricem, dura cervice et indomabili corde.* Pag. 230-252

LIBER SECUNDUS

HYPOTYPOSIS DOCTRINAE LUTHERANAE

SECTIO PRIMA

DE SYMBOLO DOCTRINAE LUTHERANAE SEU DE CONFESSIONE AUGUSTANA

DISSERTATIO PRIMA

Agitur de Augustana Confessione quae amussis et regula fidei est symbolumque doctrinae lutheranae sectae

I. *Augustana Confessio* a Lutheranis habetur ut regula fidei, religionis fundamentum et divinum oraculum. — II. Quinam sint eius auctores, quid contineat, utrum immutata manserit. Lutherani faciunt S. Spiritum principalem auctorem; sed perperam, cum eius auctor prorsus ignoretur, et noscantur tantum ii, qui eam Caesari imperatori exhibuerunt. — III. Generatim tamen a Catholicis et haereticis Melanchthoni tribuitur. Unus Lobecchius contradicit, affirmans plures fuisse auctores: S. Spiritum causam praecipuam dicit, Lutherum causam organicam principem; deinde iudicio theologorum subiectam, concinnatam fuisse, calamum moderante Philippo. Etiam G. Mylius auctorem primarium dicit S. Spiritum, organicum autem plures fuisse: Lutherum et Philippum multum adlaborasse; deinde ecclesiae inventionem, Luthero dispositionem, Philippo elocutionem tribuit. — IV. Iuxta Mylium et Lobecchium inspirata dicitur, quia in Scripturis fundatur. Occasio, iuxta Lobecchium, fuit edictum Imperatoris et comitiorum propositio. —

M y l i u s addit, quod elector Saxoniae mandavit theologis Wittembergensibus, ut formulam *Confessionis* conficerent, quae a Luthero 17 articulis concinnata, archetypus *Confessionis* evasit. L o b e c c h i u s eadem dicit de 17 articulis, sed amplius Lutherum facit causam organicam praecipuam *Confessionis*. Ex dictis patet S. Spiritum non esse eius auctorem. Ceterum etiam Zwingliani *Confessionem* suam Caesari obtulerunt, causamque faciunt S. Spiritum. Quae ergo ex duabus vera est? Quoad auctoritatem, iuxta M y l i u m et L o b e c c h i u m, non est aequiparanda Scripturae aut symbolis catholicis. — VI. D o c t r i n a *Augustanae Confessionis*, in duas partes divisa est: Prior agit de doctrina fidei, posterior de abusibus; prior continet 21 articulos, posterior 7 articulos. In *Praefatione* notatur, quod ecclesiae apud eos, in nullo articulo dissentiunt ab Ecclesia catholica. Cum vero in singulis fere articulis dicatur: Ecclesiae apud nos magno consensu docent, etc.; ostendunt se a catholica Ecclesia separatos. — VII. At etiam falsum est eorum ecclesias magno consensu docere, non enim fuit communibus suffragiis probata, sed a paucis tantum, praecipue a Luthero, qui inconstans fuit. — VIII. Quod autem non dissentiant in articulis fidei ab Ecclesia catholica, etiam falsum est. Equidem in aliquibus articulis plane concordant; in aliquibus concordant quoad verba, non quoad doctrinam; in aliis demum manifesti errores continentur, iam pluries damnati; ideoque *Augustana Confessio* in imperiali conventu non fuit approbata, et sic ab universo christiano orbe damnata. – IX. Damnata etiam fuit a C a l v i n o, a T h e o d. B e z a, ab auctore libri *Animadversiones in Novum Doctrinae Corpus*. – X. Nec est fundata in verbo Dei. Duplex est Scripturae docendi ratio: altera demonstrativa, altera critica. Eadem dicendi ratio invenitur in *Augustana Confessione*. Quod ad criticam spectat, non argumentis Scripturae utuntur, sed propria auctoritate; adhibent enim verba: Damnant, vel improbant secus docentes. Quare haec pars testimoniis Scripturae minime fundatur. — XI. Nec pars didascalica S. Spiritus oraculis fulcitur. Et quidem articulus de Trinitate in sola auctoritate concilii Nicaeni fundatur. In articulo de incarnatione adducitur tantum symbolum Apostolicum, et pro articulo de coena Domini tantum traditio. — XII. Nunc videndum est, quaenam sit soliditas fundamenti horum trium articulorum, qui omnium praestantissimi sunt, et praesertim primi de Trinitate. Auctoritas conciliorum gravissima semper fuit apud Catholicos; non ita tamen apud Lutheranos et Lutherum, qui eis fidem negavit, — XIII. eaque damnat in libro *De Ministris Ecclesiae Instituendis*, in libro *Adversus Regem Angliae*. Speciatim autem invehitur in concilium Nicaenum; quin etiam ausus fuit dicere quod nec Apostolorum concilium fuit sine errore. Igitur, cum nulla sit infallibilis auctoritas conciliorum apud Lutheranos, articulus de Trinitate solido fundamento caret. — XIV. In *Confessione Augustana* nonnulla inepte probantur per rationem negativam, ut in articulo de cultu Sanctorum. — XV. Aliquando inepte Scriptura adducitur, ut in articulo de iustificatione; et in articulo de iustificatione sine bonis operibus, ubi citantur verba Christi: *Cum feceritis*, etc.; quae non recte exponuntur. — XVI. Inepte etiam adducitur ibi S. Ambrosius, nam genuinitas textus est dubia, et si esset certa, A m b r o s i i sententia manifesta apparet ex *Commentariis in Epist. ad Hebraeos*, ubi docet quod magna quidem res est fides, sed sola non sufficit, necessaria est etiam vita condigna. — XVII. In *Confessione Augustana* inveniuntur etiam mendacia, quando asseritur, quod Missa et Confessio non sunt abolitae; quod et nihil in *Confessione* reperitur contra Scripturam et Ecclesiam Romanam. Ergo *Confessio Augustana* est synopsis haeresum et mendaciorum. — XVIII. Nunc dicendum de m u t a t i o n e *Confessionis Augustanae*. Et prima quidem editio an. 1540 amplior est ea quae facta fuit an. 1530. S a x o n i c i T h e o l o g i conqueruntur, quod priora exemplaria non haberent genuinam *Confessionem Augustanam*. In praefatione perantiqui exemplaris dicitur, quod depravata fuit a typographo, sed novus editor anonymus manere voluit. G. M y l i u s de hac mutatione vehementer conqueritur, quia exinde *Confessio Augustana* male audivit apud Pontificios. Et non tantum in locutionibus, sed in rebus mutatio facta fuit, uti testatur L o b e c c h i u s. — XIX. Harum mutationum auctor fuit M e l a n c h t h o n; qui ideo a L u t h e r o obiurgatus fuit, ut referunt M y l i u s et L o b e c c h i u s. Ceterum M e l a n c h t h o n *ad Lutherum* scripserat an. 1530: Quotidie multa mutamus; articuli ad occasionem mutandi sunt; studuitque *Augustanam Confessionem* ad omnes haereses accommodare, ut patet ex articulo de coena Domini, qui alius est in prototypo, alius in *Confessione Germanica*, alius in *Confessione* variata. — XX. Dicunt immutatam *Confessionem* eam, quae Carolo V exhibita fuit; sed, si certa res erat, cur tot controversiae? Ipsa *Germanica Confessio* inter Lutheri opera existens non parum discrepat a prototypo. — XXI. Luthe-

rani et Lutherus affirmant agnitam fuisse et probatam in Augustanis comitiis. Sed falsum est, ut patet ex assertione Theologorum Saxonicorum in *Altemburgensi Colloquio* et ex *Elenchtica Censura in Augustanam Confessionem*, ex epistola Lutheri *ad Card. Moguntinum*, et maxime ex historia *Augustani Colloquii*, in quo acriter disputatum semper fuit. Imperator vero iussit, ut edita Lutheranorum Confessio a Catholicis confutaretur. — XXII. Praeter haereses etiam calumniae inveniuntur in *Augustana Confessione;* ut cum dicitur falso accusari Lutheranos, quod opera bona prohibeant, cum affirmatur apud Catholicos de iustitia fidei altum esse silentium, cum dicitur Lutheranos falso accusari quod Missam aboleant, quasi non esset notissimum quid Lutherus de hac re saepissime docuerit. Conclusio. . . . . Pag. 253-282

DISSERTATIO SECUNDA

De Augustanae Confessionis Apologia a Philippo Melanchthone pro ea adversus Catholicos asserenda non minimis imposturis fabricata

I. Voluit Deus ut Ecclesia haberet semper optimos defensores. Tales fuerunt Stephanus, Paulus, etc. Lutherana secta habuit Melanchthonem, — II. qui *Augustanae Confessionis Apologiam* scripsit, erroribus plenam; Lutherus laudat Melanchthonis opera, suisque praeferre videtur, imo cum Paulo proximum facit, eiusque *Locos Communes* dignos esse ait, ut in canonem recipiantur. — III. *Apologia* Melanchthonis verbositate, inepta argumentatione et mendaciis laborat. Inepte argumentatur, dum vult probare iustificationem ex sola fide, citans verba: *Beati quorum*, etc. volens iustificationem in sola peccatorum remissione consistere, quod falsum est. Adducit etiam alios Scripturae textus, qui probant fidem esse necessariam, non autem solam fidem. —IV. Male etiam interpretatur verba Pauli: *Aculeus mortis*, etc., per ea intelligens terrores conscientiae, ut probet quod per solam fidem consequimur remissionem peccatorum. Sed ibi Paulus non de terroribus agit, sed de morte temporali, cuius causa fuit peccatum. Nec melius interpretatur verba Petri: *Huic omnes*, etc. et Pauli: *Iustificati*, etc. et alia: *Corde enim*, etc., ubi contra mentem Pauli fidem facit fiduciam et iustitiam. Sed et Scripturas falsificat, ut illud Isaiae: *In scientia sua*, etc. — V. Praeter ineptas interpretationes adhibet mendacia. Mentitur Philippus, dum contra Scripturas ait theologos damnasse articulos ac tribuere naturae vires integras ad summe diligendum Deum; dum asserit theologos de originali peccato loquentes omittere graviora vitia, ut concupiscentiam, etc. — VI. Mentitur, dum negat Lutherum affirmasse post Baptismum manere peccatum; Lutherus enim clare hoc docet, dum saepius affirmat concupiscentiam esse peccatum, ut ipse Philippus postea fatetur, — VII. cum ait Augustinum scripsisse peccatum originale esse concupiscentiam, dum e converso eam dicit poenam peccati originalis. Corrumpit etiam Philippus Scripturam, nam verbis Pauli: *Concupiscentiam nesciebam*, addit: Esse peccatum. — VIII. Falsificat etiam textum Augustini, ut deducat Augustinum docuisse peccatum post Baptismum manere, dum Augustinus de concupiscentia loquitur, et constanter docet concupiscentiam esse poenam et effectum peccati, eamque languori comparat. — IX. Mentitur, dicens quod scholastici doceant hominem posse ex propriis viribus mandata Dei servare. Scientia theologica Philippi eruitur ex inepta interpretatione textus: *Inimicitias ponam*, etc. — X. In articulo de iustificatione scribit Catholicos tribuere iustificationem meritis operum sine fide. Supponit vero Scripturam dividi in legem et promissiones. Quod suppositum est evidenter falsum; nam in Scriptura sunt quidem promissiones, sed etiam exhortationes, historiae, etc. — XI. In articulo de Poenitentia mendacia in scholasticos consarcinat. Falsum dogma tradit, affirmans Poenitentiam constare contritione et fide, cum fides non sit Poenitentiae pars. Figmentum inducit, dicens terrores conscientiae esse partes Poenitentiae. — XII. Calumniatur Catholicos, vocans eos iudaizantes, quia traditiones servant, dum Scriptura traditiones commendat. XIII. Mentitur, affirmans scriptores ante Gregorium nihil scripsisse de invocatione Sanctorum, nec ipsum Hieronymum, cum Hieronymus in libro *Adversus Vigilantium* clarissime tuetur invocationem Sanctorum. Impingit adhuc nobis Philippus, quod Sanctis divinitatem tribuamus. — XIV. Affirmat communionem sub utraque specie laicis dandam esse ex instituto Christi, cum nullibi

inveniatur hoc praeceptum. Urget hoc Sacramentum esse institutum pro tota Ecclesia, quasi alia sacramenta non sint instituta pro tota Ecclesia — XV. In articulo de coniugio sacerdotum ait legem caelibatus in nullo concilio reperiri, esse contra ius divinum et naturale, etc. — XVI. In articulo de Missa mentitur, dicens theologos docere sacrificium Missae conferre gratiam ex opere operato, et S. Franciscum unam constituisse Missam quotidianam in singulis domibus. — XVII. In articulo de votis monasticis multa mendacia evomit, et calumniatur theologos et D. Thomam, quod professionem parem faciant Baptismo. Conclusio . . . . Pag. 282-303

DISSERTATIO TERTIA

Lutheranos Augustanae Confessioni addictos et a Romana Ecclesia separatos non minus esse schismaticos atque haereticos antiquis Arianis

I. Deus non est auctor dissidii et schismatis, quae oriuntur, dum attenditur *doctrinis daemoniorum*, ut Paulus docet. Cyprianus dicit diabolum esse auctorem schismatum in Ecclesia. Paulus fuit summus unitatis Ecclesiae praedicator, ut patet ex epist. *ad Ephesios* et *ad Romanos*. Si Pauli monitis attendissent Germani, a schismate in haeresim lapsi non fuissent. — II. Nam schisma facile in haeresim transit, ut accidit Novato et Ario, et novissime Luthero. — III. Lutherani asserunt se graves causas habuisse separationis ab Ecclesia. Assignant generatim sex causas, quarum pleraeque expositae sunt in *Augustana Confessione*. Ostenditur has causas nec necessarias, nec iustas fuisse. Et primo quidem doctrina *Confessionis Augustanae* non discrepat, iuxta illos, a doctrina R. Ecclesiae; tantum pauci abusus in hac inveniuntur. Si ita est, quomodo pauci abusus fuerunt causa schismatis? — IV. Fuerunt abusus tempore Ioathan et Achaz, eosque Isaias arguit; et tamen causas necessarias schismatis non existimavit. Idem dicendum de temporibus Ieremiae, Eliae et Elisei; item tempore Apostolorum, tempore Cypriani, et non tantum in fidelibus, sed etiam in Episcopis. — V. Nullus orthodoxus Pater propter abusus divisiones excitavit; solus Meletius, qui ab Epiphanio laudatur ut vir bonus. At deceptus videtur a Meletianis; nam Athanasius asserit Meletium multis criminibus convictum fuisse. Idem refert Socrates. Etiam Lucifer Calaritanus pius aliquando fuit, sed in haeresim lapsus, separavit se ab Ecclesia et haereticus mortuus est, ut refert Eusebius Caesar. Nullus ergo, doctrina et sanctitate clarus, schisma suscitavit propter abusus. In exponendis causis schismatis hoc firmiter tenendum: non esse quaerendam puriorem religionem, sed Patres esse sequendos, et meminisse verborum Pauli: *Mementote praepositorum vestrorum*, etc. — VI. Dicunt ergo Lutherani cultum Sanctorum esse idololatriam; sed hic est error in Vigilantio a Patribus damnatus. Universa Ecclesia orientis et occidentis Sanctos semper coluit. Ioannes quidem dicit: *Fugite idola*, sed intelligit de cultu daemonum. Cultus Sanctorum non est praeceptus, sed commendatus. Calumnia est dicere, quod Ecclesia Dei doceat homines posse instituere cultus Dei, cum sit S. Spiritus, qui Ecclesiam docet. — VII. Mendacium est dicere, quod R. Ecclesia prohibeat coniugium quia caelibatum decrevit servari. Ecclesiae doctrinam de clericorum caelibatu exponit Hieronymus, *in Vigilantium* et *Iovinianum* scribens. Patres concilii Carthaginiensis asserunt, quod Apostoli docuerunt et antiquitas caelibatum servavit. — VIII. Tertia causa est doctrina transubstantiationis, quam Lutherus introductam dicit a S. Thoma. Sed haec vox adhibita fuit in concilio Lateranensi sub Innocentio III. Ipse Melanchthon ait, quod Romana et Graeca Ecclesia transubstantiationem tenuerunt et tenent, citans ad hoc Theophylactum, qui hanc doctrinam docet, sicut etiam Euthymius Zigabenus et Damascenus, Ambrosius et Cyrillus Ieros. Cyprianus et fere omnes, qui interpretati sunt verba Domini: *Hoc est corpus meum*. — IX. Quarta causa est, quod panem adoramus in Eucharistia. Sed quomodo hoc dici potest, si non credimus ibi esse panem? Lutherus ipse et Lutherani Eucharistiam adorabilem tenent. Gregorius Naz. narrat, quod soror sua Gorgonia morbo graviter laborans, Eucharistiam adoravit, et sanitatem consecuta est. Augustinus et Ambrosius verba: *Adorate scabellum*, etc. de Eucharistia adoranda interpretantur. Eadem doctrina docetur ab Origene. — X. Quinta causa est, quod dicimus esse Missam sacrificium, quod a Luthero abomi-

natio dicitur. Nos Patres sequimur, qui unanimiter docent Missam esse sacrificium, quod probe noverat L u t h e r u s . Ideo Patribus valedixit, et maluit diabolum sequi, sine Scriptura docens Eucharistiam esse sacramentum, et negans esse sacrificium. — XI. Sexta causa est, quod laicis negamus communionem sub utraque specie. Sed Sancti Patres saepius sub una specie Eucharistiam ministrarunt. Communio sub una specie est consuetudine introducta in Ecclesia occidentali. Ecclesia damnavit novatores Boihemos, qui hanc consuetudinem sacrilegam dicebant, declaravit tamen licere communionem sub utraque specie, ubi moris erat. Notissima sunt exempla a Patribus et scriptoribus adducta. Insuper nullus Patrum Manichaeos sub una specie Eucharistiam sumentes ex hoc capite damnavit. Ergo calumnia est. Postremo dicunt Lutherani se a R. Ecclesia seiunxisse, quia tria priora symbola integra non tenet, quod falsum est. Nulla ergo fuit iusta causa schismatis. Connexio cum sequentibus. Pag. 304-324

SECTIO SECUNDA

DE DOCTRINA ET INGENIO M. LUTHERI

DISSERTATIO UNICA

Disquiritur an Martinus Lutherus revera homo solerti ingenio fuerit et praestanti doctrina refertus

I. Lutherani extollunt ingenium et doctrinam Lutheri magis quam omnium; quin L u t h e r u s ipse se omnibus praefert, novus Carpocrates, vindicans sibi soli scientiam; alter Eunomius, vindicans sibi perfectam cognitionem Dei; novus Nestorius, vindicans sibi soli scientiam Scripturarum. — II. Fuit Lutherus ardentis ingenii, sicut generatim omnes haeresiarchae; plurima scripsit: didascalica, dogmatica, elenchtica, exegetica, paraenetica et critica, in quibus ostentare voluit scientiam suam et omnibus insultare, ut scribit E r a s m u s . — III. Multa scripsit L u t h e r u s ; sed non magni valoris, quia verbosissima, et testimonio E r a s m i , multa inutilia, et non sua, multa etiam repetita et concionatoria. — IV. Etiam ex testimonio ipsius L u t h e r i scripta sua confusa sunt, rude et indigestum chaos, cum iudicio legenda, erroribus et antilogiis plena, tempori et imperitiae tribuendis, utpote quia auctor legendo et scribendo profecerat. Testimonium hoc L u t h e r u s morti proximus dedit, cupiens editionem operum quam primum maturatam, ne ex una confusione multae exorirentur. Quomodo ergo Lutherani scripta omnia L u t h e r i maximi faciunt ? — V. Etsi praestantissimus fuerit theologus, errare potuit et haereticus fieri, quod, teste L i r i n e n s i , non semel in Ecclesia accidit, ut Nestorio, Photino, Apollinari, Origeni et Tertulliano, qui omnes mirabili ingenio et eruditione referti in haeresim lapsi sunt. Causae, ob quas Origenes in haereses incidit, optime quadrant Luthero; nempe quod ingenio nimis indulgens, sibi credidit, alios parvipependit et novas interpretationes Scripturae invexit. — VI. Quamvis ardenti ingenio et polygraphus Lutherus non videtur fuisse praestantis doctrinae et eruditionis. Hoc probari potest ex communi nota haereticorum, ex consensu Catholicorum et multorum sectariorum, praesertim Calvinistarum et Zwinglianorum; ex quibus S t a n c a r u s pluris facit unum Magistrum Sententiarum quam centum Lutheros. Item probari potest ex confessione ipsius L u t h e r i; at alia via ingredienda. — VII. Duplex est modus acquirendi scientiam: vel divina infusione, vel humano studio. Concessum iam est ab aliis et ab ipso L u t h e r o suam doctrinam non fuisse divinitus infusam, sed labore acquisitam. — VIII. Atqui ad comparandam doctrinam longe praestantem, necessarium est imprimis ardens scientiarum desiderium et amor. Sed L u t h e r u s potius contemptor scientiarum fuit quam ex animo amicus. Vituperavit enim omnes scientias, bonas artes, dialecticam, parvipependit logicam et metaphysicam ac totam philosophiam, quam ab Apostolo damnatam dicit, et diabolicam appellat. Aristotelem vero histrionem vocat et quasi diabolum. Sed super omnia scholasticam theologiam insectatus est, consulens adolescentibus, ut eam tanquam animae mortem fugiant. — IX. In omnes scholasticos theologos, praesertim in D Thomam debacchatur. Academias per idolum Moloch figuratas putat, Alexandrum Halensem vel potius D. Thomam

stellam *Apocalypsis* dicit de coelo in terram lapsam, ad omne malum in Ecclesia inducendum. Hinc demum scholasticam theologiam falsam dicit, illusoriam, crucis inimicam; scholasticos vero male habuit, quia primi omnium suas haereses damnarunt. — X. Neque praestantiam doctrinae quoad theticam theologiam L u t h e r u s assecutus est; quamvis tantopere iactaverit cognitionem Scripturae et Sanctorum Patrum, quos superbe contempsit. Sacras Scripturas utique saepissime citavit, sed more haereticorum, absque vera earum intelligentia, propriam interpretationem, non sensum antiquorum secutus. Connexio materiae. . . . . Pag. 325-345

SECTIO TERTIA

DE PRINCIPIIS ET PARTIBUS DOCTRINAE M. LUTHERI

DISSERTATIO PRIMA

De principiis et partibus doctrinae Lutheri circa fidem et religionem

I. Cum L u t h e r u s multa scripserit de fidei dogmatibus, videnda sunt suae doctrinae fundamenta. — II. Potiora principia lutheranismi sunt: Lutherus est divinus propheta; optime omnium intellexit Scripturas; L u t h e r i versio Scripturarum sola adhibenda; eius iudicium de canone Scripturarum iudicio Ecclesiae praeferendum; Luthero soli credendum. Haec vero principia Lutheranis certissima et indemostrabilia sunt. — III. Multa fuerunt, quae hominibus quandam conciliarunt divinam auctoritatem: favor Dei, gloria operum, sapientia, etc.; quibusdam etiam magicae artes, etc.; quibus omnibus caruit Lutherus. Et tamen eius auctoritas est basis totius lutheranismi. — IV. Principia doctrinae L u t h e r i: Primum, nihil credendum quod non sit in Scriptura manifeste expressum; hinc Scriptura est sola fidei regula, iudex in omnibus controversiis; hinc testimonia Patrum nihili facienda, maior est Scripturae auctoritas quam Ecclesiae, conciliorum, omnium Patrum. Secundum, nihil admittendum et faciendum, quod non sit mandatum in Scriptura. Tertium, fides est libera, idest, nullis temporibus vel locis alligata; ideo non catholica, sed invisibilis. Alia plura sunt principia, sed duo praecipua haec sunt: s o l a S c r i p t u r a est admittenda; s o l a f i d e s est ad i u s t i t i a m n e c e s s a r i a. — V. Hinc universa doctrina L u t h e r i est negativa. Ex priore axiomate innumera dogmata negativa deducuntur, ut puta: traditiones, etiam apostolicas, non esse admittendas, nullis definitionibus parendum, etc. Ex posteriori deducitur: Decalogum non pertinere ad christianos, nullum esse praeceptum evangelicum, consilia evangelica, ieiunia, orationes nullius esse meriti, etc. — VI. Nunc, si prius axioma est verum, posterius falsum erit, cum nullibi dicatur in Scriptura, quod sola fides necessaria sit. Atqui prius est falsum, quia Scriptura non nititur. — VII. Hoc axioma non est a L u t h e r o inventum, sed ab antiquis haereticis mutuatum, qui eo tantopere abusi sunt, ut refert L i r i n e n s i s, et L u t h e r u s ipse in Sacramentariis expertus est. — VIII. Si Lutherani solam Scripturam normam fidei habent; cur priora symbola admittunt? Cur *Augustanam Confessionem* ut regulam fidei tenent? Utique admittimus Scripturam rite intellectam esse certissimam veritatis regulam, sed non solam; Sancti Patres adiunxerunt traditionis lineam, Ecclesia enim sustentat auctoritatem Scripturarum. B r e n t i u s ipse fatetur tenendam esse traditionem, ad quam L u t h e r u s, ab Anabaptistis compulsus, confugit. . . . . Pag. 346-357

DISSERTATIO SECUNDA

Discutitur sententia haereticorum ac proinde ipsius Polycarpi qua asseritur nonnisi per Scripturas dirimendas esse in Ecclesia controversias fidei

I. Sacra Scriptura summa auctoritate pollet, quia Deum habet auctorem; proinde ipsi auctoritatem denegare summa dementia est. Attamen, cum hic de sensu Scripturae agatur, ipsa constitui nequit iudex controversiarum, ut Novatores autumant. — II. Scripturae quidem appellantur t e s t e s, non iudices; atqui testes non iudicant, sed testimonium dant. Insuper, si nihil esset credendum, nisi quod in Scriptura

invenitur, haec esset ad salutem necessaria; sed Scriptura nullibi dicitur necessaria. Non esse autem necessariam probatur ex hoc, quod non semper fuit; et mandatum est, ut praedicaretur Evangelium, non ut scriberetur. Quinimo in *Deuteronomio* praecipitur, in controversiis de lege adeundos esse sacerdotes, quibus obediendum praecipitur, non Scripturam. — III. Lutherus conatur eludere vim huius loci, dicens hic agi de causis politicis; sed falsum est, ut patet ex textu hebraico. Aliud quaesivit effugium, affirmans per hoc praecipi sacerdotibus docere iuxta legem. At hic apparet mala fides Lutheri, qui, cum textum hebraicum bene nosset, locutus est contra conscientiam. Simili modo Brentius, exponens hunc locum *Deuteronomii*, contra veritatem loquitur. — IV. Amplius in *Actis* dicitur, quod orta controversia de servanda lege Moysi, haec composita fuit non per Scripturas, sed auctoritate Petri et Apostolorum; et in decreto concilii Apostolici dicitur: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Paulus ipse, quamvis accepisset Evangelium per revelationem, tamen illud contulit cum Apostolis, ne in vanum curreret. — V. Novatores affirmant Scripturam esse facillimam et clarissimam, ut scribit Lutherus in *Assertione*, etc. et in libro *De Servo Arbitrio*, licet alibi contrarium doceat. Revera Scriptura non est facilis, ut patet ex vaticiniis Ezechielis, *Apocalypsis* et ex epistolis Pauli. Hieronymus ait legem opus habere revelatione, et *Apocalypsim* esse librum signatum. Difficillima est Scriptura, quia de altissimis mysteriis agit, quia innumeras habet locutiones figuratas, et innumeras difficultates quoad linguam hebraicam. Ex his difficultatibus orta est magna diversitas translationum, de qua conqueritur ipse Lutherus. Novatores confugiunt ad collationem textuum Scripturae, sed est petitio principii; alioquin multi sunt textus, qui conferri nequeunt. — VI. Praxis haereticorum probat Scripturam non esse claram, nam quotidie edunt nova commentaria. Probatur etiam ex controversia cum Sacramentariis de verbis consecrationis, ex facto quod Lutherus contra Anabaptistas confugit ad traditionem, ex eiusdem confessione in *Appendice Colloquiorum.* — VII. Ceterum canon Scripturarum cognosci nequit, nisi ex traditione sicut docet Augustinus. Quae argumenta si Polycarpus reiiciat, efferat fontem, ex quo suam sententiam deducit.

Pag. 358-370

SECTIO QUARTA

DE QUALITATIBUS DOCTRINAE LUTHERANAE

DISSERTATIO PRIMA

Martini Lutheri figmenta et somnia

I. Falsi prophetae V. T. somniis suis populum seducebant. His successerunt in N. T. haeretici, maxime Lutherus, qui docuit figmentum esse quidquid est extra verbum Dei. — II. At Lutherus docuit extra verbum Dei. In *Captivitate Babylonica* dicit Missam non esse sacrificium, sed promissionem, suo capite exponens verba: *Hic calix*, etc. Ibidem facit Eucharistiam signum promissionis, item suo modo explicans verba: *Accipite*, etc. Articulos a Leone X damnatos ait credendos esse sub poena damnationis aeternae. Sed isti articuli in Scriptura non inveniuntur. Non invenitur primus, qui est: Haeretica est sententia Novae Legis sacramenta gratiam conferre. Textus a Luthero adducti non sunt ad rem. Item secundus, idest: In puero post Baptismum manet peccatum; pro quo perperam adducit textum Pauli *ad Romanos*, et inepte ex Paulo fingit duplex peccatum: regnans et regnatum. Item tertius, qui est: Fomes peccati moratur animam ab ingressu coeli, ignoratur a Scriptura. Idem dicendum de quarto. — III. Alii usque ad 31 omittuntur, quia, iuxta Lutherum, nugales sunt. Sed nec articuli 31: Iustus in omni opere bono peccat; et 32: Opus bonum, etiam optime factum, est peccatum; inveniuntur in Sacris Litteris. Textus Isaiae, Salomonis et *Psalmi 142*, non recte exponuntur a Luthero. Item articulus 33 non probatur ex Scriptura; nec articulus 34. Articulus 35 probatur a Luthero ex art. 31 et 32; sed non recte. — IV. Nec meliori modo probatur articulus omnium maximus, quod liberum arbitrium sit res de solo titulo, etc. Lutherus ipse cognovit esse figmentum, ideoque postea abrogavit. Reliqui articuli Lutheri somnia dici possunt. Multa alia figmenta habet in scriptis suis. — V. Aliqua afferuntur ex *Post. Commentario ad Galatas.* In epistolae *Argumento* statuit quattuor iusti-

tias: politicam, ceremonialem, legalem et christianam; illas activas vocat, hanc passivam; illa est terrena, haec coelestis. Iustitia legalis, idest, Decalogi, nullum habet ius in conscientia; at hoc est sane somniantis deliramentum. — VI. In capite primo dicit, quod Evangelium damnat iustitiam legalem, contra verba Christi: *Non veni*, etc. In capite secundo facit fidem caritati superiorem, imo ipsi adversam, contra expressam Pauli doctrinam. Duplex etiam facit Evangelium: verum, quod solam fidem; falsum, quod etiam opera requirit. — VII. Addit etiam, quod Petrus non recte ambulavit in veritate Evangelii et peccavit contra proprium decretum; quod falsum esse patet ex verbis ipsius Pauli et ex textu decreti Ierosolymitani. Alia figmenta congerit Lutherus in hoc *Commentario*, in quo semper repetit, quod sola fide iustificamur, nullum Scripturae locum afferens, qui hoc probet. — VIII. In capite tertio fidem dicit esse fiduciam in Filium Dei; in capite quinto, sibi contradicens, affirmat quod fides est notitia et spes exhortatio. Quae quidem assertiones inter Lutheri somnia amandanda sunt. . . . . . Pag. 371-383

DISSERTATIO SECUNDA

Martini Lutheri deliramenta atque figmenta

I. Haeretici, *aberrantes a fide*, conversuri in S. Litteris dicuntur *in stultiloquium*. Quod et Luthero contigit, qui ideo innumera deliramenta scripsit. — II. Delirat, cum ait per fidem animam fieri unam carnem cum Christo, et peccata, mortem, damnationem animae ipsius Christi esse; cum ait nos pares esse in dignitate Sanctis et Deiparae. In *Comment. Epist. ad Galatas* delirat, dum praefert doctrinam suam Apostolis; dum ait speculationem Maiestatis intolerabilem esse corpori; quod fide homo fit Deus et ideo nulli cedere debet, fide immutabilis factus; per caritatem autem fit merus homo in omnibus cedens, contra doctrinam Scripturae. Ait etiam, quod fides sit infinita creatrix Maiestatis divinae, etc. — III. quod nullus alius Deus est recognoscendus, nisi qui incarnatus est; quod Deus mendacia, absurda, diabolica, etc. iuxta humanam rationem loquitur, contra doctrinam Pauli: *Invisibilia Dei*, etc. Iustitiam definit fiduciam in Filium Dei imputatam ad iustitiam, dum ibidem dixerat quod fides est cogitatio de Deo. Duplicem fidem introducit: nudam, quando agitur de iustificatione; incarnatam, quando de operibus. — IV. Fingit duellum inter Christum et legem, in quo Christus legem trucidavit. — V. Docet Scripturam esse servum, et quando de operibus loquitur, currendum esse ad Christum, qui est dominus et relinquendam esse Scripturam. Sic Lutherus prius despexit Patres, nunc etiam Scripturam. Docet etiam in Ecclesia nullum esse peccatum, etc., quia dicimus: Credo Ecclesiam sanctam, et quia credentes in Christum non sunt peccatores. Quomodo ergo Ecclesia orat: *Dimitte nobis debita nostra?* — VI. Ibidem ait quod veritas Evangelii est nos sola fide iustificari, falsitas quod iustificamur fide, sed non sine operibus, contra apertam doctrinam Pauli et Iacobi. Repetit adhuc, quod nos aequales sumus Apostolis in spiritu gratiae, etc. contra verba Pauli: *Nunquid omnes Apostoli ?* etc. Inducit putativam iustitiam, idest, non veram, ita ut homo, licet peccatis obrutus, sanctus sit, et ait Christum esse causam formalis iustitiae, quatenus fidem informat. — VII. Docet, quod lex et ratio fidei adversantur, et quod fides apprehendens Christum est ratio iustitiae et quod Christus non est legislator, contra verba Isaiae: *Dominus legifer noster*. Pag. 384-392

DISSERTATIO TERTIA

Lutheri falsi prophetae falsa testimonia

I. Lutherus ad iniquam causam stabiliendam falsa adhibuit testimonia. Et quidem contra vota monastica falso adducit verba *Deuteronomii : Non facies*, etc. de industria locum citatum detruncans. — II. Similiter falso citat B. Franciscum, quasi discipulos liberos a servanda castitate relinquat, dum in *Regula* clarissime contrarium asserit. Falsitati calumniam adiiciens, dicit B. Franciscum falsum fuisse, eo quod Evangelium paucis commendavit. Addidit mendacium, dicens quod Christus iussit caelibatum esse liberum, quodque B. Franciscus statuit solos Fratres Minores esse christianos. At

non dixit B. Franciscus suam *Regulam* esse Evangelium, sed servare Evangelium vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate, bene distinguens inter praecepta et consilia evangelica. — III. Postea Lutherus, excusans B. Franciscum, sectatores ipsius calumniatur. . Pag. 393-395

DISSERTATIO QUARTA

Lutheri perversae Scripturarum Sanctarum quas ad suam causam impie detorquet interpretationes quibus ex veritate divina errores haeresesque gignit

I. Lutherus sensu ariano explicat verba Pauli: *Qui cum in forma*, etc. et expunxit e textu Ioannis: *Tres sunt*, etc. — II. In illud Pauli: *Ego enim*, etc. non servans connexionem verborum, dicit Paulum praecepisse utramque speciem. Scribit etiam quod verbum consecrationis *hoc* panem significat, sic impanationem docens, non recte interpretans locum Pauli: *Panis, quem frangimus*, etc. Perverse etiam exponit contra vota monastica textum Apostoli: *Erunt docentes*, etc. et ad hoc refert locum detruncatum. — III. Item ex verbis Christi: *Ille arguet*, etc. perperam concludit Christum docuisse nullum esse peccatum, nisi incredulitatem. — IV. Adhuc, ex verbis: *Hic est Filius meus*, etc. arguit Christum solum esse audiendum, et regulas monasticas prohibitas esse. Si ita est, quomodo Christus et Paulus docent Ecclesiam esse audiendam? Ex eo quod Christus praecipit praedicari Evangelium, etc. infert quod omnia in Evangelio sunt praecepta necessaria; et ex verbis: *Aperiens os suum*, etc. quod beatitudines sunt de praecepto. Idem arguit ex verbis: *Non veni solvere*, etc. et ex aliis: *Nisi abundaverit*, etc. Item illis verbis Christi: *Sunt eunuchi* etc., et Pauli: *Consilium autem*, etc. dicit homines deterreri a virginitate. Ex textu Ieremiae: *Domine, oculi tui*, etc. arguit, quod Deus non respicit opera, quia *Deus non est impietatem volens*, contra doctrinam Pauli, qui docet nos esse servos iustitiae. — V. Scribit quod Christus nonnisi sacerdotes et scribas arguit. Similiter verba Pauli: *Peccantes*, etc. intelligi vult, ut qui peccant publice arguantur, contra apertam doctrinam Apostoli. . . . . Pag. 395-401

DISSERTATIO QUINTA

Martini Lutheri paradoxa portentaque plane adynata

I. Lutherus voluit Wittembergenses inaudita paradoxa docere. — II. Docuit enim Deum esse scelerum auctorem, humanitatem Christi ubique esse, Prophetas omnes praevidisse Christum futurum esse latronem, etc. et simul veracem et mendacem; non semel etiam Christum diabolum appellat. — III. Docuit quod christianus ignorare debet legem et iram Dei, ut salvus sit, quia ipse est supra legem, infernum, etc. et simul iustus et peccator, et tam dives, ut, etiam volens, non possit animam perdere, modo credat; quod iustus in omni opere bono peccat, et quidem mortaliter, iuxta iudicium Dei; quod liberum arbitrium est res de solo titulo, et quod praecepta Dei sunt impossibilia; — IV. quod cor humanum infinite odit legem Dei et ipsum Deum, legis auctorem; quod lex non est data ad salvandum, sed ad damnandum. — V. Asseruit Matrimonium ad fidem ducere, esseque spiritualissimum opus, e contra caelibatum impietatem promovere; impossibile esse castitatem servare, etc. — VI. Docuit Paulum non consuluisse virginitatem, sed potius ab eadem absterruisse; non dari votum, nisi de rebus a Deo praeceptis, vota autem adversari fidei, libertati evangelicae, caritati et rationi; votum continentiae pugnare cum voto Baptismi. — VII. Dixit fidem esse omnium excellentissimum opus, quod Deus in nobis sine nobis operatur; Baptismum nihil prodesse, sed solam fidem in verbo promissionis, sacramenta N. L. esse efficacia etiam obstinatissime ponentibus obicem, praestare omittere Baptismum in parvulis, per Baptismum non tolli peccatum, sed operiri, peccatum esse substantiam, et deum maximum, omnes doctos, Sanctos, etc. exhaurientem. — VIII. Asseruit, quod christianus est omnium dominus et servus; quod opera bona non faciunt hominem bonum, sed e converso; quod nullus potest christiano legem imponere, quia est liber; — IX. quod erroneum in fide idem est ac haereticum, et e contra quod haereticum non est, catholicum est; — X. quod quilibet christianus, etiam mulier, absolvere potest a peccatis, etc.; quod accedens ad Eucharistiam, etiam optime di-

spositus, *iudicium sibi manducat*, — XI. quod peccatum semper eodem modo accipitur in Scripturis, contra evidentes Sacrarum Scripturarum textus. Asseruit quod diabolus potest esse animarum curator, sacramentorum minister, etc. — XII. Docuit homines, quatenus sub lege sunt, Deum necessario odisse, et etiam Sanctos non esse liberos a blasphemia in Deum; servare autem mandata una cum fide, idem esse ac Christum negare et fidem abolere. . . . . Pag. 401-417

DISSERTATIO SEXTA

Martini Lutheri sophismata et futilia inaniaque argumenta fallaciae strophaeque sophisticae et nugaces insulsaeque rationes

I. Paulus monet, ut simus radicati in fide, ne decipiamur per sophismata falsae scientiae, quae ab haereticis proferuntur. Hoc Pauli monitum attendendum fuisset in apostasia Lutheri, qui fallaciis suis innumeras animas decepit. — II. Fuit Lutherus sophista habilissimus, nec defuit illi persuasionis sermo; saepissime circulos et nugas construit, frequenter versatur circa pugnas verborum, saepius detorquet Scripturas. — III. Ut probet sacramenta non dare gratiam non ponentibus obicem, inepte affert auctoritates Pauli et Christi. Ut demonstret in puero post Baptismum manere peccatum, perperam profert illud: *Non concupisces*. Aequivocat etiam ibi, accipiens concupiscentiam naturalem pro actuali. Item non ad rem affert textus Pauli et Augustini, quinimo mentitur, falso adducens Augustinum. Item dicendum de auctoritatibus adductis ad probationem *Articulorum 31-32* et *35* suarum *Assertionum* — IV. et *Articuli 36* de servo arbitrio, pro quo affert sententiam Salvatoris: *Sine me*, etc. — V. Ut probet vota monastica adversari verbo Dei, refert verba Christi: *Ego sum*, etc. quibus inepte concludit omnia religionum statuta damnari. Ad probandum vota adversari fidei, perperam producit verba Pauli: *Omne quod non est*, etc. et *Deuteronomii: Non facies*, etc. Docens vota adversari libertati, confundit libertatem spiritus cum libertate carnis. — VI. Mirifice paralogizat, cum conatur probare vota adversari praeceptis Dei. Ex eo quod Christus in coelum ascendit, concludit quod nullus religiosus coelum ascendere potest. — VII. Paralogizat etiam, dum vota caritati et rationi adversari asserit. — VIII. Ineptum argumentum conficit, cum ex abusibus exaggeratis omnes Episcopos exterminandos dicit, perperam adducens textus Pauli et Petri. — IX. Idem facit, asserens Pontificem in votis dispensare non posse, quia claves super peccata tantum valent. Ex verbis Pauli: *Et nos*, etc. inepte concludit impiam esse doctrinam, quae docet ad iustificationem necessariam esse caritatem . . . . Pag. 417-428

DISSERTATIO SEPTIMA

De falsis argumentis Lutheri

I. Omnis doctrina requirit veritatem, ordinem et firma argumenta. Lutherus solet doctrinam firmare auctoritate, ratione, vel utraque; at non recte. Videamus argumenta, quibus articulos a Leone X damnatos defendit. Articulus 1: Haeretica est sententia sacramenta N. L. dare gratiam non ponentibus obicem, probatur a Luthero ex verbis: *Iustus ex fide vivit*, quia ibi non fit mentio de sacramentis. Sed hoc est deliramentum. Idem dicendum de aliis tribus textibus allatis. — II. Ratio adducta quod in omni sacramento est verbum promissionis, quod fidem exigit, non est concludens, nec rationes ex auctoritate allatae assumptum probant. Argumentum forma syllogistica caret, — III. et praesuppositum falsum est, quia nullibi probatur verbum promissionis; imo in conferendis sacramentis non adhibentur verba a Luthero allata. Dum autem probare nititur Catholicorum sententiam esse haereticam, — IV. mendacia profert, faciens Scotum auctorem huius sententiae, asserens Catholicos non requirere fidem in sacramentis, nec obicem habere incredulitatem, nec bonum cordis motum admittere. Scotus aperte ponit incredulitatem ut obicem, et requirit bonum cordis motum. Lutheri doctrina est contra doctrinam Augustini et Petri. — V. Articulus 2: In puero post Baptismum manere peccatum, probatur a Luthero multis auctoritatibus et Scriptura, quae ad rem evincendam nihil faciunt, ut diserte ostenderunt Roffensis et Bellarminus. Mi-

randum vero, quod L u t h e r u s utatur Augustino contra Augustinum. — VI. Et tamen ait nulli licere verba Dei proprio sensu interpretari, dum ipse contrarium agit. Falsae interpretationi mendacia addit, non exacte referens verba A u g u s t i n i . — VII. Articulus 3: In omni opere bono iustus peccat, etc. probatur a Luthero ex Is: *Facti sumus*, etc. ex Eccle: *Non est homo*, etc. ex *Psalmo : Non intres*, etc. ex P a u l o : *Mente servio*, etc. Sed textus non bene exponuntur; I s a i a s loquitur de peccatoribus; S a l o m o n dicit non dari hominem, qui aliquando non peccet; idem affirmat D a v i d; P a u l u s vero loquitur de fomite peccati. Scriptura Luthero refragatur, dum laudat iustorum opera. — VIII. Inepte etiam L u t h e r u s adducit S. Gregorium et S. Augustinum. — IX. Pro articulo de libero arbitrio congeruntur a L u t h e r o textus Scripturae, qui nihil omnino probant, et detruncat textum A u g u s t i n i . Patet igitur Lutherum falsis argumentis usum fuisse. . . . Pag. 429-441

DISSERTATIO OCTAVA

Quod Lutherus actus fuit spiritu vertiginis maximaque laboravit inconstantia et instabilitate in tradendis fidei dogmatibus [seu] de antilogiis M. Lutheri

I. P e t r u s ait haereticos esse *instabiles*. P a u l u s haereses comparat vento. T e r t u l l i a n u s dicit haereticos semper in regulis suis variare. Ab hac haereticorum instabilitate immunem se facit P a u - l u s , et Dominus laudavit Io. Baptistae constantiam, qua haeretici carent. — II. Haeretici sunt velut nautae huc illuc navigantes, et velut sceptici semper inquirentes, similes arundini vento agitatae; qua instabilitate maxime laboravit Lutherus, ut patet ex praecipuis suae doctrinae capitibus. — III. Quandiu catholicus fuit, asseruit liberum arbitrium; haereticus factus, mordicus negavit. Docuit hominem esse liberum ad facienda externa opera; quam sententiam secuta est *Augustana Confessio*. — IV. Lutherus instabilis in doctrina de Ecclesia, dum ab initio docuit eam non esse audiendam, quia errare potest; postea vero dixit, quod solum testimonium totius Ecclesiae est argumentum validum ad articulum fidei stabiliendum, et, qui de eo dubitat, nullam credit christianam Ecclesiam, et quod Ecclesia non potest errare. — V. Docet aliquando R. Ecclesiam esse Babylonem, etc. a Deo maledictam; e contra alibi protestatur se nihil tenere, nisi quod tenet R. Ecclesia, quae a Deo super omnes honorata fuit et a qua nulla ratione discedendum est, nec eiusdem mandatis adversandum.— VI. Item L u t h e r u s inconstans in doctrina de R. Pontifice; ait enim se fuisse prius Papae addictissimum, etc. ac putasse crimen ab eo dissentire. — VII. Sed lapsus in haeresim, fuit Papae infestissimus. Ab initio tamen Leonem X optimum vocat, Christi Vicarium, nomine Christi loquentem, cuius potestas est super omnia; eodem vero tempore scribit se nescire utrum Papa sit antichristus. Probat decreta Pontificum; postea dicit se ea non timere. Fatetur se fuisse in R. Pontificem indiscretum, veniamque petit. — VIII. Summum Pontificem verbis demulcere studet; sed R. Ecclesiam vocat speluncam latronum, et R. Pontifici vult leges imponere. — IX. Primatum Petri negat, eodemque loco Petrum summum Apostolorum vocat. Uno loco negat primatum R. Pontificis, alibi vero affirmat. R. Pontificem facit auctorem omnium malorum; et tamen fatetur se ab ipso Scripturam accepisse, praedicandi munus, sacramenta, etc. — X. Inconstantia L u t h e r i apparet in doctrina de sacramentis, dum alicubi negat septem sacramenta, alibi dicit se ea non negare. Negat sacramenta conferre gratiam, eodemque tempore docet Baptismum salvum facere, ac in Baptismi aqua adesse Spiritum Sanctum. Transubstantiationem nunc negat, nunc affirmat, nunc liberum facit eam credere vel non. Aliquando Eucharistiam non adorandam docuit; et tamen sacramentum Altaris adorabile dicit. — XI. Aliquibus locis statuit communionem sub utraque specie, aliis autem locis dicit satis esse, ut laici sub una specie communicent, et libertatem in hoc omnibus relinquit. — XII. Patet igitur Lutherum contraria docuisse in dogmatibus fidei. . . . . Pag. 442-461

SECTIO QUINTA

EPILOGUS SEU DE APOSTASIA ET DAMNATIONE M. LUTHERI

DISSERTATIO PRIMA

Lutherum spiritu erroris et vertiginis ductum diabolicamque doctrinam edoctum exivisse a Romana Ecclesia nec veriorem Ecclesiam quaesiisse sed novam fabricasse

I. Haeresiarcharum proprium est, ut Apostoli docent, apostatare ab Ecclesia novamque condere a proprio nomine, contra morem Apostolorum, praesertim Pauli. — II. Hoc haeresiarcharum insigne Luthero maxime proprium videtur, nam prius catholicus fuit et Papae addictissimus; cum vero intellexisset suos articulos damnatos fuisse, in Ecclesiam insurrexit eamque deseruit, quasi mutata esset in satanae synagogam. — III. Posito quod Ecclesia facta fuerit sedes antichristi, Luthero prius quaerenda fuisset vera Ecclesia, sicut fecerunt Paulus, Cornelius etc. Lutherus autem deseruit R. Ecclesiam, sed aliam non quaesivit, cum tamen ipse doceat non posse inveniri Christum, nisi prius inveniatur Ecclesia, sed novam fundavit, etc. — IV. Dicunt Lutherani Ecclesiam eo tempore latitasse, ut in diebus Eliae. Sed inane est hoc effugium, nam agitur ibi de Ecclesia particulari Israelis, dum Ierosolymis florebat religio; quin etiam alii Prophetae erant in Israel. Qui latitantem Ecclesiam fingunt, pseudoprophetae sunt, a Christo praedicti, qui Ecclesiam multo infeliciorem faciunt synagoga Iudaeorum, quae nunquam abscondita fuit. — V. Iuxta Lutherum, Ecclesia est coetus fidelium, in quo est sincera praedicatio, etc. quae cum non invenisset in R. Ecclesia, aliam fabricatus est, sic transiens a domo Petri ad synagogam satanae. — VI. Tamen prius diu dubitavit, pene in desperationem actus, summa difficultate superans argumentum de Ecclesia audienda; dum contra suam conscientiam Ecclesiam impugnaret. — VII. Lutherus contra communem ordinem, de repente factus est pessimus, nam prius erat cultor et adorator Papae, ut ipse multis in locis fatetur; statim vero ac nuncium damnationis suorum articulorum accepit, R. Pontifex factus est antichristus. Etiamsi Summus Pontifex in Lutherum errasset, ipse debuerat Ecclesiam revereri eique non rebellare. At quod sapienter docuerat minime praestitit, sed omnia vilipendere et conculcare sategit. Repudiata R. Ecclesia, cum veram nec quaesierit neque invenerit, sed tantum suo arbitrio Scripturae sensum investigarit; factus est homo sine Ecclesia, sine Christo, sine Deo . . . . Pag. 462-475

DISSERTATIO SECUNDA

Martinum Lutherum ab hominibus a seipso a Deo damnatum haeresiarchae Ario fuisse in sua damnatione simillimum affertur que iudicium Lutheri de seipso

I. Lutherus Ario similis fuit in damnatione. Arius in haeresim lapsus, ab episcopo Alexandrino damnatus, contra ipsum Episcopum insurrexit. — II. A Basileo et Athanasio confutatus, in Nicaena synodo damnatus, minime resipuit; a Constantino M. admonitus et ad concordiam invitatus, superbe respondit; ideo Imperator contra Arium prius epistolam scripsit, postea edictum promulgavit, quo Arius ut haereticus notabatur, eiusque libri igni damnabantur. — III. Quare Arius suam haeresim publice retractavit in conciliis Nicaeno et Constantinopolitano, et coram Imperatore sententiis concilii Nicaeni subscripsit, ficto quidem animo. — IV. Sed divina ultio tantam impietatem subsecuta est, et Arius miserabili morte e vita discessit. Sic Deus haeresiarchae interitu haeresim damnavit; Arii tamen mors quamplurimis profuit. — V. Lutherus fuit Ario incorrigibilior et pervicacior, quia virulentus fuit in R. Pontificem, in principes, reges et imperatores. Non se retractavit, nec haeretici nomen abhorruit, ut refertur a Mathesio. — VI. Et ipse Lutherus fatetur; ait enim ante schisma

se fuisse infidelem, Christi abnegatorem, etc., postea per imprudentiam et ignorantiam turbas excitasse et ab Ecclesia exiisse. Factus haereticus, temulentia animi se prophetam et evangelistam iactavit; at ad saniora reversus, haereticum se appellat, Ioanne Husso decies deteriorem. Et nihil mirum; cum nec diaboli nomen abhorruerit. Sic Lutherus a seipso damnatus fuit. — VII. At fuit etiam divino iudicio, ut Arius damnatus, nam miserrime interiit. . . . . Pag. 475-487

ADDITAMENTA

Additamentum primum . . . . Pag. 491-497

Additamentum secundum . . . . Pag. 498-508

CORRIGENDA

Pag.	26	Linea	2	loco	כֹּהֲנים — כֹּהֲנִים
»	30	»	24	»	paritur — paretur
»	67	»	20	»	converstaio — conversatio
»	70	»	23	»	transvit — transivit
»	98	»	28	»	phatanstica — phantastica
»	115	in not.	114	»	Ludseto — Lupseto
»	207	»	2	»	nnumeros — innumeros
»	218	»	2	»	conscientaie — conscientiae
»	220	»	29	»	turpbius — turpibus
»	288	»	12	»	prosopopeam — prosopopoeiam
»	310	»	21	»	inquitates — iniquitates
»	361	in not.	29	»	נִפָלַא — יִפָלֵא
»	362	»	25	»	prosopopeiam — prosopopoeiam
»	405	»	24	»	Christum — Christus
	»	»	26	»	custodiebamus — custodiebamur
»	440	»	12	»	Luthero — Lutherus